Historia rei herbariae / Curth Sprengel.

Contributors

Sprengel, Kurt Polycarp Joachim, 1766-1833.
Royal College of Physicians of Edinburgh

Publication/Creation

Amsteldami : Sumtibus Tabernae librariae et artium, 1897-1808.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/evs9b3he

Provider

Royal College of Physicians Edinburgh

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh. where the originals may be consulted.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Bb 3.17

R53991

CURTII SPRENGEL

HISTORIA REI HERBARIAE

BIBLIOTH. COLL. REG. MED. EDIN.

TOMUS I.

AMSTELDAMI
SUMTIBUS TABERNAE LIBRARIAE ET ARTIUM.
1807.

VIRO

CUM MUNERIS SPLENDORE TUM ANIMI VIRTUTIBUS

EXIMIO,

CAROLO FRIDER. BEYMIO,

REGIS OPTIMI AMICO,

BONARUM ARTIUM PATRONO,

VENERATIONIS ET GRATITUDINIS

MONUMENTUM HOCCE

PIA MENTE

PONIT

AUCTOR.

Rei herbariae fata conſcribere adgredior, impeditum opus et facundiae minime capax: praeſertim cum me natura in mediocribus eſſe voluit hominibus, quibus facultates largita eſt colligendi, obſervandi; inveniendi vero fere negavit. Intempeſtivae tamen modeſtiae notam ſubirem, ſi nequaquam me idoneum iudicarem, qui haec ſtudia tractem: ad quae natura ipſa et voluntate ferri me ab ineunte adoleſcentia ſenſi, in quibus etiam vitae tabernacula ponere decrevi, ut, praeſentis aevi pertaeſus, in antiquo mundo vivere poſſem. Ex quo enim iuvenis eſſe coepi, aeſtates fere omnes in inveſtiganda plantarum natura, hyemum otia in tractandis me-

ditate cogitateque veterum ſcriptis conſumſi. Quo interius hanc doctrinae partem hiſtoricam cognovi, quo magis auctae ſunt eorum, quae collegeram, explicaveram, notaveram, divitiae, eo magis ſenſi, opus mihi eſſe otio diuturno et vacuo, ut digererem collecta, excerpta iudicarem, tractata retractarem, eoque modo princeps meum ac palmarium opus mihi proponerem, quo nomini meo commendationem et apud exteros quaererem, quodque meae aetati ita probarem, ut ne ſerae quidem poſteritatis iudicium extimeſcerem. Otium id ab omni interpellatione vacuum, quod liberam animi cogitationem et diligentiam cogitandi efficeret, conceſſit tandem belli ſors et gratia victoris. Itaque Chaerephontis Socratici illius, σφοδροῦ ἐφ' ὅ, τι ὁρμήσειε, *ſimilem me videri ſtudui, omnesque intendi nervos, ut dignum opus ederem et probabiliter fungerer hac ſcriptione.*

Qualem autem tractandi ſcribendique rationem ſequutus fuerim, brevibus indicare

libet. Facile intellexi, prouti ſcriptores, qui poſt Ciceronem aut Hippocratem fuerunt, nemo intelligere poteſt, niſi qui veteres illos in numerato habeat, ita omnem plantarum, a ſcriptoribus ſeriorum ſaeculorum memoratarum, cognitionem a Theophraſto et Dioſcoride proficiſci debere. Itaque acriori indies Theophraſti ſtudio incitabar, ut eum per duas fere hyemes de manibus non deponerem. Conferendae etiam erant Theophraſti et Dioſcoridis plantae cum ſerioribus omnibus, ut appareret, quis alterum ſequutus ſit, quid ab eo habeat ac retinuerit, ſive omiſerit, ſive addiderit, quomodo alter ex altero ſupplendus, interpretandus, corrigendus ſit. Id adſiduum ſtudium eo valuit, ut tandem clariora multa maioribus meis viderem, melius veterum plantas explicarem, veſtigia prima plurimarum detegerem, loca obſcura multa dilucidarem idque praeſtarem, quod ab auctore probabiliter in his ſtudiis verſato poſci poſſet. Summum etiam in ſynonymis dili-

gentiſſime tractandis ſtudium collocavi, quod ut proſpere ceſſerit atque in utilitatem rei herbariae, magnopere cupio.

Luxum literarium, quem iuvenis amavi, iam ſperno: loreolam enim nolo in muſtaceo quaerere: memoravi ſola ſcriptorum loca, quae fere claſſica ſunt. Namque alioquin voluminum plurium ſeriem edere debuiſſem, lectoribusque ſarraginem moleſtam obtuliſſem. Id maxime in hiſtoria plantarum biblica vitare ſtudui, utpote quae tot tamque variis modis tractata fuit, ut bibliothecam fere integram libri de ea conſcripti conſtituant.

Plantae a ſcriptoribus claſſicis, Herodoto, Diodoro, Strabone, Theocrito, memoratae paſſim memorantur. Neque enim hi ſcriptores propria ſibi capita poſtulare poterant, niſi plantarum adeo inſignem copiam tractaſſent, ac e. g. Virgilius.

Sibthorpii floram graecam, tamdiu exſpectatam, tandem accepi, in uſusque huius

libri converti, quotquot in primo faſciculo continentur plantarum illuſtrationes. Neque tamen omnem eo labore tolli difficultatem intellexi: plures enim plantas cum veteribus absque ulla ratione componit, alias valde dubias, oppoſitis temere ſynonymis, haudquaquam indubias linquit: ut σισυρίγχίου, λογχίτιδος exempla docent. Interea haud inficior, plurimis plantis lucem foenerari inſignem, inſigniorem etiam exſpectari poſſe, ſi totius operis pretioſiſſimi ambitus in lucem prodierit.

Arabum flora novam lucem ex itinere accipiet, quod in transoxanam et bactrianam provinciam Ruthenorum imperatoris iuſſu ſuscipitur.

Cum typis hic liber exprimeretur, equidem, cui rerum publicarum cura demandata erat, iter ſuscipere debui, quod, quominus ipſe impreſſioni invigilarem, impedivit. Unde ſphalmata plura ſuperfuerunt, quae ad calcem operis indicavi.

Gratias ago ſincerrimas iis omnibus, quī me in hac hiſtoria conſcribenda adiuvarunt; maxime vero amico venerabili Leyssero; *collegis amiciſſimis,* Schradero *Göttingenſi,* Schwägrichenio *Lipſienſi,* Weigelio *Dresdenſi,* Schrankio *Landshutenſi,* Vogelio *Altorfino,* Bonato *Patavino; bibliothecariis denique meritiſſimis,* Biestero *Berolinenſi et* Reussio *Göttingenſi. Qui viri, ut officia ſua et ſtudia non male collocata exiſtiment, magnopere cupio ac opto.*

* * *

Non deſunt plantae, quarum prima veſtigia ſero inveni. Vulgares autem in iis adiungam.

Apud Hermolaum Barbarum *prima ſit mentio* Crucialis, *quae* Valantia *eſt* Cruciata.

Apud Brunfelsium *obveniunt: Salvia pratenſis* (agreſtis): *officinalis* (maior.). . . *Scabioſa Succiſa* (Morſus diaboli.). . . *Galium*

Mollugo . . *Plantago lanceolata*. . . *Meſpilus germanica*. . . *Potentilla Anſerina*. . . *Anemone Hepatica*. . . *Nepeta Cataria* (Mentha non odorifera). . . *Melampyrum arvenſe* (Trifolium maius). . . *Scrofularia nodoſa* . . *Spartium ſcoparium* (Geniſta).

Apud TRAGUM: *Circaea lutetiana* (Lappa ſylv.). . . *Campanula Trachelium* (Uvularia maior). . . *Lonicera Xyloſteum* (Halimus). *Phyteuma ſpicatum* (Rapunculum ſylveſtre). . . *Rhamnus catharticus*. . . *Chenopodium rubrum* (Blitum IV.). *Chen. olidum* (Atriplex canina). *Chen. polyſpermum* (Blitum III.). . . *Phellandrium aquaticum* (Ligiſticum ſylveſtre). *Angelica ſylveſtris*. *Rumex aquaticus* (paluſtris). . . *Acer campeſtre*. . . *Vaccinium Vitis idaea* (Myrtillus exiguus). . . *Erica vulgaris*. . . *Daphne Mezereum* (Daphnoides). . . *Sedum acre* (Portulaca tertia). . . *Potentilla rupeſtris* (Fragaria IV.), *argentea* (Pentaphyllum exiguum), *verna* (Quinquefolium I.). . . *Ranunculus*

aquatilis (Alga prima). . . *Stachys ſylvatica* (Heraclea). . . *Helleborus foetidus* (Pedicularia foetida III.). . . *Melampyrum nemoroſum* (Parietaria Lipſenſium). . . *Geniſta germanica* (Geniſtella). . . *Ervum hirſutum* (Vicia minima). . . *Sonchus arvenſis* (Intybus ſylveſtris II.). . . *Tragopogon pratenſis* (Barbula hirci). . . *Bidens tripartita* (Verbena ſupina).

Apud MATTHIOLUM: *Campanula perſicifolia* (Phyteuma 827.). . . *Rhamnus Frangula* (875.). . . *Chenopodium glaucum* (Atriplex ſylv. II. 362.). . . *Statice Limonium* (696.). . . *Vaccinium Myrtillus* (196.).

Apud Valer. CORDUM: *Rumex ſanguineus, obtuſifolius*. . . *Polygonum amphibium* (Phyllitis lacuſtris.). *Ranunculus repens* (VIII.).

Apud THALIUM: *Rumex criſpus* (minor 102.). . . *Ranunculus Lingua* (πλατύφυλλος 100.), *fluviatilis* (Myriophylli ſpec. coliculis fluitantibus.). . . *Lamium amplexicaule*

(Marrubium χαμαίπετες 76.). . . *Galeopſis Ladanum* (Sideriti I. congener II. 103.). . . *Melampyrum ſylvaticum* (79. ore hiante.). . . *Turritis glabra* (Braſſica ſylveſtris longifolia 16.). . . *Geniſta piloſa* (minoris ſpecies 55.). . . *Lathyrus pratenſis* (ſylveſtris floribus luteis 74.).

Apud DODONAEUM: *Salicornia herbacea* (82.). . . *Campanula rapunculoides* (Cervicaria IV. 163.). . . *Iaſione montana* (Scabioſa minor 122.). . . *Chenopodium maritimum* (Kali album 81.). . . *Spergula arvenſis* (537.). *Thalictrum flavum* (maius III. 58.), *aquilegifolium* (IV. ib.). . . *Helleborus hyemalis* (Aconitum luteum minus 440.). . . *Hieracium umbellatum* (I. 638.). . . *Veratrum nigrum* (383.).

Apud LOBELIUM: *Agroſtis Spica venti* (ic. 1, 3.). *Polypodium lycopodioides* (Viſcum indicum adv. 452.).

Apud CLUSIUM: *Melica nutans* (hiſt. II. 219.). . . *Rumex alpinus* (Lapathum foliis am-

plis 2, 69.). . . *Limoſella aquatica* (Plantago aquatica minima 2, 110.). . . *Vicia Cracca* (ſylv. II. 2, 235.).

Apud COLUMNAM: *Iungermannia epiphylla et Targionia hypophylla* (ecphr. I. 332. 333.).

Apud Io. BAUHINUM: *Scirpus lacuſtris* (Iuncus maximus holoſchoenus hiſt. 2, 522.), *maritimus* (Gramen cyperoides 2, 495.), ſylvaticus (Cyperus gramineus 2, 504.). . . *Holoſteum umbellatum* (Caryophyllus arvenſis 3, 364.). . . *Galium uliginoſum* (Rubia quaedam minor 3, 716.). . . *Plantago ſerpentina Vill.* (Coronopus Maſſiliotum 3, 510.). . . *Aiuga genevenſis* (Conſolida media 3, 432.), *alpina* (Conſolida alpina ib.).

CONSPECTUS.

LIBER I. Prima rei herbariae rudimenta.

CAP. 1. Flora biblica . . . . . p. 6— 19
2. — Homerica . . . . . 19— 29
3. Monumenta artis antiquae et mythi de plantis . . . . . 29— 75
4. Flora Hippocratica . . . . 35— 49
5. Priſcorum philoſophorum res herbaria 49— 55
6. Ariſtoteles . . . . . 55— 62
7. Rhizotomi . . . . . 62— 66

LIBER II. Rei herbariae incrementa.

CAP. 1. Theophraſtus Ereſius . . . 66—119
2. Schola Alexandrina . . . . 119—134
3. Res herbaria ſub Romanorum imperio 134—210

LIBER III. Rei herbariae decrementum.

CAP. 1. Romana ac Graeca barbaries . . 211—218
2. Caroli Magni capitularia . . 219—222
3. Moneſtica res herbaria . . . 222—228
4. Arabum res herbaria . . . 229—273
5. Latinobarbara aetas . . . 274—299

LIB. IV. Rei herbariae poſt renatas literas inſtauratio.

CAP. 1. Veterum fontium examen . . 300—310
2. Patriarum herbarum examen . 310—359
3. Hortorum cultura . . . . 359—364
4. Peregrinationes et itinera, quae rei herbariae amplificandae inſervierunt 365—387
5. Inſtauratio, collectio et diſpoſitio inventorum . . . . 388—466

REI HERBARIAE

HISTORIA.

REI HERBARIAE

HISTORIA.

LIBER I.

PRIMA
REI HERBARIAE RUDIMENTA.

In duas naturaliter disciplinas rei herbariae ſcientia diducitur: quarum altera complectitur formarum variarum differentias, ſpecierum generumque distributionem ſyſtematisque cognitionem, altera vero verſatur in plantarum fabrica exponenda partiumque uſu inveſtigando. Illa, hiſtoriae naturalis pars; haec potiſſimum ad phyſiologiam refertur.

Quodſi in utriusque disciplinae hiſtoriam inquirimus, aetate prior phyſiologia plantarum neceſſario eſſe debet. Priſtinum enim hominum genus vel patriae terrae hactenus adhaeſit, ut remotarum regionum natura ac corpora naturalia eos plane laterent; vel, dum pervagarentur etiam alias terras, vitae tamen ſuſtentandae ac quotidianorum ſolummodo emolumentorum curam habuerunt. Gentes eae αὐτόχθονες fructus ſine dubio horaeos ſylvarum camporumque paſcuorum gramina cognoverunt, quum victum praeberent quotidianum. Ea vero cognitio, e ſolo adſpectu proficiſcens, notas haudquaquam characteriſticas complectebatur, neque unquam disciplina tradi poterat.

Communis ea intelligentia ad ſolum uſum quotidianum intenta ad ſcientiae dignitatem evehi nequaquam poterat, niſi liberalior naturae adſpectus meditationi anſam praeberet. Quod noſtris demum temporibus factum eſt, quum rei herbariae disciplina, a vili illo quotidiani uſus reſpectu libera, maiori ſtudio agitari coepit et nobiliori.

Neque reticenda eſt alia cauſſa impediti apud priſcas gentes huius ſtudii, mirabilium nimirum amor, quo irretitos videmus homines literarum rudes atque ab animi cultu alienos. Capitur omnis infantia generis humani adeo miraculorum ſtudio, ut nusquam cauſſas naturales, ſed divinam ubique efficaciam, nexum nusquam naturae operam, ſed mira ubique quaerat ac incredibilia. Mutationes ſpecierum, ortus plantarum ex animalibus, animalis ipſa vegetabilium indoles infantili humani generis aetate creduntur et defenduntur.

Hiſtoricam plantarum cognitionem aetate antecellere phyſiologia neceſſario debet. Protinus enim ut in cauſſas rerum naturalium inquiri coepiſſet, plantarum etiam, hominibus quotidie obviarum, ortus hominum mentes excitavit. Ortum autem vegetabilium earumque naturam infantilis illa aetas, comparatis ſemper animalibus, ex iisdem fere fontibus deduxit. Inertia enim humano generi eo carior, quo rudius eſt: inexplicabilia fugit, faciliorem ubique expoſitionem in viribus divinis

et animatis petit, quas mythologia iam ſuppeditat; abhorret autem ab operoſa illa et difficillima ſingularum rerum inquiſitione, e qua verum proficiſcitur ratiocinium. Inde exponendus eſt arctiſſimus ille nexus mythicae theogoniae et phyſiologiae, quam priſcum philoſophorum genus protulit.

Ante autem, quam haec ulterius perveſtigemus, neceſſarium arbitramur in antiquiſſimis literarum et artium monumentis plantarum veſtigia perſequi, ut eo melius pateat, quantus fuerit antiquarum cognitionum ambitus, ac quales inprimis plantae ab antiquitate fuerint aeſtimatae. Omne quidem id disputationis genus difficultates plurimas habet, tum quod remotiſſima illa tempora ſunt, tum quod regiones eae, quas priſca mortalium gens incolebat, haud ſatis etiamnum perveſtigatae ſunt, tum denique, quod plantae ab auctoribus antiquiſſimis obiter duntaxat et quaſi aliud agatur, nominari ſolent. Regiones orientales, quas generis humani vocaveris incunabula, a *Rauwolfio*, *Belonio*, *Buxbaumio*, *Tourneſortio*, *Haſſelquiſtio*, *Forskoleo*, *Billardierio* et *Sibthorpio* peragratae, plantarum feraciſſimae, plurium videntur ſaeculorum labores requirere, priusquam tota antiquitas ſufficienter illuſtrata fuerit.

Ol. Celſii et *Claud. Salmaſii* ſtudia, digniſſima quidem, non poſſunt tamen non deſiderium excitare ulteriorum inquiſitionum.

CAP. I.

FLORA BIBLICA.

Tum *Wettii* tum *Vateri* nuperrimis disputationibus antiquiſſima aetas variorum capitum biblicorum tantum abeſt ut penitus negetur, ut potius adfirmari etiamnum debeat, Moſaicorum librorum nonnulla loca aetate omnino priora ceteris omnibus humani generis monumentis eſſe: licet adſperſa ſint plurima e ſeriore, praeſertim regum Iſraeliticorum aetate.

Gens, cuius antiquiſſima literarum monumenta hic percontamur, e Perſide orientali, ſ. Arachoſia (quae ab oriente Candaharam contingit, ſeptentrionali ſui parte Bactrianae contermina) aut Caſchmirae vallibus, ut *Herdero* placuit et *Hartmanno*, in Meſopotamiam, dein in Palaeſtinam migravit, unde in Aegyptum ducta, ſaeculis quinque elapſis demum Palaeſtinam iterum habitavit. Sub potentiſſimo eius gentis rege, Salomone, vicinae Tyri exemplo incitatum commerciorum et navigationum ſtudium effloruit, ut naves Salomonis cum tyricis oras maris rubri et perſici ſinus ipſasque maris indici inſulas appellerent. Ex eo inde tempore plantarum et aromatum, quae in India orientali proveniunt, cognitio ad eam gentem transivit. Quum tandem fato acciderit, ut regnum Iſraeliticum a Mediae, Babyloniae et Aſſy-

riae regibus everteretur, captivaeque tribus in contumelioſo exilio per ducentos fere annos degere deberent, divitiarum, quas India fert et Perſia, cognitionem haurire facile potuerunt.

Sequentem libet indicem plantarum biblicarum exhibere, qui, ſyſtema Linnaeanum ſequens, probabilibus ut plurimum coniecturis nititur.

Olea europaea (זַיִת) ex antiquiſſimis eſt, quae in diluvio Noae iam memoratur (*Geneſ.* 8, 11.) Eius feracitas ac optimus proventus in terra promiſſionis maxime celebratur (*Deut.* 6, 11. 28, 40.). Id *Theophraſti* (*hiſt.* 1, 18.) teſtimonio confirmatur, qui oleam maxime ſyriacam praedicat.

Crocus ſativus (כַּרְכֹּם) per totum Orientem ſponte creſcens, ob odorem (*Cant.* 4, 14.) ſuavem laudatur, ſicut et Homeridae eum (*hymn. in Pan.* 25.) cum hyacintho ſimul nominant.

Cyperus Papyrus (גֹּמֶא) in limo Nili et Euphratis proveniens, ſaepius laudatur in priſtinis iis libris. Bildadus apud Iobem (8, 11.) quaerit, poſſitne Papyrus creſcere absque limo? Et obſcuro illo loco (*Eſai.* 18, 2.) navigia e papyro fabricata citantur, quorum antiqui omnes, maxime *Theophraſtus* (*hiſt.* 4, 9.) meminerunt.

Arundo vulgaris, modo אָחוּ modo קָנֶה dicta, haud facile determinatur. Complectitur autem gramina et cyperoideas, quae in Nilo, mari rubro et Syriae fluminibus creſcunt: nimirum *Cyperum*

niloticum, *longum* et *faſtigiatum*; *Scirpum articulatum* et *maritimum*; *Arundinem Donacem*; *Saccharum cylindricum Vahl.*, *biflorum Forsk.*, *Andropogonem arundinaceum Schrad.*, *annulatum Forsk.*

Andropogon Nardus (נֵרְדְּ) gramen radice fragrantiſſima, cuius ſolummodo *Cant.* 1, 14. 4, 13. mentio fit. *Ioneſius* quidem (*Transact. of the ſoc. of Bengal*, 2. *p.* 405.) probare ſtudet, *Valerianae Spicae Vahl.* radicem Nardum veterum exhibere. Perperam autem id fieri, patet e *Dioſcoridis* (1, 6.) *Avicennae* (*lib.* 2, 225.) maxime vero ex *Abu'l Fadli* (*Celſ. hierob.* 2, 3.) deſcriptione, qui gramen eſſe Nardum, diſerte aiunt. Copioſiſſime autem provenit ea planta in Gedroſiae provincia, hodie Mekran dicta, quae indico oceano contermina, a ſeptentrione Turan contingit: ubi Alexandri exercitus tanta abundantia eam deprehendi, ut pedibus calcata aërem fragrantia impleret (*Arrian. exped. Alex.* 6, 22.). Naves punicae, *Arriano* eodem teſte, inde Nardum advehebant, quo factum eſt, ut et Salomonis tempore gens Iſraëlitica eam obtineret.

Frumentorum ſpecies, in ſ. ſcriptis obvia, ſunt *Hordeum vulgare* (שְׂעֹרָה), antiquiſſimum frumentum (*Plin.* 18, 7.), quod ſponte ſua creſcere ad flumen Araxen (Kur) in Phaetacarania (Georgiae parte orientali) teſtatur *Moſes Cho-*

renenſis (*geogr. p.* 360.) Hordeum nudum ſponte naſci in Balaſcham, provincia Indiae maxime boreali *Marcus Paulus ſaec. XIII.* vidit. (*Ramuſio viaggi* 2. *f.* 10. *a.*)

Triticum aeſtivum ſ. hybernum, (חִטָּה) quod laetiſſime et abundantiſſime in terra promiſſionis (*Deuter.* 8, 8.) proveniebat. Id ſine dubio ex India priſtini Ebraei. In Muſicani enim regione ſponte ſua creſcere teſtatur *Strabo* (15. *p.* 1017.). *Andreas Michaux* Triticum Speltam ſpontaneum invenit anno 1782 in Perſiae provincia Hamadan (*Lamarck. encyclopéd. méth.* 2, 560.).

Triticum Spelta (כֻּסֶּמֶת), quod ſerotinum frumentum (*Exod.* 9, 32.) vocatur et *Sorghum vulgare Perſ.* (דֹּחַן), quod peculiarem *Forskoleus* ſpeciem credidit, *Holcus Dochna* dictam. Et noſtrorum temporum Arabes سخن Sorghum appellant (*Celſ.* 1, 455.).

Ficus Carica (תְּאֵנָה) ex vulgaribus arboribus fructiferis earum terrarum, quas gens Iſraëlitica incoluit.

Ficus Sycomorus (שִׁקְמִים) in Aegypti et Palaeſtinae convallibus et paſcuis frequentiſſima. Cedrorum (אֲרָזִים) tantam copiam procreaſſe Salomo dicitur (2 *Reg.* 10, 27.) quanta Sycomororum ſit in convallibus. Tanquam materiem viliorem ligno cedrino *Eſaias* (9, 10.) Sycomoros memorat: unde, quanto in errore verſatur *Sick-*

Ierus (Geſch. der Obſtcultur, 117.) Moros habens eos Sycomoros, patet. De Sycomoro vid. *Warnekroſii collectanea in Repertor. für bibl. Lit.* 11, 7. 12, 3.

Solanum inſanum (חָדָק) citatur *Mich.* 7, 4. et *Proverb.* 15, 19., quod ſpinis horridum ſit. Vocatur autem pari nomine arabico (حدق) frutex, in Phoenicia abundans, qui Melongenae ſatis ſimilis ſit *(Abu'l Fadli* apud *Celſ.* 2. *p.* 41. 42. *)*.

Zizyphus vulgaris (בַּעֲמוּץ) per totam Syriam abundans, velut vulgaris vepres Pinui Cembrae opponitur *(Eſ.* 55, 13. *)*.

Zizyphus Paliurus (חָרוּל) in arvis ſterilibus creſcens, *(Prov.* 24, 31. *)* unde et *Theophraſtus (hiſt.* 3, 17. *)* cum Rubo componit, et *Virgilius (ecl.* 5, 38. *)* dicit:

> Pro molli viola, pro purpurea narciſſo
> Carduus et ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Vitis vinifera (גֶּפֶן) ſponte in Armenia et Georgia creſcens, ubi *Chardinus*, *Tournefortius* et *Güldenſtädtius* colles propemodum omnes ea obſitos invenerunt. *(Cf. Annales horticulturae, quas ſub titulo Gartenzeitung edidi, vol.* 3. *p.* 191. *)* Ibi et coluit Noa primus: provenit etiam per Syriam et Aegyptum inferiorem.

Nerium Oleandrum eſſe arborem illam, de

qua *Davides* (*pſ.* 1, 3.) canit, ad rivos plantatam ſemper virere, arbitratur *Haſſelquiſtius* (*it. Palaeſt.* 226.) qui frequentiſſimam eam invenit.

Bubon gummiferum exhibet Galbanum, (חֶלְבְּנָה) quod (*Exod.* 30, 34.) inter ſuffimenta citatur. Ex Abyſſinia, ubi ſponte provenit planta, Gummireſina haec Nilo provehitur.

Cuminum Cyminum (כַּמּוֹן) in Palaeſtina cultum (*Eſ.* 28, 25.).

Coriandrum ſativum (גַּד) cuius ſemina rotunda cum Manna comparantur (*Exod.* 16, 31.). Optimum ex Aegypto venire *Plinius* (20, 20.) teſtatur: ubi et hodienum colitur. (*Forsk. flor. aegypt. p. LXIV.*)

Linum uſitatiſſimum (פִּשְׁתָּה) ex antiquiſſimis inde temporibus in Aegypto colebatur (*Exod.* 9, 31.).

Lilium candidum (שׁוֹשַׁנָּה) ſunt amoeni convallium flores (*Cant.* 2, 1.). *Plinius* (21, 5.) Palaeſtinae vallem, Phaſelida nominat, tanquam liliorum feraciſſimam. Artifex tyrius, quem Salomo iuſſit templum exſtruere, columnarum templi apicibus formam liliorum dedit.

Narciſſus orientalis ſ. calathinus ſ. Ionquilla (חֲבַצֶּלֶת) intelliguntur (*Cant.* 2, 1.) iuxta ſententiam interpretum antiquorum Chaldaici et Arabici. Abundavit autem iis floribus Palaeſtina.

Acorus Calamus, var. indica eſt קָנֶה וְטוֹב

(Ierem. 6, 20.*)*, quam e remotiſſimis regionibus apportabant. In Guzurate et Goa provenire et coli, auctor eſt *Garcias (arom. c.* 32., apud *Cluſ. exot. p.* 200.*)*.

Allium aſcalonicum (שׁוּמִים)
— *Cepa* (בְּצָלִים)
— *Porrum* (חֲצִיר)
} *Num.* 11, 12.

Diospyros Ebenum (הָבְנִים). Inter mercimonia, tyriis navigiis apportata ex inſulis *(Ezech.* 27, 15.*)* lignum ebeni citatur. Creſcit autem ea arbor in Ceylonae ſylvis: quam inſulam tyriae naves attigerunt.

Amyris gileadenſis (בָּכְא 2 *Sam.* 5, 23.) ad explicationem ſaltem, quam *Abu'l Fadli (Celſ.* 1, *p.* 339.*)* exhibet. Balſamum ipſum, ex hoc frutice ſtillans בֹּשֶׂם dicitur *(Exod.* 30, 23.*)*.

Amyris Kaſal (Forsk. p. 80.*)* eſt arbor turifera, quae לְבוֹנָה largitur. Creſcit in Arabia. Exhibuit iconem mancam *I. Bauh. hiſt.* 1, 303. Exemplar arboris turiferae, quod *Adanſonius* apportavit, examinatum fuit a *Lamarkio (encycl.* 2, 626.).

Lawſonia inermis (כֹּפֶר). Flores racemoſi fragrantes *Cant.* 1, 14. laudantur. Eſt κύπρος *Dioſc.* 1, 125. *Cf. Belon. obſ.* 2, 74.

Laurus Caſſia (קִדָּה et קְצִיעוֹת *Exod.* 30, 24. *Pſ.* 45, 9.) ob ſuavitatem odoris celebratur. Ar-

bor in Ceylona creſcens corticem largitur, quam tyriae naves advehebant.

Laurus Cinnamomum (קִנָּמוֹן *Exod.* 30, 23.). De Caſſia et Cinnamomo antiquiſſima relatio apud *Herodot.* 3, 110. 111. Ibi avium ope ſemina propagari refertur, quod egregie confirmat nuperrimus teſtis *Thunbergius* (*reſa* 4, 185.).

Fagonia arabica (דַּרְדַּר *Geneſ.* 3, 18.). Eſt tribulus ille, quibus ager, cui Iehova maledicebat, abundare debebat. *Forskoleo* teſte (*flor. ar. p.* 88.) ſpinas fert longiſſimas verticillatas.

Amygdalus communis (שָׁקֵד) per totum Orientem vulgaris, ſaepius citatur in libris veteris teſtamenti. Quin et virgae, quas Iacobus ex arbore לוּז refecuit, ad antiquiſſimorum interpretum ſententiam, ad amygdalum referuntur (*Geneſ.* 30, 37.).

Pyrus Cydonia (תַּפּוּחַ) et *Cant.* 2, 3. 5. 7, 8. et aliis locis ob fragrantiam laudantur. In Palaeſtina ſat frequens arbor.

Punica Granatum (רִמּוֹן) in Palaeſtina (*Deut.* 8, 8.) et Aegypto (*Num.* 20, 5.) vulgaris, fructus fert colore pulcherrimos, quibuscum genae amaſiae componuntur (*Cant.* 4, 3.) et e quibus vinum ipſum conficitur (*Cant.* 8, 2.). Labitur opinione *Sicklerus* (*l. c. p.* 119.) dum malum punicum pro perſico malo habet. Iucundiſſimos certe fructus punicae eſſe, patet e teſtimoniis, quae

Bergius (von Leckereyen, me interprete, tom. 1, *p.* 255.) congeſſit. Perſica mala multo ſerius e Perſia in Aſiam minorem et Aegyptum migrarunt. Fallitur inſuper *Sicklerus*, dum eadem mala cum fructibus Cordiae Myxae ſ. περσαίας Aegyptiorum commutat.

Myrtus communis (הֲדַס).

Rubus ſanctus (סְנֶה *Deut.* 33, 16.), quem *Tournefortius* in Oriente invenit, in Arabiae monte Sinai ea copia creſcit, ut inde is nomen acquiſiverit.

Capparis ſpinoſa (אֹרֶן *Eſ.* 44, 14.). Eſt ſaltim inſignis inter hebraicum nomen et vocem arabicam أرطى conſenſus, quam poſteriorem *Abu'l Fadli (Celſ.* 1, *p.* 192.) ita exponit, ut ad nullam aliam facile plantam reſpicere poſſis.

Ciſtus creticus largitur Ladanum, (לט) quod Iſmaëlitae et Gilead cum balſamo provehebant (*Geneſ.* 37, 25.). De ladano hircorum id depaſcentium barbis inhaerente *Herodot.* 3, 112. *Plin.* 12, 17.

Corchorus olitorius (מַלּוּחַ *Iob.* 30, 4.) olus Arabum ſatis commune. *Cf. Abdollatif mem. Aegypt. p.* 8. *Alpin. de plant. Aeg. f.* 39. 40.

Nigella ſativa. (קֶצַח *Eſ.* 28, 25.) Rabbini eam vocem ſic explicant, et hodienum Nigellae ſemina in Oriente pro condimentis ciborum habent.

Thymbra ſpicata fine dubio Hyſſopus eſt Salomo-

nis. Namque Arabs Iſaac ebnen Amram زوفا ſuum ad Hieroſolymas frequentiſſimum ita deſcribit, ut de hac ſpecie dubitationi fere nullus ſuperſit locus (*Bochart. hieroz.* 1, 674. ed. *Roſenmüller.*). *Haſſelquiſtius* exiſtimavit, *Gymnoſtomum truncatum* fuiſſe, quod is muſcus muros et rudera Hieroſolymitana habitet.

Bombax goſſypinum et *Goſſypium arboreum*, ex antiquis inde temporibus in Aegypto culta, lanam xylinam largiuntur, e qua pretioſam byſſum Aegyptii texuerunt (*Cf. Forſterum de byſſo veterum, Lond.* 1776. 8.). Duplici nomine, בַּד antiquo copioſe, בּוּץ recentiori ſemel *Paral.* 15, 23. ea byſſus citatur. Byſſum Ebraeorum flavam fuiſſe, teſtatur *Pauſanias* (5, 5.), *Herodotus* (3, 106.) easdem arbores deſcribit. Male fabuloſus *Philoſtratus* (*vit. Apollon.* 2, 20.) folia ſalicis ſimilia facit.

Pterocarpus ſantalinus exhibet lignum depraedicatum ſantalinum, (אַלְגֻּמִּים) quod tyriae naves e Ceylona apportabant. Nec poſtmodum id lignum in Palaeſtina unquam occurrebat (1 *Reg.* 10, 11.). *Koenigius* eam arborem primus in Ceylona et Indiae montibus detexit (*Linn. ſuppl. p.* 318. 319.).

Cicer Lens (עֲדָשִׁים).

Vicia Faba (בּוֹל).

Hedyſarum Alhagi (קִימּוֹשׁ, קְמֶשׁוֹן). *Pro-*

verb. 24, 31. *Celsius*, auctoritate R. Melech fretus *(hierob.* 2, 207.) Urticam habet. Sed Rabbinus *Petachia*, ubi de montibus Ararat loquitur, hoc nomine manifesto Hedysarum Alhagi describit *(itiner. ed. Wagenseil. p.* 191. 192.).

Artemisia iudaica s. *Abrotanum* (לַעֲנָה *Ierem.* 9, 15.).

Pinus Cedrus sine dubio אֶרֶז est, cedrus Dei, altissima arbor, quam Ebraei cognoscunt, materies optima. Regerit quidem *Celsius*, Salomonis iussu *(2 Paral.* 2, 18.) 80,000 hominum in montes abiisse ut ligna haec succiderent, nostris vero temporibus pauciſſimas cedros in Libano supereſſe. At infirmatur ea obiectio, si observamus, *Vateri* et *Wettii* inquisitionibus auctoritatem librorum Paralipomenorum satis labefactatam esse, neque numeros in iisdem obvios ad amussim intelligendos esse. Dein etiam fieri facile potuit, ut ante hos 3000 annos sylvae cedrorum montes obtegerent, dum hodie paucae supersunt.

Pinus Cembra (בְּרוֹשׁ) ab Esaia cum cedro ob venustatem et altitudinem semper nominatur. Etiamnum frequens in Libano est.

Pinus Picea dicitur עֵץ הַשֶּׁמֶן ob terebinthinae copiam, quae inde elicitur.

Fagus Castanea forte תִּדְהָר et *Buxus sempervirens* תְּאַשּׁוּר est, quas *Esaias (41, 19.)* inter elegantes numerat arbores.

Iuglans regia ſemel (*Cant.* 6, 10.) nomine אֱגוֹז citatur.

Quercus Ilex (תִּרְזָה *Eſ.* 44, 14.).

Quercus Eſculus (אַלוֹן *Ezech.* 44, 6.) in Baſanitica regione frequens, ad navigiorum materiem adhibita.

Cupreſſus ſempervirens dicitur גֹּפֶר fuiſſe, quo Noa ad arcam conſtruendam uſus fuit. Creditur ob levitatem commodiſſimam materiem fuiſſe.

Platanus orientalis intelligitur ab antiquiſſimis interpretibus ſub עַרְמוֹן, quae *Ezech.* 31, 8. ob frondes venuſtas laudatur.

Ricinus communis ſine dubio eſt קִיקָיוֹן, ſub cuius umbra cubavit Ionas.

Cucumis Dudaim ob fragrantiam et bellam formam eſſe דּוּדָאִים Leae (*Geneſ.* 30.) videtur. Rabbini quidem cum ſcriptoribus medii aevi plerisque *Atropam Mandragoram* eſſe arbitrantur. Quorum ſententias expoſuit *Hieron. Tragus p.* 891. 892. Neque tamen de hac radice dici poteſt, vel fragrantem eſſe vel eſui gratam.

Cucumeres Melones et *Chate* (אֲבַטִּחִים et קִשְּׁאִים) anxie deſiderarunt Iſraelitae in deſerto (*Num.* 11, 5.). Utraque ſpecies, *Forskoleo* et *Denonio* teſtibus etiamnum frequenter in Aegypto colitur.

Cucumis prophetarum פַּקָּעוֹת (2 *Reg.* 4, 39.)

esse videntur: namque Colocynthides in Palaestina haudquaquam proveniunt.

Pistacia vera, cuius fructus בָּטְנִים nomine *(Genes.* 43.*)* tanquam Palaestinae peculiares Iacobus iubet in Aegyptum avehi.

Pistacia Terebinthus nominibus אל, אֵלָה et אֵלוֹן frequenter occurrit.

Pistacia Lentiscus mastichen largitur, quae צֳרִי dicta, cum pistaciis et balsamo nominatur.

Excoecaria Agallocha lignum aloës est, quod אֲהָלִים *(Num.* 24, 6.*)* dictum ob odoris suavitatem laudatur.

Salix babylonica s. *aegyptiaca* (עַרָבִים).

Borassus flabelliformis s. Lontarus domestica Gärtn. largitur, teste Herberto de Iager apud *Kämpfer amoen. exot.* 668. *bdellium* בְּדֹלַח *(Genes.* 2, 13. *Num.* 11, 7.*)*, quod in Paradiso terrestri fuit. Crescere autem hanc palmam in Arabia felici et Persiae litoribus australibus testatur praeter Kämpferum *Forskoleus flor. arab. p. CXXVI.*

Iuniperus Oxycedrus (רָתָם *Ioh.* 30, 4. 1 *Reg.* 19, 5.). Sed *Forskoleus (flor. arab.* 214.) huc trahit Genistae speciem, quam *Raetam* dicit, *Spartium* forte *angulatum*. Neque tamen altitudo ea est, ut sub umbra sedere quis possit.

Populus alba (לִבְנָה)

Acacia vera s. *arabica Willd.* (שִׁטָּה) ob

materiem praeſtantiſſimam et olim et nunc etiam celebrata, noſtris temporibus ſimili nomine تمر Arabibus dicitur.

Phoenix dactylifera (תָּמָר).

En floram biblicam, quatenus coniectura probabili plantarum nomina conſequi poſſumus. Ditior omnino eſt Homericâ, haec tamen maiore certitudine definiri poteſt.

CAP. II.

FLORA HOMERICA.

Olea europaea. Binae varietates occurrunt: oleaſter (φυλίη) et olea culta (ἐλαία *Od.* 5, 477.). In hortis Laërtis et Alcinoi haec laudatur. Euphorbum, Panthei filium formoſum componit poëta cum olea, in agris humidis creſcente et floribus albis onuſta (*Il.* 17, 53.). Ad ſinum Phorcyos Ithacenſem olea erat umbroſa ſacra (*Od.* 13, 102. 122.). Ulyſſis thorus coniugalis e trunco oleae umbroſae conſtructus erat (*Od.* 23, 190.). Varia inſtrumenta ex oleae ligno fabrefacta erant: clava Cyclopis (*Od.* 9, 320.), trabes, qua Ulyſſes monſtro oculum extorſit (*Od.* 9, 378.), ſecurium denique manubria (*Od.* 5, 236. *Il.* 13, 612.).

Fraxinus excelſior (μελία) et nemoribus montoſis provenit (*Il.* 16, 767. 13, 178.). E ligno lanceae et iacula ſculpebantur (*Il.* 2, 543. 5, 666.),

quae ideo saepius τὰ μειλινὰ aut μελίαι appellantur: unde et bellicosi viri et fortes vocantur ἐϋμμελίαι (*Il.* 4, 47.).

Crocus sativus cum hyacintho et loto inter fragrantes flores numeratur, quibus Iupiter tellurem ornaverit (*Il.* 14, 347.). *Gladiolus communis* est is hyacinthus.

Scirporum species variae sub σχοίνῳ intelliguntur, qui fluviorum ripas vestit (*Od.* 5, 463.).

Cyperus forte *mucronatus* aut *longus*, in Italia et Graecia frequentes sunt κύπειρον Homericum, quod perperam a *Voſſio* ad Galangam refertur.

Cyperus Papyrus funes largiebatur, qui τῶν βυβλίνων nomine, ad portas occludendas adhibebantur (*Od.* 21, 391.). Cf. *Theophr. hist.* 4, 9.

Arundo Donax, δόναξ nomine obvenit. E culmis eius graminis heroës Homerici sagittas pararunt (*Il.* 11, 584.) quemadmodum nostrae aetatis Itali fistulas inde aliaque conficiunt utensilia.

Fueritne Arundo an Eriophori quaedam species, qua Achillis tentorium tectum erat, ambigo. E paludibus autem λαχνήεντα illum ὄροφον collegerunt (*Il.* 24, 450.).

Frumenti species ab Homeridis memoratae sunt praeprimis *Triticum hybernum* s. *aestivum* (πυρὸς), quod cum *Hordeo vulgari* (κριθῇ) utplurimum coniungitur (*Od.* 4, 604. 9, 110.).

Penelopes anſeres tritico ſaginantur *(Od.* 19, 536.*)*. Ipſos Hector equos tritico paſcit, vino ſimul propinato *(Il.* 8, 188.*)*. *Galenus* arbitrans, non ſine noxa equos tritico veſci, μικρούς πυρούς i. e. τίφην ſ. *Secale* intelligit *(facult. alim.* 1, 313.*)*. Variae regiones, ut Buprafion *(Il.* 11, 755.*)*, Argos *(Il.* 15, 372.*)*, Dulichion *(Od.* 14, 335.*)* et Syriae inſula *(Od.* 15, 405.*)* ob tritici praeſtantiam celebrantur. Hordeum inſuper, κριθῆ in κρῖ contracto, hac voce appellatur, additis epithetis λευκοῦ et εὐρυφυοῦς *(Od.* 4, 41. 604. *Il.* 5, 196.*)*.

Triticum Spelta aut *Zea* Hoſt. vocantur ὄλυρα et ζεία. Utraque pro pabulo equis datur *(Il.* 5, 196. 8, 560. *Od.* 4, 41.*)*. Hinc *Herodotus* de Aegyptiis refert, animalium more veſci ὀλύρᾳ, quam alii ζέαν appellent *(*2, 34.*)* *Galenus (expoſ. voc. Hipp. p.* 478.*)* utrumque idem habet, ut et *Dioſcorides* (2, 113.*)*, *Plinius* fere ſolus (18, 8.*)* discrimen agnoſcit inter utramque ſpeciem, quod, ſi *Hoſtium (gram. auſtr.* 3. *t.* 29. 30.*)* ſequimur, defendi poteſt. *Triticum* enim *Spelta* habet internodia ſpiculas aequantia margine glabra; *Tr. Zea* vero internodia ſpiculis longiora margine piloſa.

Ficus Carica (ἐρινεὸς) ſaepius occurrit. Lycaon, Priami filius, ipſe in patris horto putaſſe ficus dicitur.

Cornus maſcula (κρανείη) Fructus Circe Ulyſ-

ſis comitibus, velut ſuillum pabulum, exhibuit (*Od.* 10, 242.). Sylvarum dicitur arbor, ταν-ύφλοιος (*cortice protenſo*) *Il.* 16, 767.

Viola odorata et *Apium graveolens* (σέλινον) prata Calypſus nymphae adeo ornabant, ut Hermes ipſe mirabundus pedem figeret (*Od.* 5, 72.). Apium vocatur paludoſum (ἑλεόθρεπτον *Il.* 2, 776.). Diis infernis ſacrum, in iſthmicis ludis ad conficienda victorum ſerta adhibebatur (*Pindar. iſthm.* 2, 23. 8, 137.).

Tamarix gallica (μυρίκη) frutex humilior, trunco tamen ſatis valido, appellatur (*Il.* 6, 39. 21, 18.).

Zizyphus Lotus (λωτὸς), cuius ἄνθινον εἶδαρ (fructum florentem) Ulyſſis comites hactenus ceperunt, ut ipſorum patriae oblivīſcerentur (*Od.* 9, 83.), eadem arbor eſt, cuius fructus in Barbaria *Fontaneſius* noſtris temporibus guſtavit (Cf. *antiqu. bot. p.* 51.).

Vitis cultura Homeridarum tempore latiſſime vigebat per Aſiam minorem et aegaei maris inſulas. In hortis Alcinoi inſulae Scheriae uvae ſolis calore torrefactae largiebantur dulce vinum (*Od.* 7, 121. Cf. *Seumii ambulationem ad Syracuſas*, 2, *p.* 236.). Pramnium vinum dulce etiam fuiſſe videtur, nomen merito derivatur a monte Carico, Pramne (*Villoiſon ſchol. ad Il.* 11, 638. Cf. *hiſtoriam meam medic.* 1. *p.* 162.). In Laërtis

hortis vineae adeo feraces erant, ut Ulyſſi, infanti, a patre quinquaginta vites promitti potuerint (*Od.* 24, 342.). Achillis clypeus vindemiae iconem referebat (*Il.* 18, 561.).

Ulmus campeſtris (πτελέα) in Iliade bis occurrit (6, 419. 21, 242.). Nymphae monticolae eas arbores ſepulcro Eetionis circumponunt.

Moly, quod Hermes Ulyſſi, velut antidotum ebrietatis commendat (*Od.* 10, 305.) in maximam iamdudum contentionem venit, varieque expoſitum fuit. Nigram ipſi poëta tribuit radicem, lacteum florem, effoſſu difficile habet. *Theophraſtus* (*hiſt.* 9, 15.) paullo curatius hanc plantam definiens, radicem contendit eſſe rotundam, ceparum more, folia ſcillae ſimilia, neque effodi adeo aegre, ac Homerus perhibeat. Optimum provenire apud Pheneum Arcadiae et Cyllenen: praeſtans eſſe antidotum. Unde efficitur, Allii ſpeciem eſſe. Simili plane ratione Moly ſuum deſcribit *Dioſcorides* (3, 54.) flore albido, foliis anguſtis et radice exigua. Quibus *Plinius* (25, 4.) addit, Graecos auctores florem flavum pingere, quum Homerus album pronunciet. Incertum tamen eſt, quosnam auctores Graecos Plinius ſubintelligat. Hunc vero ſequens *Car. Cluſius*, ineunte ſaeculo XVII., Allii ſpeciem quamdam Moly declaravit, quod folia radicalia lanceolata et flavum florem habebat (*App. alt. ad ſtirp. rar. in*

Exot.). Cluſii auctoritate niſus *Io. Bauhinus (hiſt. plant.* 2, *p.* 562.) Allium id, e pyrenaeis montibus acceptum, verum Moly veterum pronunciavit: cuius veſtigiis adhaeſit *Linnaeus*, dum Allium id nomine triviali *Moly* inſigniret.

Nihilominus verum Homericum Moly ab ipſo *Cluſio (ſtirp. hiſt.* 2, 37. *p.* 191.) optime indicatur, quem ſequitur *Io. Raius (hiſt.* 2, *p.* 1122.). Plantam hanc Cluſianam cum plurimis aliis neglexit *Linnaeus*, ſed eadem eſt omnino cum ipſius *Allio nigro* et *A. monspeſſulano Gouani (illuſtr. t.* 16.). Omnes enim a veteribus, excepto uno Plinio, indicatae notae ad hanc ſpeciem iure referuntur: radix nigra, folia latiuscula radicalia, flos lacteus: quid, quod ipſae radices, dum exaruit planta, aegerrime effodiuntur. Creſcit autem per totam Europam auſtralem et in ipſis balearicis inſulis, quarum una ſine dubio Aeaea, Circes domicilium, fuit.

Aſphodelus in Odyſſea, ut planta infernorum occurrit. Haud procul a rupe leucadica (Gibraltar hodie) ad Oceani undas et portas Solis, regio inſomniorum incipit, ubi homines beate vivunt ad inſtar Deorum, ubi et prata florent aſphodelorum (*Od.* 11, 539. 24, 13. 14.). Per auſtralem autem Hiſpaniam, *Cluſio (hiſt.* 2, 39. *p.* 196.) et *Löflingio (ſpan. Länder, p.* 25.) teſtibus, vaſti campi *Aſphodelo ramoſo* conſiti, obſervantur.

Tubera radicis a priſca Graecorum gente comedebantur (*Heſiod. op. et dies*, 40.) et *Porphyrius* meminit (*vit. Pythag. p.* 195.), Pythagoram etiam hoc cibo veſci ſolere. Sacer itaque aſphodelus is apud Graecos veteres exiſtimabatur, unde et ad tumulos plantari conſuevit (*Porphyr. apud Euſtath. ad Od.* 10, 573.).

Lauri nemuscula memorantur in Sicilia (*Od.* 9, 183.)

Arbores fructiferae in hortis Alcinoi et Laërtis ſunt *Pyri*, quae ὄγχνας, *Mali*, quae μῆλα et *Punicae*, quae ῥοιὰς ferunt. Pyra eo nomine appellari, ob adſtringentem indolem (διὰ τὸ ἄγχειν), *Euſtathii* eſt ſententia, nimis artificioſa, et non ſatis plauſibus digna (*Euſt. ad Od.* 7, 120.).

Crataegî probabiliter ſpecies, quae forte *Azarolus* fuit, ſemel nomine ἀχέρδου (*Od.* 14, 10.) occurrit, quum arbuscula ſpinoſa facile manus laedat (ἄχερος, ἧς οὐχ ἅψασθαί ἐστι χειρί. *Euſtath. ad h. l.*).

Rubi forte ſpecies βάτος eſt (*Od.* 24, 230.), ſed poteſt etiam quivis frutex ſpinoſus intelligi.

Papaver ſomniferum (μήκων) in hortis colebatur (*Il.* 8, 306.). In Aegypto a priſtinis inde temporibus caulis largiebatur ſuccum, opium noſtrum, quod νηπενθὲς dictum, Helena a Polydamna accepit (*Od.* 4, 220.).

Piſum ſativum (ἐρέβινθοι) et *Vicia Faba* (κύα-

μοι μελανόχροες) ferebantur Homeridarum aevo (*Il.* 13, 589.).

Trifolii ſpecies, quaenam ſit, quam λωτοῦ nomine (*Il.* 2, 778. *Od.* 12, 283.) pabulum equorum fuit, in contentione eſt.

Citrorum ligna, θύου nomine in Odyſſea (5, 60.) invenire voluerunt nonnulli: ipſe quoque *Voſſius* ita interpretatur. Vox illa tus etiam ſignificat, atque a *Dionyſio Periegete* (v. 937.) eodem ſenſu uſurpatur. *Theophraſtus* quoque ſub nomine θύας ſeu θυίας (*hiſt.* 5, 5.) arborem deſcribit, quae eſt Thuia articulata. Citrum medicam alio longe loco (4, 4.) Mali medicae nomine deſcribit. Iure etiam ambigendum eſt, cognoverint Graeci Citrum medicam ante Alexandri ἀνάβασιν. Namque ipſe *Athenaeus* (*deipn.* 3, 8.) licet fabulae malorum heſperiorum ab Hercule apportatorum meminerit, primum tamen citrorum veſtigium eum locum habet Theophraſti. *Plinius* autem (13, 16.), in lectica ſomniabundus forte, quae in Graecis auctoribus male legerat, nepoti dictans, omnia confundit. Locum eum Odyſſeae citros indicare perhibet, quod nonniſi ligna iunctim nominentur, cedri ac laricis. Laricem autem nequaquam reperimus eo loco: ipſeque *Plinius* opinione labitur, dum de Circe narrat, quae Calypſum reſpiciunt. Id bene iam animadvertit *Anguillara* (p. 48.).

Alnus oblongata Willd. (κλήθρη *Od.* 5, 64. 239.) axillis venarum in facie foliorum infera nudis a boreali *Alno glutinosa* differt: illa in australi Europa obvia.

Quercus Homericae ad duas potissimum species reducuntur: *Qu. Ilex*, cuius fructus ἄκυλα, et *Qu. Esculus*, cuius βάλανοι nominantur. Primus fere *Valer. Cordus* (*annot. in Dioſc.* 1, 144.) monuit, φηγὸν Graecorum quercum potius esse orientalem, quam fagum nostram sylvaticam. Esculus enim, non fagus, Iovi sacra fuit (*Il.* 5, 693.). Δρῦς vero utplurimum ilicem signat: maxime ubi nigra materiei medulla (τὸ μέλαν δρυὸς) memoratur (*Od.* 14, 12.).

Platanus orientalis semel voce πλατανιστοῦ (*Il.* 2, 307.) laudatur. Qui acera intelligunt, ad verba: ὅθεν ῥέει ἀγλαὸν ὕδωρ, et ad laticis aquosi ex acerum alburno stillantis indolem consilium transtulisse videntur. Neque tamen iure, quum ὅθεν non ad arborem, sed ad solum umbrosum referendum sit: sic enim *Cicero* vertit:

„Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai.“

Aceris nomen insuper longe aliud apud Graecos, σφένδαμνος nimirum.

Caricis species quaedam θρύον est, quae cum σχοίνῳ ad fluminum ripas provenit (*Il.* 21, 351.).

Pinus Picea aut alia forte species, quod uberius in flora *Theophrasti* diiudicabitur, est πεύ-

κη. Materies (*Il.* 23, 328.) laudatur, quod pluvia nunquam putrefcat.

Pinus Larix (πίτυς). Excelfa (βλωθρὴ) dicitur (*Il.* 13, 390. 16, 483.), quam in montium cacuminibus fuccidant ad trabes navigiorum.

Pinus Abies (ἐλάτη). Excelfa eft (*Il.* 5, 560.). Idam habitat (*Il.* 14, 287.): materiem largitur levem, ad trabes et repagula commodam (*Il.* 24, 450.). Ex ea etiam rami politi et ipfi mali navium conftruebantur (*Il.* 7, 5. *Od.* 2, 424.). *Theophraftus* (*hift.* 3, 10.) mafculam et femininam distinguit. Cf. etiam *hift.* 1, 13. Prior poteft etiam ad *Pinum Pinaftrum* referri, cuius folia cum criftis galearum comparat boeoticarum.

Cupreffus fempervirens femel (κυπάριττος εὐώδης *Od.* 5, 64.) memoratur. Lignum eft fuaveolens.

Salices (ἰτέαι) vocantur ὠλεσίκαρποι (*Od.* 10, 510, quod femina comata facillime delabantur, mafculae etiam arbores amenta tota citiffime amittant (Cf. *Theophr. hift.* 3. 2.).

Populus alba, ad fcholiaftarum fententiam eft Ἀχερωΐς, quod Hercules, ad infernos defcendens, ex Acheronte eam fecum adduxerit (*Il.* 13, 389. 16, 482.).

Populus nigra eft αἴγειρος. Aquam amat (*Od.* 17, 208.) et aetherea vocatur (*Od.* 7, 106.) ubi perperam *Voffius* populum albam habet.

Certiſſime autem noſtram ſpeciem intelligi manifeſto e *Dioſcoride* (1, 113.) elucet, qui reſinae fragrantis meminit, e gemmis arboris elicitae, quae ob flavidum colorem cum electro commutaretur.

Buxi ſempervirentis lignum ad iuga armentorum adhibebatur (*Il.* 24, 268.).

Phoenix dactylifera ſemel tantum (*Od.* 6, 163.) in Delo inſula memoratur.

Phucagroſtis maior Caulin. aut *Zoſtera marina*, utraque maris mediterranei incola, φύκου nomine inſignitur (*Il.* 9, 5.). Litus vocatur φυκόεν (*Il.* 23, 693.). Seriore aevo Fucorum ſpecies intelligebantur, qui partim a *Dioſcoride* (4, 100.) et *Theophraſto* (4, 7.) notantur.

CAP. III.

MONUMENTA ARTIS ANTIQUAE.

Pauculae ſunt plantae in artis antiquae reliquiis delineatae; eae autem nonnunquam tam negligenter ſculptae aut exaratae aut pictae, ut coniectura tantum conſequi, haud certo ſcire poſſimus, ad quamnam pertineant ſpeciem.

I. AEGYPTIORUM.

Aegyptiorum monumenta *lotum* mythicam frequentiſſime habnet. Eſt ea *Nelumbium ſpecioſum*

Willd. ſ. *Cyamus Smith.*, ſacra Aegyptiis planta, quod elegantiſſima foliorum rotundorum forma, pulcherrimus flos et myſticus ortus quotidianus e Nili undis ad divinam naturam ſpectare videretur. Iſis ipſa loti folio coronata conſpicitur (*Pococks Reiſe*, 1. *tab.* 60. 61.). E loto Oſiris ortus, in foliis loti tanquam in navigiis natare dii veteres dicebantur. Harpocrates loto inſidebat: in ipſis numismatibus Ptolemaeorum ea planta occurrit (Cf. *antiqu. meas bot. p.* 56.). Fructus edebantur (κύαμος αἰγύπτιος), ſed, ſacerdotibus et Pythagoricis, eorum aemulis, interdictum putabatur, ne fabis his veſcerentur (*Cic. divin.* 1, 30. Cf. *Smith's exot. bot. n.* 7. *tab.* 31. 32.).

Perſaeae arboris etiam et *Papyri* partes exhibent monumenta Aegyptia. Illa Iſidi ſacra (*Plutarch. Iſ. et Oſir. p.* 378.) huius iconibus ſtatuisque et ipſarum mumiarum integumentis appingitur. Arbor ea cum primis Aegypti incolis ex Aethiopia advenerat (*Diodor. Sicul.* 1, 34. *Schol. Nicandr. ther.* 764. *p.* 51.), ob cordatam foliorum formam et gratum fructuum ſaporem praeſertim grata. Eſt autem *Cordia Myxa*, quod *Schreberus* eruditiſſime probavit (*Uſteri's Magaz.* 5, 14.). Fructus μυξάρια ſunt (*Diodor. l. c. Heſych.* μυοξία), in quibus interpretes tantopere deſudarunt.

Scilla maritima, κρομμύου nomine, Aegyp-

tiis cariſſimum et antiquiſſimum remedium contra Typhonis peſtem, aërem paludoſum, Peluſii graſſantem, et hydropes inde ortos exhibuit. Hinc Peluſii templum κρομμύου fuit (*Lucian. Iupit. trag. p.* 152. *Sext. Empir.* 3, 224.). Typhonis oculus ipſe bulbus allegorice ab Aegyptiis nominabatur. Eo hieratico ſermone conſcriptos plures de hiſtoria naturali libros ſemet vidiſſe teſtatur *Heliodorus* (*aethiop.* 4, 142.), *Plutarchus* etiam et *Iamblichus* (*myſter. Aegypt.* 7, 150.) haud paucas eiusmodi appellationes evulgarunt.

Sycomorus in antiquo opere caelato, quod *Nordenius* (*voy. en Egypt.* 1. *t.* 58.) exhibet, unica fere eſt.

II. GRAECORUM.

Incredibilis ac paene divina illa Graecorum vis in arte ſculpendi, caelandi et pingendi ſolas fere deorum imagines aut hiſtoriae patriae capita aut etiam animalium icones complectebatur, plantas autem fere neglexit. Neque tamen deſunt, utut pauca, plantarum veſtigia.

De antiquiſſimo Achillei clypei artificio, in Iliade deſcripto iam ſermo fuit. Similia fere ſcutum Herculis Heſiodeum continet. Λάρναξ quoque Cypſeli, in templo Junonis Olympiae ſervatus, caelata opera plurima habebat, inter quae Atlas

conſpiciebatur, Heſperidum mala portans: Bacchus etiam in antro cubans, quod circumſteterunt vites et mali et punicae (*Pauſan.* 5, 18. 19.).

Sacrae Diis arbores et herbae cum eorum ſimulacris plerumque ſimul fingebantur. Apollini laurus ſacra; Bacchus pampinis, Ceres ſpicis frumenti, Pan pinuum ramis coronati. Iovi eſculus (*Virgil. georg.* 2, 15.): Diti cupreſſus (*Plin.* 16, 33.): Veneri myrtus: Cybeli pinea arbor: Oſiri hedera (*Diod. Sic.* 1, 17.): Apollini tamarix (*Nicandr. theriac. v.* 613. *ſchol.*): Hermeti populus nigra ſacrae.

„Populus Alcidae gratiſſima, vitis Iaccho,
„Formoſae myrtus Veneri, ſua laurea Phoebo.“

(*Virg. ecl.* 7, 61.).

Ipſum plantarum ortum poëtae et Graeci et Romani Diis tribuerunt. Earum celeberrima exempla haec ſunt:

Hyacinthi Spartani formoſiſſimi mors Apollini amoris furore agitato adſcribitur. Ortus ex eo flos VV ſeu AIAI inſcriptas literas habuit, quoc tum in Delphinium Aiacis, tum in Gladiolum communem quadrat (*Ovid. metam.* 10, 212. f.).

„Flos oritur, formamque capit, quam lilia; ſi non
„purpureus color hic, argenteus eſſet in illis.
„Non ſatis hoc Phoebo eſt, is enim fuit auctor honoris.
„Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit, et *ai ai*
„flos habet inſcriptum, funeſtaque litera ducta eſt.“

Similiter fabulam narrant *Apollodorus* (3, 10 3.) et *Lucianus* (*dial. deor.* 14.). Ex Ai

cis autem Telamonii cruore natum esse florem, cum *Nicandro* (*Athen.* 15, *p.* 683.) alii fabulantur.

Narcissus, sui ipsius amore flagrans, in florem cognominem mutatus est (*Pausan.* 9, 31. *Ovid. met.* 3, 510.). Esse vero Narcissum poëticum, patet ex *Ovidii* versibus:

„Croceum pro corpore florem
„inveniunt, foliis medium cingentibus albis."

Lauri ortus e Daphnes mutatione ab *Apollonio* (*argon.* 1, 12.) et ab aliis (*Eustath. ad Homer. Il.* 1, 14. *Geopon.* 11, 2.) et in ipsis gemmis (*Maffei* 2, *t.* 44.) celebratur.

Heliadum, Solis filiarum, mutatio in populos nigras, quae electrum exsudent, satis nota est (*Virgil. aen.* 10, 190. *Diodor. Sic.* 5, 23. *Ovid. metam.* 2, 340.). Alii volunt, alnos inde ortas fuisse (*Strabo* 5, 329.).

Hamadryadum fabula, a *Pindaro* primo excogitata (*Schol. Apollon. argon.* 4, 479.), cuique arbori suam tribuebat nympham, cuius vita ἰσόδενδρος sit. Inde cognomen id in Orphico hymno (1, 13.) iuniorem prodit originem. *Virgilius* tamen (*ecl.* 10, 62.) eas cognoscit.

Dryadum nomen et Epimelidum ab Arcadibus primis Naiadibus tributum fuit (*Pausan.* 8, 4.).

Mintham pellicem in Mentham mutatam esse

a Plutone, cecinit *Oppianus* (*halieut.* 3, 386.) Cf. et *Strab.* 8, 530.

Cupreſſus e Cypariſſo, Apollinis amaſio, nimis lugente (*Ovid. met.* 10, 136.). Plures Cupreſſi aliis Eteoclis filiae dicuntur (*Geopon.* 11, 4.).

Pinus puella fuit a Borea et Pane pariter adamata, ab illo vero trucidata (*Long. paſtor.* 2, *p.* 37. *Geop.* 11, 10.).

Violam primam ortam fuiſſe, cum Iona, Xuthi filium, Nymphae eſſent coronaturae, *Nicander* fabulatur (*Athen.* 15. *p.* 683.).

Roſa vel e Veneris ſauciae vel ex Adonis cruore (*Bion.* 1, 66. *Geop.* 11, 17.).

Anemonen e lacrimis Veneris (*Bion.* 1, 66.).

Αἷμα ῥόδον τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν Ἀνεμώναν.

Adonin ipſam aeſtivalem e cruore Adonis, quem Venus deperibat, *Ovidius* canit (*metam.* 10, 725.).

Myrrha, Cinyrae filia, in patrem amore furens, mutata fuit in cognominem arbusculam (*Id.* 10, 490.).

Clytie nympha in florem verſa, quem Heſperin habeo matronalem (*Id.* 4, 267.)

Leucothoë virgo, ab Apolline adamata, in arborem turiferam mutata (*Id.* 4, 250.).

Myrtus e Myrſine puella occiſa (*Geop.* 11, 6.).

Tandem *Pherenicum*, poëtam Heracleoten

epicum celeberrimum fuiſſe his metamorphoſeon fabulis ferunt. Oxylum, Hamadryadis ſororis concubitu genuiſſe cecinit Ficum, Cornum, Fagum, Populum, Ulmum, Vitim, et omnes has arbores Hamadryadas vocari: unde *Hipponactem* dixiſſe aiunt, ficum eſſe vitis ſororem (*Athen.* 3, 5.).

In operibus ipſis antiquorum variae plantae ob formarum elegantiam aut ob uſum praeſtantem figurantur. *Acanthum mollem*, quem *Vitruvius* caſu ſculptoribus innotuiſſe refert, et poculis et columnis et aliis inſtrumentis caelatum addebant (*Virgil. ecl.* 3, 45.). *Ferula tingitana*, cuius ſuccum pretioſum, Silphii nomine, maximi aeſtimabant, Cyrenes incolae in numis ipſorum cum Batti antiſtitis imagine figurare conſuerunt (*Schol. Ariſtoph. plut.* 218.).

CAP. IV.

FLORA HIPPOCRATICA.

Poſt Herodotum primus fere profaicus auctor, cui ſupereſt, Hippocrates Cous putatur. Librorum tamen ipſius nomine circumlatorum collectio variis omnino auctoribus remotiorum temporum adſcribenda eſt. Etenim ex Aſclepiadum familia, qui templo Coo praefecti erant, ſeptem fere Hippocratis nomini appellantur: eorum primus, Gno-

fidici filius, Miltiadi tempore aequalis, ultimi autem, Thymbraei et Praxianactis filii, Ptolemaei Philadelphi tempore vixerunt. Per totum id ducentorum quinquaginta annorum ſpatium compoſiti ſunt libri illi, qui unius Hippocratis, Heraclidis filii nomen gerunt (Cf. *hiſt. meam med.* 1, *p.* 366 f.).

Univerſa plantarum cognitio his medicis auctoribus ſolummodo valet ad medicamenta inde petenda. Nusquam deſcriptio occurrit, qualem noſtra tempora eam volunt. Nomina nonnunquam omittuntur ipſa, e. g.: „Planta, cuius folium Aro ſimile „eſt, ſed album et lanuginoſum, atque hederae fo„lium magnitudine aequat“ (*ulc. p.* 878.).

Alibi (*morb. mul.* 1. 626.) „dulcis ὁλοκωνίτις“ citatur. *Galenus* (*expoſ. voc. Hipp.* 534.) aliter eam vocem explicare nequit, quam per oleris cuiusdam ſylveſtris ſpeciem. Hanc plantam *Melch. Guilandinus* arbitratur (*ad Conr. Geſner. inter Matthiol. epiſt.* 2, 85.), Cyperum eſculentum eſſe. Ipſi etiam *Conr. Geſnerus* adſtipulans, Moly omnino Dioſcoridis adiungit (*ib. p.* 92.). Sed refutat uberrime et ſufficienter *Matthiolus* (*ib. p.* 96.). Sic bis (*morb. mul.* 2, 644. *epid.* 5, 1151.) „radix“ κατ' ἐξοχήν laudatur. *Galenus* (*l. c.* 554.) arbitratur, plantam intelligi ſine caule, flore ac fructu, cuius terna folia duos digitos lata humi procumbant. E qua quidem explicatione nemo poterit plantarum ſpeciem deter-

minare: itaque ſumma florae Hippocraticae difficultas inde patet.

Neque tamen eo minus experiamnr, quid, *Erotiano*, *Galeno*, *Theophraſto* et *Dioſcoride* adiuvantibus, in his obſtaculis praeſtare poſſimus.

Blitum capitatum (βλίτον, *affect.* 526.) oleribus adnumeratur, quae alvum ducant: confirmatur id *Dioſcoridis* teſtimonio (2, 143.).

Amomum Cardamomum (καρδάμωμον, *morb. mul.* 1, 603.) ante Alexandri ἀνάβασιν Graecis ignotum fuiſſe videtur. Libri etiam, in quibus memoratur, Ptolemaeorum aevum ſapiunt.

Amomum Zingiber, *Meneſtheo* et *Xenocrati* dicitur Ἰνδικὸν φάρμακον (*morb. mul.* 2, 666.). Alii vero perhibuerunt, plántam eſſe Piperi ſimilem, cuius fructus μυρτιδανὲς audiat.

Piper nigrum (πέπερι, *vict. acut.* 401. *morb.* 3, 494.).

Olea europaea. Κοτινὰς (*morb.* 3, 495.) videtur fructus oleaſtri eſſe (*Galen. expoſ. voc. Hipp.* 506.).

Salvia officinalis, *cretica* et *triloba.* Tres hae ſpecies ἐλελίσφακον videntur ſignificare, quod ſaepius occurrit.

Iris florentina (ἶρις, *morb. mul.* 2, 673.).

Cyperus longus (κυπείρον, *vict. acut.* 409.). Eius radices odoratae officinales.

Andropogon Nardus (σχοῖνος εὔοσμος, *morb. mul.* 2, 673.).

Panicum italicum (κέγχρον, *morb. mul.* 1, 619.).

Hordeum vulgare. Varietas eius, κριθὴ Ἀχιλλητὶς (*morb.* 3, 496.), laudatur. Distinguit eam *Theophraſtus* (*hiſt.* 8, 4.) ſpicis ipſi folio inſidentibus et granis ſatis ponderoſis.

Rubia tinctorum (ἐρυθρόδανος, *vict. acut.* 407.).

Convolvulus Scammonea (σκαμμωνίον, *morb. mul.* 1, 597.)

Hyoscyamus albus (ὑοσκύαμος).

Atropa Mandragora (μανδραγόρα, *fiſtul.* 890.).

Anchuſa officinalis (ἄγχουσα, *ulc.* 879.).

Anagallis arvenſis (ἀνάγαλλις *ib.*).

Solanum nigrum (στρύχνον, *ulc.* 875.).

Cyclamen europaeum (κυκλάμινος *morb. mul.* 1, 612.). Draſticum ſuccum exhibebant.

Verbaſcum Boerhaavii (φλόμος *ib.*).

Viola odorata (λευκοΐον τὸ μέλαν, *nat. mul.* 570. Cf. *antiqu. meas bot. p.* 4, 5.).

Zizyphus vulgaris (ξάμνος, *affect.* 525. Cf. *Dioſcor.* 1, 119.

Bupleurum rotundifolium dicitur quibusdam βούπρηστις (*morb. mul.* 1, 619.) eſſe. *Theophraſtus* (*hiſt.* 7, 8.), *Plinius* (22, 22.)

et *Galenus* (*l. c.* 450.) olus ſylveſtre habent βούπρηστιν.

Tordylium officinale ſ. *Liguſticum peloponnenſe* complectitur σέσελι (*vict. acut.* 387. *fiſtul.* 884.). Illud dicitur *Dioſcoridi* (3, 63.) creticum, hoc (3, 62.) Seſeli peloponneſiacum.

Peucedanum officinale (πευκεδανὸν).

Conium maculatum (κώνειον).

Athamanta cretenſis (δαῦκος) cuius ſemina roborantia dicuntur et calefacientia.

Athamanta Meum nonnullis videtur μόδου ῥίζη eſſe (*vict. acut.* 408.). Sed *Caelius Aurelianus* (*acut.* 3, 8.) interpretatur bryoniam.

Cuminum Cyminum (κύμινον αἰθιοπικὸν, *morb. mul.* 1, 603.).

Cachrys cretica (κάχρυς, *nat. mul.* 578.).

Cachrys ſicula (ἱππομάραθρον, *nat. mul.* 572.).

Crithmum maritimum (κρῆθμον, *morb. mul.* 1, 591.).

Smyrnium Olus atrum (ἱπποσέλινον, *morb. mul.* 1, 603.).

Anethum Foeniculum (μάραθρον, *morb. mul.* 1, 597.).

Ferula tingitana (σίλφιον), cuius ſemen φύλλον, vel λιβυκὸν vel αἰθιοπικὸν dicitur (*morb. mul.* 2, 626. 651. 670. *nat. mul.* 578.). Optimum Silphium erat Cyrenaicum (Cf. *annales meos hiſt. med.* 1.). Multo ſerius innotuit ὀπὸς Μήδικος, e

Ferula Aſa foetida, cuius meminerunt *Strabo* (11. *p.* 797.) et *Euſtath.* ad *Dionyſ. Perieget. v.* 1017.

Bubon Galbanum (χαλβάνη *vict. acut.* 402.).

Thapſia Aſclepium. Acris et cauſticus ſuccus, θάψος draſticum purgans conſtituit, ſaepius obvium.

Apium Petroſelinum (σέλινον, praeſertim ἥμερον.).

Apium graveolens (σέλινον ἄγριον, *affect.* 529. vel σίον.). Cf. *Anguillara p.* 122.

Pimpinella Aniſum (ἄννησον, *morb.* 3, 490.).

Paſtinaca Opopanax (πάνακες, *vict. acut.* 406.). Seriores addito Ἡρακλείῳ id distinxerunt ab Ἀσκληπίῳ (*Laſerpitio hirſuto*) et χειρωνίῳ (*Laſerpitio Chironio*). Sed L. Chironium L. valde dubium eſt. *Gouanus* enim (*illuſtr. p.* 20.) contendit, idem eſſe cum Paſtinaca Opopanace. Addit etiam ſe ex hac planta nullum principium reſinoſum elicere potuiſſe. Quod conceditur, quum clima monſpeliacum a graeco longe differat (Cf. *Savigny in Encycl.* 4, 719. 720.).

Atriplex hortenſis (ἀνδράφαξις l. ἀτράφαξις, *morb. mul.* 1, 597.).

Beta vulgaris (σεῦτλον, *vict. acut.* 404. Τεῦτλον *morb. mul.* 1, 609.). Utraque planta olerum ad inſtar edebatur.

Sambucus Ebulus (ἀκτῆ, *morb.* 2, 468.). Folia alvum laxare dicebantur.

Rhus coriaria (ῥοῦς ἐρυθρὴ, *nat. mul.* 572.).

Tamarix gallica (μυρίκη, *haemorrh.* 894.).

Scilla maritima (σκίλλη, vel etiam σχίνος, *morb. mul.* 2, 670. Cf. *Plutarch. Pericl.* 153. *Galen. l. c.* 576.).

Aſphodelus ramoſus (ἀσφόδελος *ulc.* 882.).

Narciſſus poëticus (νάρκισσος). Bulbi officinales erant (*Dioſc.* 4, 162.).

Acorus Calamus var. indica (κάλαμος μυρεψικος *morb. mul.* 2, 651). Quae in Guzurate ſponte creſcit, poſt Alexandri demum expeditionem Graeciam adlata fuit.

Daphne Cneorum (κνῆστρον) *Galeno* ſic explicante.

Daphne Gnidium. Semina (κόκκοι Κνιδίοι) draſtica.

Erica arborea ſ. *ſcoparia* (ἐρίκη, *nat. mul.* 572.).

Polygonum Perſicaria πολύκαρπον (*morb. mul.* 1, 615.) eſſe videtur, quum *Galenum* cognomen illi κραταιόγονον putat. Hoc autem *Dioſcorides* (3, 138.), *Plinius* (27, 8.) et *Galenus* (*fac. ſimpl.* 7, 94.) ita exponunt, ut manifeſta ſit Linnaeana ſpecies.

Laurus Cinnamomum et *Caſſia*, κινναμώμου et

καττίης nomine semel occurrunt (*morb. mul.* 1, 609.).

Ruta graveolens (πήγανον).

Saxifraga Cotyledon (κοτυληδὼν).

Gypsophila Struthium (στρουθίον, *nat. mul.* 571.). In Andro insula litus habitare.

Sedum Anacampseros (τηλέφιον, *nat. mul.* 573.). Cf. *Dioscor.* 2, 217. *I. Bauh. hist.* 2, 682.

Sedum album s. *acre* (ἐπίπετρον, *ulc.* 875.).

Euphorbia Characias (τιθύμαλος).

Euphorbia Apios et *Peplis* videntur succum acrem praebuisse, qui πέπλου et πεπλίου nomine toties occurrit. Similem substantiam, μηκώνιον s. μήκωνα λευκὴν largiebatur forte *Euphorbia Paralias* (Cf. *Föes. oecon. Hipp. p.* 249.).

Sempervivum tectorum (κριθάνθεμον, τὸ ἐπὶ τῶν οἰκιῶν φυόμενον, *nat. mul.* 570.).

Myrtus communis (μυρσίνη, *morb. mul.* 1, 599.) cuius baccae adhibebantur.

Punica Granatum. Fructuum cortex adstringens σίδειον dicitur, grana vero κόκκωνες (*morb. mul.* 1, 606.).

Crataegus Azarolus forte est ἀμαμηλίς (*morb. mul.* 1, 607. Fructus cum melle componitur. *Athenaeo* teste (14, 370.) est dulcis et ἀπυρηνὸς: arbor cum malis simul floret. *Galeno* haud facile adsentiri licet, dum (*facult. simpl.* 6, 83.) ἀμαμηλίδα eamdem habet ac ἐπιμηλίδα et

Arbutum Unedonem. Haec enim autumno floret, nec cum malis componi poteſt.

Sorbus domeſtica, cuius fructus οὔα appellantur (*vict. acut.* 405.).

Roſa canina (κυνόσβατος *ulc.* 875.).

Potentilla argentea eſt πεντάφυλλον illud, quod albidum et tomentoſum Tormentillam altitudine ſuperat (*ulc.* 880. Cf. *Grimmii interpretat. germanicam.*).

Tormentilla erecta (πεντάφυλλον μέλαν.).

Capparis ſpinoſa. Foliis et radicis cortice cauſticis utebantur externe (*fiſt.* 890. *Dioſc.* 2, 167. *Galen. fac. ſimpl.* 7, 88.).

Ciſtus creticus (κιστὸς, *morb. mul.* 1, 614.).

Delphinium Staphis agria (σταφὶς ἀγρία, *nat. mul.* 584.).

Nigella ſativa (μελάνθιον, *ſteril.* 675. Cf. *Dioſc.* 3, 93.).

Paeonia officinalis (γλυκυσίδη χηραμὶς et μέλαινα, *morb. mul.* 1, 611.).

Anemone coronaria (ἀνεμώνη, *morb. mul.* 1, 598.).

Aconitum Cammarum (κάμμαρον, *loc. in hom.* 411.). *Dioſcorides* ſaltem Hippocratis κάμμαρον idem exiſtimavit ac ἀκόνιτον (*Erotian. gloſſ.* 214.). Hecates Aeetae filiae inventum aconitum (*Diodor. Sic.* 4, 45.).

Nelumbium ſpecioſum (κύαμος αἰγύπτιος.).

Ranunculum creticum et *grandiflorum* complectitur βατραχιον, quod (*nat. mul.* 570.) ob acrem indolem commendatur.

Helleborus orientalis eſt celeberrimus ille ἑλλέβορος μέλας, qui optime proveniſſe in inſula Anticyra, haud procul ab Euboea, et in Olympo Aſiae minoris dicitur. Ibidem et *Tournefortius* noſtram ſpeciem obſervavit, quae a viridi foliis ſubtus piloſis, caule ramoſo et floribus ſubrubicundis differt (*Lamarck. encycl.* 3, 93. *Hayne offic. Gewächſe, t.* 2.). Melampodium dicebatur, quod vatem illum antiquum Melampum Proeti filiabus huius radicis ope medicinam feciſſe ferebant (*Dioſc.* 4, 151.). Quid, quod *Pauſaniae* (10, 37,) teſtimonio, Amphictyones, Solonis tempore Cirrham obſidione tenentes, fontem fluminis Pliſti ea radice venenarunt.

Teucrium Scordium (σκόρδιον.).

Teucrium Pſeudhyſſopus (ὕσσωπος, *morb.* 3, 490.)

Teucrium Polium (πόλιον.).

Mentha Pulegium (γλήχων, *morb. mul.* 1, 606. et χλωρὴ dicta, *affect.* 525.).

Mentha ſativa (μίνθος, *affect.* 529.) et ἡδύοσμον (*nat. mul.* 570.).

Origanum creticum (ὀρίγανον, *morb. mul.* 1, 609.).

Origanum Dictamnus (δίκταμνος κρητικὸς. Cf. *Dioſc.* 3, 37.).

Marrubium Pſeudo Dictamnus (δίκταμνος.).

Marrubium creticum ſ. *peregrinum* (πράσιον, *ulc.* 878.)

Satureia capitata (θύμος).

Thymbra ſpicata (θύμβρα).

Ocimum Baſilicum (ὤκιμον, *affect.* 529.).

Seſamum orientale (σήσαμον).

Vitex Agnus (ἀγνὸς).

Lepidium latifolium (κάρδαμον, *morb. mul.* 1, 495.) et καρδαμίς (*ulc.* 876.), quod, *Galeno* auctore, idem eſt ac σκυρίδιον.

Iſatis tinctoria. Folia epithematibus inſerviebant.

Eryſimum officinale (ἐρύσιμον).

Cheiranthus Cheiri (λευκοΐον. Cf. *antiqu. meas bot. p.* 10.).

Sinapis nigra (νάπυ).

Malva rotundifolia (μαλάχη) Olus veſcum, cum Mercuriali et Blito componitur (Cf. *Heſiod. op. et dies*, 40.).

Geniſta aſpalathoides Lam. (μέλαινα ῥίζα, *morb. mul.* 2, 660.) *Galenus* (*l. c.* 520.) ἀσπάλαθον ἀρωματικὸν explicat: hic autem, niſi fuerit Geniſta canarienſis (quod negat *Valer. Cordus annot.* 1, 6.) eſt ſaltem haec ſpecies a *Poireto* in Barbaria inventa.

Anthyllis cretica (ἐβένος, *vict. acut.* 407. Cf. *Dioſc.* 1, 129.).

Cicer lens (φακὸς).

Piſum ſativum (ἐρέβινθος). *Dioſcorides* (2, 126.) diſertis verbis κριὸν (*Cicer arietinum*) ab ἐρεβίνθῳ distinguit.

Vicia Faba (κυαμὸς ἑλληνικός, *morb. mul.* 1, 608.).

Pſoralea bituminoſa (τρίφυλλον, cf. *Dioſc.* 3, 123.).

Lupinus albus (θερμὸς).

Trifolium arvenſe forte λαγώπυρος ille eſt (*ulc.* 878.) quem λαγώπους legeris; folium, addit auctor, oleae ſimile ſed minus.

Trigonella Foenum graecum (βουκέρας, *morb. mul.* 1, 617.) *Galenus* (*l.* α. 414.) idem putat ac αἰγοκέρας et τηλίδα.

Hypericum Coris (ὑπερικὸν, *morb. mul.* 1, 610.) ſi ſaltem idem eſt ac *Dioſcoridis* planta (3, 171.).

Carthamus tinctorius (κνηκὸς).

Artemiſia Apſynthium (ἀψύνθιον).

Artemiſia chamaemelifolia (ἀρτεμισία).

Gnaphalium ſanguineum (βάκχαρις, *vict. acut.* 401.). Cf. *Dioſc.* 3, 51.).

Inula viſcoſa (κονύζα, *morb. mul.* 2, 650.) Sed ſequitur corruptus locus: ὅμοιον δὲ ἐστι σελίνῳ οὐλῷ. Namque nullius Inulae aut Conyzae cum

Apio ſimilitudo adeſt. Corrigit *Bodaeus* a *Stapel* τῷ ἑλενίῳ, quod melius. Inveniſſe ſe hanc plantam in Dalmatia et prope Riminum teſtatur *Anguillara p.* 213.

Inula Helenium (ἑλένιον, *nat. mul.* 572.).

Tuſſilago Farfara (βηχίον). Cf. *Dioſc.* 3, 17.

Matricaria Parthenium (παρθένιον).

Matricaria Chamomilla (εὐάνθεμον, *morb. mul.* 1, 625.) *Galenus* idem putat ac χαμαίμηλον: alio loco (*nat. mul.* 570.) ἄνθεμον χλωρὸν aut ἠράνθεμον dicitur.

Anthemis Cotula. (παρθένιον τὸ μικρόφυλλον, *ulc.* 877.).

Centaurea Centaurium (κενταύριον).

Brotera corymboſa Willd. (χαμαιλέων μέλας, *ulc.* 879.). Acris ſuccus officinalis erat. Specioſa planta Thraciae incola, apud *Moriſonum* (*hiſt.* 3. *ſect.* 7. *t.* 33. *f.* 17.) icone conſpicitur.

Ariſtolochia cretica (ἀριστολοχία).

Cytinus Hypociſtis (ὑποκίστις, *nat. mul.* 572.).

Arum maculatum (ἄρον μέγα, *morb.* 3, 493.).

Arum Dracunculus (δρακοντίον, *intern. adſect.* 532.). Radix ῥίζα λευκή.

Corylus Avellana: thaſiae nuces (*morb.* 3, 490.).

Urtica dioica (ἀκαλύφη et κνίδη).

Xanthium orientale (ξανθίον, *morb. mul.* 2.

673.). Nonne tamen melius cum *Calvo* legeris: διὰ τοῦ ἀσπαλάθου ξανθῆς ῥίζης?

Pinus Pinea: fructus κοκκαλοὶ, *vict. acut.* 409. Cf. *Athen.* 2, 16. *p.* 57.

Cucumis ſativus (κολοκύνθις). Cf. *Ariſtot. probl.* 20, 14.

Cucumis prophetarum (σικύη), quam *Galenus* et βουβάλιον dici ait.

Cucumis Melo (σικύος πέπων, *adfect.* 529. Cf. *Athen.* 2, 27.

Cucurbita Citrullus (ἕτερος πέπων *ib.*).

Ricinus communis (κρότων *morb. mul.* 2, 649.). Idem docet eſſe *Galenus* ac κίκι. *Herodotus* (2, 94.) τὰ σιλλικύπρια vocat, quae Aegypti nominent κίκι.

Hippophaë rhamnoides (ἱπποφαὲς).

Populus graeca (αἴγειρος κρητικὴ *nat. mul.* 571.). Commendantur gemmae reſinoſae fragrantes κόκκων nomine (Cf. *Stapel. ad Theophr.* 3, 14. *p.* 218.).

Mercurialis annua (λινοζώστις). Olus veſcum.

Piſtacia Terebinthus (τέρμινθος, *fiſtul.* 888.).

Tamus communis (ἄμπελος ἀγρία, ἣν ἔνιοι καλοῦσι ψιλώθριον, *fiſtul.* 889. Cf. *Dioſc.* 4, 163. Μόδον *vict. acut.* 403. *Caelius Aurelianus* (*acut.* 3, 7.) Bryoniam interpretatur.

Ruſcus aculeatus (μυρσίνη ἀγρία, *ulc.* 880. Cf. *Dioſc.* 4, 129.).

Celtis auſtralis (λωτὸς. Cf. *antiqu. meas bot. p.* 49.)

Veratrum album (ἑλλέβορος λευκὸς.).

Acacia vera Willd. (ἄκανθος αἰγυπτίη, *morb. mul.* 1, 614.)

Adiantum Capillus (ἀδίαντον, *ſiſtul.* 888.).

Zoſtera marina (βρύον θαλάσσιον, *nat. mul.* 570.).

CAP. V.

PRISCORUM PHILOSOPHORUM RES HERBARIA.

Quum Aſiae minoris incolae, libertate, victus copia et commercio navigationis gaudentes, primum philoſophari coepiſſent, Deorum natura et mundi ortus et generatio hominum, animalium et plantarum, eos praecipua admiratione adfecerunt. Coeperunt enim, ut cum *Ariſtotele* (*metaph.* 1, 2.) loquar, ab admiratione omnes, priſcique philoſophi φιλόμυθοι fuerunt, quod μύθοι eum animi adfectum producunt, deductis effectibus, quae ſub ſenſus cadunt, e divinis, quae haud obſervantur, cauſſis. Paullatim fere, ſi ad verum res exigatur, mythologia Homeridarum et Heſiodi abiit in coſmogoniam Ionicorum: de iisdem rebus et eodem fere modo ac poëtae, philoſophabantur ſapientiae antiſtites.

Prius autem phyſicam plantarum doctrinam, quam hiſtoriam earum naturalem coluerunt. Variarum, quas monſtrant corpora naturalia, formarum cognitione deſtituti, alieni a ſpecierum et generum informatione et a conſtructione ſyſtematum, multo faciliorem et generis humani infantiae magis congruam inceſſerunt viam, qua ortum et generationem crediderunt poëtice explicare. Quum inſtrumenta et encheireſes eos laterent, quibus fabrica plantarum interna detegitur, ſubſtiterunt fere in comparandis animalibus, quae ipſis propiora videbantur, cum plantis, et in revelandis legibus, quas ſequuntur divinae naturae et animalia et plantas regentes. Prior itaque phyſiologia plantarum poëſeos potius philoſophicae pars fuit, quam ratiociniorum concentus, quae ex obſervationibus proficiſcerentur.

Sapientiae omnis antiſtes THALES Mileſius, in univerſo corporum ambitu, quae viribus internis moventur, nil niſi animas, daemones et divinas naturas invenit. (*Ariſtot. de anim.* 1, 2. 5.). Ut in Iliade (14, 200.) Oceanus Deorum pater Dearumque omnium, materque fertur Tethys, ita ex aqua Thales omnium rerum ortum deduxit. Arbitratur autem Ariſtoteles, nutrimentorum humidam naturam et ſeminum omnium ortum e guttula liquida ii opinioni anſam praebuiſſe (*metaph.* 1, 3.).

Primum omnium, quos memoria novit, ORPHEUM de herbis curioſius aliqua prodidiſſe, *Plinius* (25, 2.) teſtatur. Neque tamen thracico illi hierophanti, Oeagri filio, adſcribere potueris, quae impoſtorum caterva, divo illius nomine abutens, multo ſerius conſarcinavit. (Cf. *hiſt. meam medic.* 1, *p.* 116.).

PYTHAGORAS Samius, clarus ſapientia, primus volumen de herbarum effectibus compoſuiſſe, Apollini Aeſculapioque et in totum Diis immortalibus inventione et origine adſignata, Plinio dicitur (*l. c.*) A Perſidis Aegyptique Magis eos effectus accepiſſe, adeoque ad hos attonita antiquitas fuiſſe fertur, ut adfirmaret etiam dictu incredibilia. Sic aquam congelari docuit Pythagoras plantis, quas *Coraceſiam* et *Calliciam* appellavit, dubio in his et ipſo *Plinio* (24, 17.). Ex Aegypti ſacerdotibus hauſit Pythagoras cum *Epimenide* Cnoſſio Scillae maritimae uſum, quem in ſua ipſius vita protrahenda, aceto condito bulbo, praeſtantiſſimum inveniſſe dicitur: aceto enim ſcillitico ad centeſimum et decimum ſeptimum usque annum vitam prolongaſſe (*Pſeudo-Galen. de euporiſt.* 463.) Braſſicae quoque laudes non parcius ab ipſo celebrabantur (*Plin.* 20, 9.). Laudatiſſimum ipſi et aniſum, maxime adverſus ſcorpiones vino bibitum (*Plin.* 20, 17.). Sinapi principatum habere ex his, quorum ſublime vis feratur, iudicavit, quoniam non

aliud magis in nares et cerebrum penetret (*Plin.* 20, 22.).

Empedocles Agrigentinus, e Pythagorae quidem ſchola profectus, peculiarem tamen elementorum quatuor doctrinam poëmatibus prodidit. E terra et igne potiſſimum plantas oriri, ſurſum per ignem, deorſum in terram creſcere (*Ariſt. de anim.* 2, 4.). Id quod *Theophraſtus* ita exponit (*cauſſ.* 1, 13.): aethera diffundi per ramos, terram per radices. Ea autem elementaris theoria eſotericis maxime tradebatur, qui, iam initiati, materialismum haud amplius reſpuebant.

Exoterici vero nil niſi priſcam poëticam philoſophiam, quae populo placeret, ab ipſo hauſerunt. Animatas eſſe plantas, quin animalia ſtatuebat, quod nutent et ramos habeant directos, qui inflexi ſi remittantur, ilico repetant locum ſuum ac rectitudinem (*Plutarch. phyſic. phil. decret.* 5, 26.). Priores etiam ortu animalibus eſſe plantas, μηδαμῶς enim ὁλοκλήρους et ἀσυμφυέσι τοῖς μορίοις διεζευγμένας eſſe, quum in animalibus partes iam coalitae, vitaque eiusmodi propria cuiusvis partis in animalibus deſit (*Ib.* 5, 19.). Hinc etiam recte dicere potuit: ſe quondam fruticem, avem et piſcem fuiſſe (*Diogen. Laërt.* 8, 77. *Clem. Alexandr. ſtrom.* 6, 627. *Athen.* 8, 17. *p.* 365.), quod cum Pythagorae metempſychoſi congruit. Eam autem doctrinam imbibiſſe, et inde patet, quod

laurum putaverit digniſſimam arborem, in quam homo transiturus ſit (*Aelian. hiſt. anim.* 12, 7. *Plutarchi ſympoſ.* 3, 1, 2.). Eſſe vero ſexum utrumque mixtum in plantis et unitum, ſecedere tandem, dum e plantis animalia fiant (*Ariſt. gener. anim.* 1, 23. ad quem locum explicandum cf. *Philopon. h. l.* et *Sturzii Empedocl. p.* 357.). Ceteroquin animam ineſſe plantis ſuam, quae intelligentia et γνώσει, appetitu et ſenſatione polleat (*Ib.* 1, 1.). Ipſa ratione frui, *Sextus Empiricus* (*adv. Mathem.* 8, 286.) adducto Empedoclis ipſo verſu, teſtatur. Hinc etiam ὠοτοκεῖν, ova parere more animalium, dixit, et folia cum capillis beſtiarum et piſcium ſquamis congruere (*Ariſt. meteor.* 4, 9. *gener. anim.* 1, 23. *Theophr. cauſſ.* 1, 16.). Radicem vicem capitis et oris gerere, cum nutrimenta accipiat (*Themiſt. ad Ariſt. de anim.* 2, 4) quae Ariſtoteles fere repetit.

Similia fere tradidit Anaxagoras Clazomenius, Hippocrati Heraclidis filio tempore aequalis. Terram eſſe matrem, patrem plantarum vero ſolem. Animalia eſſe plantas, intelligentia et γνώσει praedita. Ipſum quoque ducere ſpiritum, quem ex aëre foliis abſorbeant iterumque exhalent (*Pſeudariſt. de plant.* 1, 1. 2.).

Democritus quoque Abderites, peragratis ab ineunte adoleſcentia Perſide et Aegypto, Magos conſectatus, mirabiles et magicas herbarum virtu-

tes celebraſſe dicitur (*Plin.* 24, 17.). Compoſuit etiam librum, in quo incognitas illas et mirabiles tradidit vires. Eſſe e. g. herbam, cuius contactu illatae ab ave quadam exiliret cuneus a paſtoribus arbori adactus: quae, etiamſi fide carent, admiratione tamen implent, coguntque confiteri, multum eſſe, quod vero ſuperſit (*Plin.* 25, 2.). Neque abeſt ab his Democriteis ſuspicio ſerioris, Alexandrinae forte, originis, quum φυσικὰ καὶ μυστικὰ, quae ipſius nomen ferunt (*ed. Pizimentii Patav.* 1573. 8.), Saporem, Perſarum regem, e quarto ſaeculo, nominent. Exſtaſſe tamen praeterea et phyſiologiam plantarum Democriteam *Theophraſti* et *Diogenis* temporibus, inde patet, quod ille (*cauſſ.* 2, 16.) opinionem Democriti adleget: plantas rectas aut ſtrictas vita breviore gaudere et maturius florere: Diogenes autem diſertis verbis eos libros nominet (9, 47.).

Fuiſſe hos eosdem libros, quos *M. Varro* legerit (*de re ruſt.* 1, 1.) quosque excerptos habemus in Geoponicis, credibile eſt. Democriti Georgica citat *Columella* (11, 3.). Serioris tamen multo aetatis eſſe hos libros, patet e loco Geopon. 10, 73. ubi pruna armeniaca βερίκοκκα, τέρμινθον τερέβινθον vocat, ac ſi Latinus fuerit ſaeculorum primorum aerae noſtrae.

E Democriti adſeclis *Apollodorus* plantam ſenſitivam, Aegyptiam aut Arabicam, obſervavit, quae

tactum fugeret, collabentibus foliis (*Plin.* 24, 17.). *Averrhoa* ſit *Carambola* ſive *Mimoſa polyacantha*, ambigitur.

CAP. VI.

ARISTOTELES.

Summus ille Graecorum philoſophus, totam rerum naturam amplexus, a ſepiarum et nautilorum aliorumque oſtracodermatum ſtructura et generatione, ad elephantum usque et dipodes et canes aureos immenſo ingenio ac ſagacitate incredibili omnia perçontatus, ad conſpectum totius naturae et adſinitatum obviarum ea applicavit. Tantum abeſt ut plantas neglexerit, ut potius duos integros libros de iisdem conſcripſiſſe ipſe fateatur. Theoriam vegetabilium vocat hos libros (*hiſt. anim.* 5, 1.) et alio loco (*de brevit. vit. c.* 6.) uberius ea ſemet explicaturum eſſe in libris de vegetabilibus pollicetur. Citant eos libros *Diogenes Laërtius* (5, 25.) *Athenaeus* (14, 18. *p.* 652.) et ſcholiaſtes *Nicandri* (*v.* 645. *p.* 42.).

Neque tamen genuini illi libri etiamnum exſtant, neque cum gravitate, dignitate et eruditione Ariſtotelis vilis illa compilatio congruit, quam *de plantis* vulgo inter Ariſtotelicos libros reperimus, quod mox uberius probabitur.

Ariſtoteles ipſe, antequam Platonis ſchola aperta eſſet, eorum temporum more, radices et herbas quaeſiviſſe et officinam inſtituiſſe fertur, unde Epicuro φαρμακοπώλης audiit (*Athen.* 8, 13. *p.* 354.). Nec negari poteſt, et in genuinis ipſius ſcriptis experientiam rei herbariae apparere haud vulgarem, maxime vero ratiocinia ſpecioſa de natura plantarum ac conſenſu cum animalibus aut differentia ab iisdem. Incredibili ingenii vi ac ſolida ſubactaque doctrina inquiſivit tum in gradus et adfinitates organismorum, tum in functiones plantarum et phaenomena ſingularia, quae ex ipſius ſyſtemate philoſophico exponere ſatagebat.

Intimo animo Ariſtoteles ingentem illam ideam conceperat de ſerie continua organismorum, qua ſenſim perfectiores abeunt in minus perfecta. „Natura," inquit, „continuo progreditur ab inanimatis ad animalia, per viva quidem, quae tamen haud „animalia ſunt, ut ſatis exigua ſuperſit differentia vicinorum ſatis ſibi corporum. Inter marina animalia plura ſunt, quorum membra ſoluta vitam protrahunt, ſicut ἐπίπετρον dictum (*Sedum acre*) „clavis appenſum diu vitam protrahere poteſt. „Talia marina corpora quorſum pertineant, ambigitur" (*part. anim.* 4, 5.). Et alio loco (*hiſt.* 8, 1.) eadem repetit, addita ὀστρακοδερμάτων cum plantis comparatione. Eſſe eadem omnino plantas, reſpectu animalium reliquorum gradantium

nuncupanda. Senſum etiam alia marina corpora minime, alia perobſcure manifeſtare. Tertio loco (*generat. anim.* 3, 11.) plantas conſiderat velut ὀστρακοδέρματα terreſtria, haec vero velut plantas marinas. Quanto ζωτικότερον ſit aqua terrâ, tanto vivaciora etiam eſſe oſtracodermata plantis. Cum inſectis etiam plantas comparat, quod illorum membra ſeiuncta pariter ac plantarum partes poſſint vitam protrahere. Apparere id praeprimis in ἀποφυτείᾳ vegetabilium: eas enim partes omnes vivere, quae ἀρχὴν τῇ δυνάμει ἐνοῦσαν in ſe contineant (*de brevit. vit. c.* 6.).

Inſignem credit differentiam utriusque regni ſtatui poſſe, quod plantae nullis excrementis (περιττώμασι) gaudeant; unde et radicem attrahere nonniſi praeparata iam nutrimenta: terra enim, et calore eius uti velut ventriculo (*part. anim.* 2, 3.). Exiguum περίττωμα, quo plantae gaudent, ſuavem producere ipſi videtur odorem, quem in plantis pluribus, in animalibus vero perpaucis animadverteris. Calida enim et ſicca eſt plantarum natura, ſicut *Anaxagoras* iam monuerit, terram matrem, ſolem vero plantarum patrem eſſe. Unde exponenda ipſi videtur fragrantia frequentior herbarum, fructuum et ſuccorum, quae ſub ferventiori Iove et in terra aridiore gignuntur (*problem.* 13, 4.).

Unicum agnoſcit *Ariſtoteles* totius vegetationis

finem, fructuum generationem. Hinc etiam, quo imperfectiora animalia, eo magis plantis hoc respectu similia ipsi videntur (*hist. anim.* 8, 1.). Omnis nutritio, omneque plantarum incrementum ad fructificationem tendere ipsi videtur (*gener.* 1, 8.). Semen quoque plantarum hactenus differre a seminibus animalium, quod illa non ex omnibus partibus proveniant, sed quod per se subsistant et in aliud abeant individuum (*gener. anim.* 1, 18.).

Radicem plantarum et oris et capitis vicem gerere, si aliena liceat componere organa, si iisdem gaudeant functionibus (*de anim.* 2, 4.). Sensum in attractione nutrimentorum et in nutritione ipsa negandum plane non esse, hinc etiam *vivere* plantas (*de anim.* 2, 2.).

Sexus differentiam in plantis nullam agnovit *Aristoteles*, ut gradus iterum ad minus perfecta animalia statuat: namque et in his iam connubium sexus utriusque in eodem individuo observatur (*gener. anim.* 1, 23.). Mixtio haec utriusque sexus ab *Empedocle* iam adsumta, axiomatis loco ab Aristotele collocatur (*gener. anim.* 3, 10.).

Sed liceat ad singulas transire observationes. Eminet autem ea praecipue de seminibus vetustioribus, facilius germinantibus quam recentiora, quod haec contineant περίττωμα et debiliora sint (*probl.* 20, 17.). Quae de olerum seminibus hic intelli-

git, nos praeprimis de cucumerum aliorumque pinguibus feminibus experti fumus. Radiculas (ῥαφανίδες) eo acriores esse, quo tenuiores sint (*probl.* 20, 11. Cf. *Athen.* 9, 2.). . Si quis σέλινον radice tenus circumfoderit et καχρύδια circumposuerit, multo maiores et crassiores fieri radices. Ea καχρύδια vertunt Geoponici (12, 23.) in ἄχυρα, ut vel paleae sint vel hordeum tostum (*problem.* 20, 8.). . Quae florent, fructu nonnunquam carere videntur, ut σίκυος (*Cucumis Melo*) et κολοκύνθις (*Cucumis sativus*) et ῥόα (*nonne ῥοῦς Cotinus?*) seu sorba ἄκαρπα, sed his tamen fructum esse: pericarpium esse florem in Cucumere Melone (*probl.* 20, 3.). Rosas umbilico aspero (*germine hispido*) instructae (*nonne R. muscosa aut moschata*) suavius olere quam quibus germen laeve sit (*probl.* 12, 8.). Inquirit etiam in rationem, cur ἱπποσέλινον (*Smyrnium Olus atrum*) bienne sit? (*probl.* 20, 7.)

Non desunt tamen exempla, ubi genio aevi sui et mirabilium amori indulget. Sic rutam pulcherrimam et plurimam enasci arbitratur, si ficui inseratur, quod fide omnino vacat (*probl.* 20, 18.).

PSEUDO-ARISTOTELES DE PLANTIS.

Haud necessarium arbitror, quod *Iul. Caes. Scaliger* immensam eruditionis supellectilem, integrique voluminis laborem in eo collocaverit, ut

ſuppoſititios eſſe hos libros multoque iunioris aetatis, doceret. Namque cuivis, qui vel primis tantummodo labris linguae graecae rudimenta guſtaverit, vel pauciſſimos Stagiritae genuinos libros legerit, luce meridiana clarius apparere neceſſe eſt, *tum* ſumme indignam eſſe tanto philoſopho ratiocinationem *(ſi quae ſunt)* et ipſius orationis rationem, *tum* nec Graece primitus ſcriptos eſſe hos libros, ſed e, neſcio quo medii aevi, ſcholaſtico libello verſos tandem in Graecam linguam. Fuerit is interpres ineptus aut impoſtor, *Maximus Planudes (ut Scaligero)* aut *Theodorus Metochita (ut mihi)* aut *Gennadius*, aut alius quispiam Graeculus ſaeculorum XIV et XV, perinde eſſe videtur.

Ineptum voco interpretem, aut, ſi mavis, auctorem, quod nullibi „lucidi ordinis“ amor, nullibi ſubacta doctrina, nusquam demum gravitas ſermonis ac orationis dignitas apparet.

Nugis ſcholaſticis de anima vegetabilium incipit, iisdem paullo intermiſſis dein pergit, iisdem denique finem orationi imponit. Nullum apparet argumentum cuiusvis capitis, nullus finis totius orationis, nulla cognitio plantarum. Ubi enim, ut paucula exempla abſurditatis adferam, de plantis vel annuis vel perennibus negatur, abrupta protinus oratione, addit: „Neque poſſumus haec „omnia ſcire, niſi per ſyllogismos.“ Et paullo

poſt: „Non debemus perſcrutari definitiones per „ſingulas.“ Sermo barbarus: φιτρὸν ponit pro καυλῷ. De antiquorum rei herbariae ſcriptorum libris loquens, barbare ſatis adiungit: πῶς ἂν ἐπιμελῶς σκοπήσωμεν τὰς βίβλους αὐτῶν, ἃς ἔγραψαν, καὶ δυνηθείημεν διερευνῆσαι τοῦτον τὸν μυελὸν ἐρεύνῃ συνοπτικῇ. En ridiculam dictionem, quae Ariſtotelica eſſe debebat! Idiota de limpido vitis latice loquens cum pice eum comparat: in quibusdam plantis eſſe humorem ἀρχέγονον, ſicut in Origano et planta, quae dicatur ὀπιγαΐς. Quot verba, tot ineptiae! Ὀπεγαΐς certe corrupta ex Arabibus mutuo accepta vox!

Genicula ſeu nodos graminum ſua potius lingua quam graece nominat δεσμούς, eosque *(quidne abſurdius fingi poteſt!)* cum nervis animalium componit. Ariſtoteles, ut memoravimus, ſexum utrumque haudquaquam diſtinctum eſſe in plantis contenderat: noſter Pſeudariſtoteles omnino diſtinctum ſexum tradit. Maſculas plantas enim ſemper eſſe aſperiores et duriores et horridiores, femininas debiliores et magis fructiferas. Vitam plantarum nullam eſſe, ſenſus enim cauſſam vitae eſſe. *(En philoſophum!)* Quae ἄψυχα ſint, ψυχὴν οὐκ ἔχειν: ζωὴν eſſe τὸ μέσον, et quae ſunt reliquae eiusmodi barbarae nugae.

Piget fere ac taedet adiungere, quae Oedipum poſcunt, ut exponantur: βελένιον τὸ δήλητήριον,

μεταφυτευόμενον εἰς Αἴγυπτον ἢ Παλαιστίνην, γίνεσθαι βρώσιμον (Cf. *Matthiol. epiſt. lib.* 5. *p.* 211.): ἀρτεμισίαν, quae inſeratur in ſylveſtrem Artemiſiam. *(Ecquis unquum haec audivit!)* ἀγρίαν μορέαν τὸ συκόμορον: μορέαν in multas arbores inſeri poſſe. Sed ſufficit his ſubſiſtere, ut quam futilis et contemtu dignus ſit is liber, quam parum cum Ariſtotelicis comparandus, pateat.

CAP. VII.

RHIZOTOMI.

Peculiare hominum genus, quod a radicibus effodiendis nomen habet, a tota antiquitate Graeca ſatis celebratum, neque indignum prorſus noſtra attentione, licet maxima eorum pars, literarum rudis, ſuperſtitioni dedita, radicibus et herbis magicas tribueret virtutes, goëtica arte eas ſecaret, praepararet ac venderet. Namque qui rhizotomi erant, φαρμακοπῶλαι etiam nominabantur, ἐπιτραγῳδοῦντες, ut *Theophraſtus (hiſt.* 9, 9.) ait, inventa ſua oſtentantes. Praeceperunt enim alias radices vento averſo, alias corpore peruncto effodere, alias noctu, interdiu alias. Aggravare nonnullas caput aut oculos laedere, unde allia comedere et vinum ſorbere neceſſe ſit, priusquam adgrediantur radices. Precari autem in ſe-

cando, nec ἄτοπον ipſe Theophraſtus iudicat. Ineptum autem vult praeceptum rhizotomorum, quod enſe acuto ter circumſcribi radix debeat, aut quod circumſaltare ac plurima περὶ ἀφροδισίων fabulari. Inepta exiſtimat praecepta, quod, qui helleborum ſecet, debeat aquilam cavere tam a dextra, quam a ſiniſtra, ortum ſolis ſpectare et plurima precari.

Ea tamen ſuperſtitioſa barbaries rhizotomorum non impedivit quosdam, quin curatius in naturam inquirerent vegetabilium bonasque publicarent de iis obſervationes. Exſtiterunt iam *Theophraſti*, magis etiam *Athenaei* et ſcholiaſtarum temporibus opera ῥιζοτομικὰ, quae citare ii ſcriptores haud ſuperfluum putarent.

Thrasyam Mantinenſem primum vocat *Theophraſtus* (*hiſt.* 9, 18.) et δεινότατον τὰ περὶ τὰς ῥίζας, qui naturas plantarum et vires indagans, eamdem plantam modo pharmacum eſſe, modo non eſſe, pro ratione hominis, qui ea utatur, praecepit. Ipſe etiam ἄπονον τὴν ἀπόλυσιν, ope toxici ex papavere et cicuta parati, invenit (*ib.* 9, 17.). Quod imitati Hiſpani e ſola cicuta (*herba Apio petroſelino ſimili*) id toxicum praepararunt (*Strabo* 3, *p.* 251.).

Thraſyae discipulum Alexium, magis peritum in medicina iudicat *Theophraſtus* (9, 17.).

Eudemus φαρμακοπώλης in ſe ipſo tentavit

herbarum virtutes (*Theophr. hiſt.* 9, 18.). De oleribus ſcripſit (*Athen.* 9, 2. *p.* 369.) et braſſicam distinxit in tres ſpecies, ἁλμυρίδα καὶ λειόφυλλον καὶ σελινούσιον, illam ſuaviſſimam, hanc criſpam. Fuerit idem Rhodius, qui de phyſica ſcripſerit, Ariſtotelis discipulus, neſcio (*Simplic. in Ariſt. phyſic.* 1. *f.* 21.)

Aristophilus, et is φαρμακοπώλης Plataicus, ad coitum remedia habuit (*ib.* 9, 19.).

Videntur ex his rhizotomis nonnulli phyſicae ipſi et oeconomiae operam dediſſe, ut ex variis *Ariſtotelis* et *Theophraſti* locis patet. Sic Cleidemus, qui de cauſſa coruſcationis et fulminis ratiocinatus eſt (*Ariſtot. meteor.* 2, 9.), morbos plantarum indagaturus, ficum ſcabie, oleam lichene, viti τῷ ἑρεῖν affici prodidit (*Theophr. cauſſ.* 5, 12.). Ex iisdem etiam partibus conſtare plantas ac animalia docuit (*Theophr. hiſt.* 3, 2.). Serenda eſſe frumenta occidentibus vergiliis (*Theophr. cauſſ.* 3, 28.).

Phyſicus etiam Menestor fuiſſe videtur, cum de humore vegetabilium praeceperit, quem ὀπὸν vocaſſe dicitur (*Theophr. hiſt.* 1, 3.). Is de mori fructificatione nonnulla prodidit (*Theophr. cauſſ.* 1, 21.). Aquatiles plantas natura calidiores eſſe, quod gelu non enecentur (*ib.* 1, 26.). Nimis pinguem terram plantis nocere ob ſiccitatem facile contractam (*ib.* 2, 5.).

Phyſicus fuit HIPPON, quem *Ariſtoteles (de anim.* 1, 2.) citat. Omnes ſylveſtres plantas cicures reddi poſſe et vice verſa, obſervavit, unde ſpecie haud differre iure effecit (*Theophr. hiſt.* 1, 6.).

DIOGENES quoque, ſive fuerit Apolloniates, ſive alius, quem *Ariſtoteles (de gener. et corrupt.* 1, 6.) nominat, ex aqua putreſcente et mixtione cum terra plantas oriri docuit (*Theophr. hiſt.* 3, 2.).

LEOPHANES quis fuerit, latet. *Ariſtoteles (gener. anim.* 4, 1.) eum nominat, dum de ſubligando teſte alterutro ad procreandam ſobolem loquitur. *Theophraſtus (cauſſ.* 2, 6.) citat eius ſententiam, quod humus atra optimum plantarum nutrimentum ſit.

ANDROTION oeconomus fuiſſe videtur. Namque quae de oleae et myrti amicitia (*Theophr. cauſſ.* 3, 15.) et de purgatione neceſſaria earum arborum (*hiſt.* 2, 8.) reliquit, eo fere redeunt. Eius de ficuum ſpeciebus locum citat *Athenaeus* (3, 3.) γεωργικὸν nominat librum (3, 7.).

Hi omnes Theophraſto priores. Quonam vero aevo vixerint ῥιζοτομικῶν auctores ſequentes, haud facile erui poteſt.

EUMACHUS Corcyraeus (*Athen.* 15, 8. *p.* 681.).

ANACREON (*Schol. Nicandr. ther. v.* 590. *p.* 39.).

MICTON (*ib. v.* 617. *p.* 40.).

LIBER II.
REI HERBARIAE INCREMENTA.

CAP. I.
THEOPHRASTUS ERESIUS.

Hiſtoricae cognitionis fundamenta egerant et medici et rhizotomi: philoſophi de natura vegetabilium ratiocinantes viam muniverant, qua incedi poterat, ſi quis phyſiologiam plantarum ardentiori agitare ſtudio cuperet: maxime vero Ariſtoteles ſcholam ſuam eo ardore inquirendi imbuerat, ut quivis ex eadem progrediens ſchola naturam perſcrutari ac nova moliri geſtiret. Quid quod tantus naturae amor in tota Peripateticorum ſchola viguit, ut ipſi riſui *Luciani* obnoxia eſſet (*Vit. auct. p.* 386.).

Celeberrimus autem omnium verus rei herbariae parens, Theophrastus fuit Ereſius, de quo uberius agere noſtrum eſt.

VITA THEOPHRASTI.

Ereſius fuit, ex inſula Lesbo, Melanthae fullonis filius. Nomen ipſius Tyrtamum fuiſſe, ab Ari-

ſtotele autem in Theophraſti mutatum, ferunt varii auctores, diſertis vero maxime verbis *Strabo* (13, 918.) et *Diogenes* (5, 38.), ipſo adnuente *Cicerone* (*orat.* 19.) qui divinitate loquendi nomen inveniſſe eum teſtatur.

Annus, quo natus fuit, ſine dubio idem computatur, quo proelium ad Leuctram commiſſum eſt, nimirum Ol. CII. 3 = 370. ante Chr.

Praeceptores nominantur a *Diogene* (5, 36.) Leucippus, cives ipſius (ergo non Eleates) Plato et Ariſtoteles. Cum hoc vero tanta pietate et familiaritate coniunctus fuit, ut omnibus ille eum diſcipulis praetulerit, ipſe quoque in teſtamento iuſſerit, dilecti praeceptoris imaginem in templo eſſe erigendam (*Diogen.* 5, 51.).

Quum Ariſtoteles in Chalcidem ſeceſſiſſet, noſter illi in ſcholae regimine ſucceſſit, quod Ol. CXIV. = 324. ante Chr. accidit (*Diogen.* 5, 36.). Tanta autem fuit ipſius auctoritas, tanta gloria in regenda Peripateticorum ſchola, ut bis mille ad eum confluerent diſcipuli: tanta etiam apud Athenienſes exiſtimatio, ut, quum ipſum Agnonides impietatis accuſaſſet, parum abfuerit, quin accuſator crimen in ſe ipſum retorquere cogeretur. Apud exteros etiam in tam excelſum famae theatrum evectus eſt, ut Ptolemaeus Lagides eum Alexandriam invitaret (*Diogen.* 5, 37.).

Sophocle, Amphiclidae filio legem ſanciente,

ne quis philoſophus ſcholae praeeſſet, niſi ſenatui populoque Athenienſi placeret, omnes fere philoſophi et ipſe Theophraſtus in exilium abierunt, quod Ol. CXVIII. 3. = 306 ante Chr. accidit (*Athen.* 13, 9. *p.* 610.). Abolita autem ea lege et Sophocle punito reverſi ſunt exules et cum iis noſter (*Diogen.* 5, 38.).

Summam ſenectutem attigiſſe et plusquam centum annos vixiſſe, facile ex ipſius verbis in praefatione ad *characteres* effeceris, ubi ſemet XCIX annos natum librum conſcripſiſſe, fatetur. At iampridem animadverſum eſt, probabiliter pro ἐννενήκοντα legendum eſſe ἑβδομήκοντα. Namque *Diogenes* (5, 40.) anno LXXXV aetatis e vita diſceſſiſſe manifeſto teſtatur. Accidit id Ol. CXXIII. 3 = 285 ante Chr.

Aegre tamen, annorum licet pondere confectus, tuliſſe fertur, ſe vitam cum morte commutare debere, quum vivere coepiſſet. Ipſius enim dictum adlegatur: ἡμεῖς, ὁπότ' ἀρχόμεθα ζῆν, τότ' ἀποθνήσκομεν (*Diogen.* 5, 41.). Et *Ciceroni* (*tuſc. quaeſt.* 3, 28.) moriens accuſaſſe naturam dicitur, quod cervis ac cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet; hominibus, quorum id maxime interfuiſſet, tam exiguam vitam dederit: quorum ſi aetas potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, ut, omnibus perfectis artibus, omni doctri-

na hominum vita eruditetur: queſtum igitur fuiſſe, ſe tum, cum illa videre coepiſſet, exſtingui.

Tantus autem, etiam poſt obitum, amor fuit civium erga eum, ut Athenienſes πανδημεὶ pedibus funus ipſius ſequerentur (*Diogen.* 5, 42.). Vitae enim genere fuit ſuavi, moribus optimis, facundia propemodum divina, patriae amore tanto, ut bis eam a tyrannis liberaſſe dicatur (*Plutarch. adv. Colot.* p. 1126.). Maxime beneficum eum et prudentiſſimum et laboris tolerantiſſimum vocat *Diogenes* (5, 36.). *Cicero* (*acad. quaeſt.* 1, 9.) ita moratum habet, ut prae ſe probitatem quamdam ac ingenuitatem tulerit. Neque tamen eo minus fregiſſe quodammodo auctoritatem veteris disciplinae: ſpoliaſſe enim virtutem ſuo decore, imbecillamque reddidiſſe, quod negaverit in ea ſola poſitum eſſe, beate vivere.

Quae utut ſint, facundia tamen ſermonis et incredibili fere vi dicendi omnes fere ſcholarum veterum antiſtites vicit: unde τρυφὴν ἰδίαν nominare eum *Cicero* conſuevit (*Plutarch. Cic.* 872.). De Demoſthene etiam magnifice profecto et libere iudicavit, dignum eſſe urbe ſua oratorem (*Plutarch. Demoſth.* 850.). Ferunt inſuper, dum orationes haberet aut lectiones, nullam omiſiſſe corporis figuram, nullam vultus ſpeciem aut manuum motum, quibus argumenta augere potuerit: ſemper etiam

corporis nitido et exacto cultu apparuiſſe (*Athen.* 1, 17. *p.* 21.).

Quum rei herbariae perquam ſtudioſus eſſet, hortum privatum coluiſſe, poſt Ariſtotelis e vita diſceſſum dicitur, Demoſthene Phalereo, familiari ipſius in hoc ſibi cooperante (*Diogen.* 5, 39.). Eum hortum aedesque omnes horto adiacentes amicis teſtamento legavit, iis, qui voluerint in eo una vacare literis atque ſimul philoſophari; ea tamen lege, ut neque illum alienent, neque ut proprium quisquam poſſideat, ſed veluti ſacrum quoddam eodem iure ab omnibus poſſideatur. Nominavit autem, quos communiter uti eo horto praecepit, Stratonem et Calliſthenem, Neleum et Hipparchum, Demaratum et Melantam, Demotimum et Pancreonem, Nicippum et Callinum (*Diogen.* 5, 53.).

SCRIPTA THEOPHRASTI.

Libri ipſius adeo numeroſi et ex omni doctrinae genere tanta copia ornati, ut diverſos eorum titulos 227 *Diogenes* numeret. Inter eos haud pauci ſatis ampli fuerunt, ut πρώται προτάσεις, quae octodecim; quaeſtiones quae viginti quatuor, poſteriorum analyticorum et de animalibus, quorum utrumque ſeptem libros comprehendit.

Nobis vero quum praeter novem (qui decem fuerant) libros de *hiſtoria* et ſex libros *de cauſſis*

plantarum pauca etiamnum ſuperſint, fatum ſcriptorum deperditorum enarrandum eſt.

Legaſſe ipſum omnes libros Neleo, Coriſci filio, verba teſtamenti manifeſto docent *(Diogen.* 5, 53.*)*. Inter eos *Ariſtotelis* etiam fuiſſe ſcripta teſtatur *Strabo (*13, 906. 907.*)*. Quum Neleus dein Scepſin Troadis migraſſet, bibliothecam etiam Ariſtotelicam et Theophraſteam eo avehi curavit: poſteris ſuis reliquit, indoctis hominibus, qui, nulla adhibita cura, ſub clavibus retinuerunt *(Strabo ib.)*. Ab ipſo autem Neleo Ptolemaeum Philadelphum libros plerosque mercatum Alexandriam transferri iuſſiſſe, *Athenaeus* auctor eſt (1, 1. *p.* 3.*)*. Si *Straboni* fides habenda, plurimi tamen ſuperfuerunt Nelei heredibus: namque, quum Attalicorum regum ſtudium intellexiſſent, quibus Scepſis parebat, conquirentium libros ad inſtruendam Pergami bibliothecam, inepti Nelei heredes bibliothecam ſub terra occultarunt, ubi blattis et humore vitiatos poſteri tandem Apelliconti Teio ingenti pretio vendiderunt. Tenebatur is Apellicon librorum amore potius quam ſapientiae ſtudio: itaque eroſarum particularum quaerens inſtaurationem, in nova transtulit libros exempla, lacunas non recte implens, ediditque libros ἁμαρτάδων πλήρεις. Quum ſtatim poſt mortem Apellicontis, Sylla Athenas cepiſſet, is etiam huius bibliothecae potitus eſt: a quo Tyrannio Grammaticus, Φιλαριστοτέλης im-

petravit, ut ſibi eius uſus permitteretur: acceſſerunt etiam bibliopolae nonnulli, ineptis uſi librariis, qui vitioſe transſcriptos libros et Romae et Alexandriae vendiderunt. Confirmat Apellicontis malam fidem *Athenaeus* (5, 14. *p.* 214.) et *Plutarchus* (*Sylla*, 468.) inter bibliopolas eos nominat Andronicum Rhodium, qui vulgaſſe ea exemplaria, quae Romae et Alexandriae circumferebantur, dicitur (Cf. *Porphyr. vit. Plotin. c.* 24.).

Quae cum ita ſe habeant, dolendum ſane eſt, hominum incuria magis quam iniuria temporum eos libros haud integros ad poſteritatem veniſſe: nec facile ex ipſis, quae ſuperſunt, exemplis manuſcriptis poſſe textum reſtitui.

Exſtant autem codices manuſcripti in bibliothecis Medicea, Veneta, Pariſina, Oxonienſi et Leidenſi. Eorum integer videtur Venetus, quem Beſſarion ſcribi iuſſerat (*Villoiſon anecd. graec.* 2, 251.); manci autem maxime Pariſini.

Editiones paucae ſunt. Princeps, quam coram habeo, Aldina eſt, ſine anno et loco impreſſa. Titulus: Τῶν ἐν τῇδε τῇ βίβλῳ περιεχομένων ὀνόματα καὶ τάξις· Θεοφράστου etc. Sequuntur enim in eodem volumine *Ariſtotelis* et *Alexandri* Aphrodiſienſis problemata et *Theophraſti* metaphyſica. Aldus Manutius opus totum Alberto Pio Principi dicavit. Praeter novem libros de hiſtoria planta-

rum adeſt etiam fragmentum decimi de *viribus radicum.*

Secunda editio Ioannis eſt *Oporini*, quae Baſil. 1541. fol. lucem vidit. Textum Aldinae cum interpretatione latina habet, nec plauſibus noſtris digna videtur.

Tertiam Dan. *Heinſius* curavit Lugd. Bat. 1613. fol. Textum mendoſiſſimum, licet codice duntaxat uno aut altero adhibito, emendare, Caſauboni praeprimis auxilio, ſtuduit: Gazae verſionem adiunctam correxit, ac pleraque praeſtitit, quae ab homine erudito, ſed ἀβοτανολογήτῳ exſpectari poterant.

Sequutus tandem eſt Io. *Bodaeus a Stapel*, rei herbariae peritus et doctiſſimus vir, qui in ſola hiſtoria plantarum ſubſiſtens, eam 1644. fol. ita edidit, ut ampliſſimos adderet commentarios, textum et verſionem variis locis emendaret. Sed interpretatio antiqua Theodori Gazae ſatis negligens et mendoſa eſt, ut e. g. 3, 18. τῆς ῥοῦ (*Rhois Coriariae*) *fluidarum* reddat. Omiſſa ſunt fere omnia (*e. g.* 4, 7.) quae interpres non intelligeret.

HISTORIA PLANTARUM THEOPHRASTI.

Difficillimum opus molior aleaeque plenum periculoſae. Explicationem enim et determinationem periclitor plantarum omnium, quas rei herbariae parens nominat, ut, qualis fuerit cognitionum eius

temporis ambitus, pateat. Defudarunt in eo opere a priſtinis inde temporibus doctiſſimi viri, quorum labores vicit fere *Bodaeus a Stapel*, cuius commentarii dictu difficile eſt, quantum auxilii mihi tulerint, quantum foeneraverint lucis. Neque tamen et id opus omne ita abſolvit, ut nihil ſuperſit negotii. Namque innumera loca obiter ſolummodo legit, textui mire corrupto nimis confiſus eſt, plantarum ipſarum haud ſufficientem cognovit copiam: haud raro etiam a *Plinio*, peſſimo Theophraſti interprete, ſeductus male plantas definivit.

Ipſe Theophraſtus in deſcribendis, quas memorat, plantis longe profecto alienus eſt a noſtrorum temporum ratione. Neque enim certum quemdam ordinem ſervat, ſolum fere uſum ſequens aut patriam ac locum, quem occupant. Aquatiles enim ſeorſim, et paraſitas, et olera et arbores ſylveſtres et frumenta tractat; ſaepius repetitis verbis, ſaepius regrediens ad id, de quo iam ſermo fuerat.

Dein naturam ipſam parum cognovit, nunquam peregrinatus fuiſſe videtur. De ipſis graecis plantis vel vulgaribus aliorum fide narrat, ut ὥς φασι; οὕτως λέγουσι οἱ περὶ Ἀρκαδίαν, οἱ περὶ Ὄλυμπον, toties occurrat. Ubi nihil certi ſcit, quod ſaepius fit, ingenue addit, περὶ τούτου δὲ σκεπτέον. Hinc errores haud pauci occurrunt: e. g. ubi de ἀράκῳ (*Lathyro tuberoſo*) et ἀραχίδ-

νη (*Lathyro amphicarpo*) (*hiſt.* 1, 11.) perhibet, nulla utrique eſſe folia.

Nomina ipſa ambigua ſunt, nec certis legibus definita. Ipſe enim (*hiſt.* 4, 11.) fatetur, προσαγορεύεσθαι ἄλλοις ὀνόμασι plantam. Ipſe ἀφάκην modo Leontodon Taraxacum (*hiſt.* 7, 8.) modo Lathyrum Aphacam, ἀπαρίνην modo Galium Aparinen, modo Arctium Lappam vocat. Τριβόλου nomine tria diverſa genera occurrunt. Ἀνδράχνη ſignificat modo Arbuti ſpeciem, modo Portulacam. Σκόρπιος modo Spartium villoſum, modo Arnicam ſcorpioidem aut Ranunculum Thoram.

Huc accedit, quod nullam fere prodat generis aut ſpeciei informationem, niſi unico fere loco (*hiſt.* 8, 4.) ubi hordei et tritici differentiam collocat in feminum ſeriebus circa ſpicam, quae in illo omnino, in hoc autem nequaquam obſerventur. Ceteroquin transmutationem ſpecierum ipſorumque generum adeo certam habuit, ut multus ſit in Ocimi et Serpylli (*cauſſ.* 5, 8.), Zeae et Tritici (*hiſt.* 2, 5.), Menthae ſylveſtris et ſativae (*hiſt.* 2, 5. *cauſſ.* 5, 8.) transmutatione explicanda.

His praemiſſis ingenue fateor, plantas quasdam a Theophraſto nonniſi obiter memoratas a me haudquaquam exponi poſſe, e. g Ἴκμη, in lacu Orchomenio (*hiſt.* 4, 11.), Θησεῖον (*hiſt.* 7, 11.), quod *Timachidas* (*Athen.* 15, 10) cum

mali floribus comparat et Ariadnes coronam inde textam fuiſſe refert.

Linnaeani autem ſyſtematis ordinem ſequi licet.

Hippuris vulgaris (ἵππον *hiſt.* 4, 11.) in lacu Orchomenio.

Liguſtrum vulgare (κήλαστρον *hiſt.* 1, 15. 3, 4.). In locis montoſis creſcere, ſempervirens eſſe, tarde florere et virgas pro baculis inſervire refert.

Phillyrea anguſtifolia (ἀφάρκη *hiſt.* 1, 15. 3, 6.).

Phillyrea latifolia (λακάθη *hiſt.* 3, 4. 6.). Cf. *Sibthorp. flor. graec. t.* 2.

Fraxinus Ornus et *rotundifolia* forte (*hiſt.* 3, 11.) deſcribuntur μηλέας nomine, cuius duas dari ſpecies ait traditque, quomodo inter ſe differant. Ornus ſine dubio arbor eſt quercui ſimilis, quae mel ſtillet (*Diodor. Sicul.* 17, 75. *Curt.* 6, 4. *Athen.* 11, 500. *Polyaen. ſtrat.* 4, 3, 32.). Cf. *Sibthorp fl. graec. t.* 3.

Salvia cretica (σφάκελος *hiſt.* 6, 2.) foliis anguſtioribus et

Salvia triloba (ἑλελίσφακος *ib.*) bene diſtinguuntur. Cf. *Sibthorp fl. graec. t.* 17.

Salvia Horminum (ὅρμινον *hiſt.* 8, 7.) una cum Seſamo ferebatur: ſemina Cumino ſimilia a nullo guſtari animali.

Piper nigrum (πέπερι *hiſt.* 9, 19.) cuius fruc-

tus ſoli, et albidi, cortice externo cincti, et nigri, cortice deſtituti, distinguuntur. Fabuloſus *Philoſtratus (vit. Apoll.* 3, 4.) plura narrat de Piperis cum Vitice ſimilitudine et de ſimiarum cultura, quod credulum vulgus delectare poteſt.

Crocum et odoratum et albidum et ſpinuloſum distinguit, inter primos veris flores numerat: alio loco *Crocum autumnalem (hiſt.* 6, 7.).

Gladiolus communis, ſine dubio ξίφιον illud eſt, quod *(hiſt.* 6, 7.) memoratur. Cf. *Sibthorp. fl. graec. t.* 37. Sitne etiam φάσγανον *(hiſt.* 7, 11.) cuius tubera comedantur, ambigo. De eo enim uſu noſtratibus nil innoteſcit.

Iris Siſyrinchium (σισυρίγχιον, *hiſt.* 1, 16. 7, 13.) per Graeciam frequens, id ſingulare habet, quod bulbus alter alteri ſuperpoſitus ſit. Cf. *Sibthorp. fl. graec. t.* 42. Is licet Ixiam Bulbocodium arbitretur σισυρίγχιον eſſe, bulborum indoles tamen multo magis huc trahenda eſt (Cf. *eamdem fl. graec. t.* 36.).

Iris florentina (ἶρις). Sed alia occurrit *(hiſt.* 7, 12.) flore minimo, quae forte *I. graminea* ſ. *iuncea.*

*Iris*ne *tuberoſa* ſit ἀκόνιτον *(hiſt.* 9, 16.) ἀγρωστίδι ſimile et ποώδες radice tuberoſa, ambigitur (Cf. *Schulze toxicol. vet. p.* 17. *Sibthorp. fl. graec. t.* 41.).

Schoenus nigricans (μελαγκράνις, *hiſt.* 4, 13.)

ob atrum feminum colorem, differt ab aliis craſſitie et altitudine culmorum.

Schoenus mucronatus (σχοῖνος ὀξύς *ib.*). Cf. *Sibthorp. t.* 43.

Cladium germanicum Schrad. Schoenus Mariſcus L. (ὁλόσχοινος *ib.*) cuius ſpicas faſciculatas, ovo ſimiles, ſatis bene deſcribit, ad πλέγματα maxime idoneas.

Cyperus comoſus Sibth. (κύπειρος ὁ ἕτερος *hiſt.* 4, 11. et σχοῖνος *hiſt.* 9, 19.) ob odoratas radices inſignis (Cf. *Sibthorp. fl. graec. t.* 44.)

Cyperus faſtigiatus (σάρι *hiſt.* 4, 9.) culmo trigono comaque Cyperum Papyrum aequare, ſtolones autem e radice digiti craſſitie propellere dicitur.

Cyperus Papyrus (πάπυρος *ib.*) optime deſcribitur.

Cyperus eſculentus (μνάσιον *ib.*). Idem (*c.* 10.) ſub nomine aegyptio μαλιναθάλλη occurrit. Id nomen bene derivatur a μάλα et ἀναθάλλω *Harduin. ad Plin.* 21, 15. Tubera deſcribuntur, qualia meſpili fructus, folia gladioli ſimilia; illa et cruda manducari et cum hordeo cocta bellariorum vicem gerere. Cf. *Column. phytobaſ. p.* 5. Trahine huc poteſt κάλαμος, cuius fructus ὀρόβοις λευκοῖς ſimiles affantur? (*Diodor. Sicul.* 2, 57.). Certe autem hi ſunt κάλαμοι, quorum radicibus veſci Rhizophagos tradit *Diodorus* (3, 23.).

Panicum italicum (κέγχρος *hiſt.* 8, 3.) φόβην χνοώδη comam hirſutam ſ. ſpicam gerere dicitur.

Panicum miliaceum (μέλινον *hiſt.* 8, 3.).

Sorghum forte *vulgare* eſt illud triticum giganteum, quod ultra Bactrianam provenire ac grana olivaceorum mole ferre dicitur (*hiſt.* 8, 4.). Idem forte eſt frumentum, cuius *Herodotus* (1, 193.) meminit, quod folia quatuor digitorum latitudinem habeant. Cf. *Bellon. obſ.* 2, 100. Idem vidit in India *Philoſtratus* (*vit. Apollon.* 3, 5.).

Andropogon Iſchaemum (ἴσχαιμον *hiſt.* 9, 15.) in Thracia creſcens.

Arundo Donax (κάλαμος αὐλητικὸς *hiſt.* 4, 12.) ubi et δόναξ et ζευγίτις, ob copulationem tibiarum ex eo confectarum nominatur. Inſigni copia creſcere ad Cephiſum. Optime et uberrime de his calamis commentatur *Harduin. ad Plin.* 16, 36.

Arundo Ampelodeſmon Cyrill. neapol. faſc. 2, *t.* 12. eſt φλειώ illa, quae et πλόκαμος dicitur (*hiſt.* 4, 11.) cuius foliis etiamnum Itali utuntur ad vinciendas vites et ad cribra, cuius radix lixivium praebet. Aliam φλοῦν indicam habet *Herodotus* (3, 98.).

Arundo Phragmites (χαρακίας *hiſt.* 4, 12.).

Arundo epigeios (κάλαμος ἐπίγειος *ib.*).

Stipa tenaciſſima vel *Lygeum Spartum* eſt λινόσπαρτον (*hiſt.* 1, 8.) quo ad conficiendas ſportu-

las et ſtoreas utuntur; alienum plane a σπάρτῳ *Ariſtotelis* (*hiſt. anim.* 9, 40.) cuius floribus apes laetentur, quod ſine dubio eſt *Spartium ſcoparium*. Claſſicus autem locus de Stipa noſtra extat in *Strabone* (3, 243.) ubi de σχοινοπλοκικῇ σπάρτῳ ſermo eſt, quae inter Saguntum et Setabin Hiſpaniarum uberrime creſcat.

Avena ſterilis (αἰγίλωψ, *hiſt.* 8, 7. 9.) ob culmorum copiam et molem terram extenuare dicitur.

Avena fatua (βρόμος, *hiſt.* 8, 9.).

Lolium temulentum (αἶρα, *hiſt.* 2, 5. 8, 7. 9.). In id Triticum ſativum mutari.

Saccharum cylindricum (ἀλωπέκουρος, *hiſt.* 7, 10.). Cf. *Dalechamp hiſt.* 1, 430.

Hordeum nudum (κριθὴ, μάλιστα τῶν γυμνοσπερμάτων, *hiſt.* 8, 4.). Aliae ſpecies ibidem, nimirum *H. hexaſtichon*, *vulgare* et *Zeocrithon* (τῶν μὲν κριθῶν αἱ μὲν εἰσὶ δίστιχοι) memorantur.

Secale villoſum forte eſt στελεφοῦρος (*hiſt.* 7, 10.) qui ſpicam gerat tritico ſimilem ſed hirſutam.

Secale cereale (τίφη *hiſt.* 8, 1. 2. 4.) tritico ſimile, ſed ſemen folliculis incluſum gerit. Secale cereale a Theophraſto primum memoratum, in Armenia ſponte naſci dicitur a *Clavijo* (*Hiſtoria del gran Tamorlan*, *p.* 103. Madr. 1782. 4.).

Triticum hybernum et *aeſtivum* (πυρὸς χειμο-

σπορούμενος καὶ τρίμηνος cauſſ. 4, 12.) probe diſtinguuntur. Illud eſſe multi- hoc pauciculme.

Triticum Zea (ζεία, *hiſt.* 8, 9.).

Triticum Spelta (ὄλυρα, *hiſt.* 8, 4.). De eadem ſub nomine πυροῦ θρᾳκίου πολυλλόπου (*cauſſ.* 4, 12.) loquitur.

Triticum repens (ἄγρωστις, *hiſt.* 1, 10. 2, 2. 4, 11. Radice gaudere γονατώδη, quae culmos denuo edat, qui ſi abſciſſi fuerint, eſſe herbam vulgarem inter culta. Nutrimentum, quod ſtolones cum radiculis praebent, antiquitus cognitum fuit. Hinc Aegyptios αὐτόχθονες hac ἀγρώστιδι nutritos, ac deinde, manibus eam geſtantes, Deos ſemper precatos fuiſſe, *Diodorus* narrat (1, 43.). Neque tamen negandum, poſſe et, hiſtorici viri negligentia, Papyrum intelligi.

Ficus Sycomorus (συκάμινος, *hiſt.* 4, 2.). Fructus e trunco ipſo. Cf. *Norden voy. en Egypte*, 1. *t.* 38.

Cornus maſcula (κράνεια, *hiſt.* 3, 4. 12.). fructus edules ferre et πρωϊβλαστότατον eſſe.

Cornus ſanguinea (θηλυκράνεια, *hiſt.* 3, 6. 12.) paullo ſerius florere, fructus ferre non edules, ligno gaudere flexili et laxo.

Rubia tinctorum (ἐρυθρόδανος, *hiſt.* 7, 9.). At alio loco (*hiſt.* 9, 14.) alia planta eodem nomine occurrit, foliis hederaceis, ſed rotundioribus, de qua certi aliquid definire nequeo.

Galium Aparine (ἀπαρίνη, *hiſt.* 8, 8.).

Plantago maior (ἀρνόγλωσσον, *hiſt.* 7, 9. 10.).

Plantago Cynops (κύνωψ, *hiſt.* 7, 8.).

Plantago Coronopus (κορωνόπους, *hiſt.* 7, 9.).

Potamogeton ſerratus (τρίβολος ἐν τοῖς ἑλώδεσι τῶν ποταμῶν, *hiſt.* 4, 11.).

Heliotropium europaeum (ἡλιοτρόπιον, *hiſt.* 7, 8.).

Anchuſa tinctoria (ἄγχουσα, *hiſt.* 7, 9.).

Convolvulus ſepium (ἰασιώνη, *hiſt.* 1, 21. *cauſſ.* 2, 25.) μονόφυλλον ἄνθος, διαγραφὴν ἔχον τῶν πλεόνων: humi ſerpere et arbores ſcandere vicinas.

Menyanthes trifoliata (μήνανθος, *hiſt.* 4, 11.). Haec eſt τρίφυλλος ea, quae paludes *Paxamo* indigitabat (*Geopon.* 2, 4.).

Lycium barbarum aut *europaeum* forte οἶσος (*hiſt.* 3, 17.).

Cordia Myxa (πέρσιον, *hiſt.* 2, 3. 4, 2.).

Cordia Sebeſtena (κοκκυμηλέα αἰγύπτια, *hiſt.* 4, 3.).

Verbaſcum nigrum (φλόμος μέλαινα, *hiſt.* 9, 13.).

Atropa Mandragora (μανδραγόρας, *hiſt.* 6, 2.).

Solanum Melongena (στρυχνὸς, quem crudum comedunt, *hiſt.* 7, 7.).

Solanum inſanum (στρυχνὸς μανικός, *hiſt.* 9, 12.).

Phyſalis ſomnifera (στρυχνὸς ὑπνώδης, *ib.*).

Viola odorata (ἰωνία μέλαινα, *hiſt.* 6, 6.).

Cuſcuta europaea (ὀροβάγχη, *hiſt.* 6, 8.). Ab ea plantas circumvinciri et angi, unde nomen. Fuit fine dubio haec ὀροβάγχη, quam et ὀσπρολέοντα vocat *Sotion* Tiberii tempore (*Geopon.* 2, 42.) et quam deſcribit *Paxamus* (*ib.* 2, 43.).

Ceratonia Siliqua (κερατωνία, *hiſt.* 1, 18.). Vocatur etiam σῦκος αἰγύπτιος (*hiſt.* 1, 23. 4, 2.) cuius fructum manifeſto ἔλλοβον, leguminoſum habet et folia ſempervirentia.

Rhamnus Alaternus (φυλίκη, *hiſt.* 1, 15.).

Rhamnus lycioides eſt forte ξάμνος ὁ μέλας (*hiſt.* 3, 17.).

Zizyphus vulgaris (ξάμνος λευκὸς, *ib.*).

Zizyphus Paliurus (παλίουρος, *ib.* 4, 3.). Cf. *Anguillara p.* 54.

Zizyphus Lotus (λωτὸς Λιβυκὸς, *hiſt.* 4, 3.). Sed *Celtim auſtralem* ſimul deſcribit, ut *Anguillara* (*p.* 74 f.) recte obſervat.

Evonymus europaeus (εὐώνυμος, *hiſt.* 3, 18.).

Hedera Helix (κιττὸς, *ib.*).

Beta vulgaris (τεῦτλον, *hiſt.* 7, 2.).

Aſclepias procera intelligitur (*hiſt.* 4, 9.) ubi aegyptia planta deſcribitur, parallelis foliis gaudens, qua medici πρὸς τὰ γυναικεῖα utantur. Cf. *Proſp. Alpin. de plant. Aeg. c.* 25. *Norden voy. en Egypte*, 1, *t.* 59.

Eryngium planum (ἠρύγγιον, *hiſt.* 6, 1.).

Bupleurum forte *rotundifolium* eſt βούπρηστις, olerum ſpecies (*hiſt.* 7, 8.).

Coriandrum ſativum (κορίαννον, *hiſt.* 7, 3.).

Ferula tingitana (σίλφιον, *hiſt.* 6, 3.) eſt libyca illa planta, quae ὀπὸν κυρηναϊκὸν largiebatur. Folium μάσπετον dictum, cum Apio Petroſelino comparatur, ſemen ob alas membranaceas φύλλον dicitur. Eam ſpeciem, alienam a perſica Aſa foetida, primus deſcripſit *Hermannus* (*parad. bot. p.* 165.) ſimul etiam *Rivinus* (*pentap. reg.*). Longe aliena eſt a perſica, quam *Kämpferus* (*amoen.* 536.) delineavit, quaeque eadem fere cum ea eſſe videtur, quam *Proſp. Alpinus* (*exot.* 210. f.) e feminibus thracicis eduxerat. Perſicam ſpeciem f. *Aſam foetidam*, in Caucaſo naſci et a pecudibus adamari Ariſtobulus refert apud *Arrianum* (*exp. Alex.* 3, 28.). In Media provenire *Strabo* (11, *p.* 797.) vid. ſupra ad *Hippocr.* De ſilphio cf. *Laurence new ſyſtem of agriculture*, *p.* 384—400. Noſtra enim folia magis laciniata habet, quibus ad Petroſelini ſimilitudinem accedit. Nitida etiam ſunt et e petiolis latiſſime vaginantibus ſurgunt. Perſica autem ſpecies, quae noſtram Aſam foetidam largitur, habet foliola integriuscula obtuſiuscula alternatim ſinuata.

Ferula communis et *meoides* ſub nomine νάρθηκος καὶ ναρθηκίας (*hiſt.* 6, 2.) egregie deſcribuntur. Utraque biennis, foliorum decompoſito-

rum capillaceorum vaginis latiſſimis, floribus luteis et ſeminibus Anetho ſimilibus inſignitur. Illa autem maior, folia habet longiſſima, haec minor foliola appendiculata ſetacea. Cf. *Dodon. pempt.* 2. *p.* 321. In inſulis Archipelagi creſcit etiam ***Ferula glauca***, νάρθηξ noſtratibus Graecis dicta (*Tournefort. it.* 1, 93.).

Laſerpitium ferulaceum (μαγύδαρις, *hiſt.* 6, 3.) cum Ferulis componitur, ſed tenerius eſt Ferula tingitana, ſucco deſtitutum: ſemina tamen pariter alata. Deſcribitur egregie a *Tournefortio* (*it.* 2. *p.* 121.). Cf. *Didym. in Geopon.* 2, 35.

Laſerpitium latifolium (πάναξ χειρώνιον, *hiſt.* 9, 12.). Folia ſimilia λαπάθου dicuntur, pro quo Nicandri ſcholiaſtes legit ἀμαράκου: melius illud, namque plantae noſtrae folia multo magis cum Rumice quam cum Origano Maioranoide comparantur. Bene eam ſpeciem delineavit *Dodonaeus* (*pempt.* 2. *p.* 309.).

Laſerpitium hirſutum (πάναξ Ἀσκληπιὸν, *hiſt.* 9, 12.) cuius folium Thapſiae ſimile et caulis articulatus praedicatur. *Haller ſtirp. helv. t.* 19. *Column. ecphr.* 1, 86.

Laſerpitium formoſum Willd. puto ὀρεοσέλινον eſſe (*hiſt.* 7, 6.) quum cum Anetho comparetur.

Peucedanum officinale (πευκέδανον, *hiſt.* 9, 18.).

Tordylium officinale (σέσελι, *ib.*).

Athamanta cretenſis (δαῦκος, *ib.*). Sed ma-

nifeſto corruptus locus, namque δαφνοειδὴς de nullo δαύκῳ dici poteſt.

Cachrys panacifolia (λιβανωτὶς καρπιμὲς, *hiſt.* 9, 12.) ita distinguitur, ut ad ſimilitudinem foliorum cum Apio graveolenti reſpiciatur. Pictam habet *Moriſonius* (*vol.* 3. *ſ.* 9. *t.* 1. *f.* 4.). In monte generoſo Comenſi ſe inveniſſe hanc λιβανωτίδα autumat *Anguillara* (*p.* 91.) vocari ab incolis Liviſtico ſalvatico.

Oenanthe pimpinellifolia (οἰνάνθη, *hiſt.* 6, 7.).

Thapſia Aſclepium (θαψία, *hiſt.* 9, 10.). Primus delineavit *Matthiolus* 545.

Paſtinaca Opopanax (πάναξ Ἡράκλειον, *hiſt.* 9, 12.). Folium magnum latum τρισπιθαμαῖον et radices tuberoſas deſcribit, quas *Gouanus illuſtr. p.* 20. etiam habet.

Smyrnium Olus atrum (ἱπποσέλινον, *hiſt.* 7, 6.) radice atra magna, foliis Apii graveolentis ſimilibus ſed latioribus.

Anethum graveolens (ἄνηθον, *hiſt.* 7, 6.).

Apium Petroſelinum (σέλινον.).

Apium graveolens (σέλινον ἔλειον, *hiſt.* 7, 6.).

Rhus Coriaria (ῥοῦς, *hiſt.* 3, 18.). Egregie deſcribuntur folia pinnata villoſa, infloreſcentia, fructus et uſus ad rem coriariam.

Drypis ſpinoſa (δρυπὶς, *hiſt.* 1, 16.). Sed *Anguillara p.* 147. *Echinophoram ſpinoſam*, alii *Salſolam Tragum* volunt.

Sambucus nigra (ἀκτῆ, *hiſt.* 3, 13. Egregia deſcriptio.

Leucoium vernum (λευκοΐον, *hiſt.* 6, 7.) ob radicem bulboſam praecocemque florem nil aliud eſſe poteſt.

Narciſſus calathinus forte τὸ κρίνον διανθὲς, quod alterum florem alteri inſertum gerit (*hiſt.* 1, 21.).

Narciſſus orientalis (νάρκισσος ἢ λείριον, *hiſt.* 6, 6.).

Pancratium maritimum (ἡμεροκαλὲς, *hiſt.* 6, 1.).

Crinum aſiaticum videtur illud bulborum genus fuiſſe, quod, in India creſcens, capillos ſub exterioribus ſquamis gerat (*hiſt.* 7, 13.). Eo enim modo *radix toxicaria* a *Rumphio* (*herb. amboin.* 6. *p.* 155.) deſcribitur.

Bulbocodium vernum (βόλβου κώδιον, *hiſt.* 6, 7.).

Allium Porrum (πράσον, *hiſt.* 7, 4.).

Allium ſativum (σκόροδον, *ib.*).

Allium Scorodopraſum (*ib.*).

Allium aſcalonicum (σκόροδον ἀσκαλώνιον, *ib.*). Alio autem loco (*hiſt.* 1, 16.) nomine γητύου ἀκεφάλου occurrit. Cf. *Athen.* 9, 3.

Allium nigrum (μῶλυ, *hiſt.* 9, 15.).

Allium Schoenopraſum (σκόροδον σχιστὸν, *hiſt.* 7, 4.).

Lilium candidum (κρίνον, *hiſt.* 6, 6.).

Lilium chalcedonicum forte τὸ Φλόγιον, *hiſt.* 6, 7.

Erythronium Dens Canis (λείριον τὸ πορφυροῦν, *ib.*).

Scilla hyacinthoides eſt bulbus ille ſub ſquamis lana farctus, ad litora creſcens (*hiſt.* 7, 13.). *Plinius* (19, 2.) neſcire ſe fatetur, quid ſit. Inveniſſe tamen in exemplaribus *eriophoron* id appellari. *Dodonaeus* (692.) *Lanariam plumoſam* et *Scillam hyacinthoidem* delineat.

Aſphodelus ramoſus (*hiſt.* 7, 12.).

Anthericum graecum (ἀνθέρικον, *hiſt.* 1, 7. 7, 12.).

Aſparagus aphyllus (ἀσπάραγος, *hiſt.* 1, 16. 6, 1, 3.). Cf. *Tournefort. it.* 1, 88. Sparogam a Sclavoniae incolis vocari *Anguillara p.* 113.

Loranthus europaeus (στέλις, *cauſſ.* 2, 23.).

Acorus Calamus var. indica (κάλαμος εὔοσμος, *hiſt.* 9, 7.). Cf. *I. Bauhin. hiſt.* 2, 729. 730.

Veratrum album (ἑλλέβορος λευκὸς, *hiſt.* 9, 11.).

Muſa paradiſiaca (*hiſt.* 4, 5.) ubi arborem eſſe in India refert, foliis duos cubitos longis, ſtruthiocamelorum pennis ſimilia.

Oryza ſativa (ὄρυζον, *ib.*) cum Zea componit, granum cartilagineum eſſe. De cultura Oryzae

apud Indos prima relatio *Ariſtobuli* apud *Strabonem* (15, 1014.).

Rumex Patientia (λάπαθον, *hiſt.* 7, 2.).

Colchicum autumnale (ἐφήμερον, *hiſt.* 9, 16.). Sed videtur etiam ἀσπάλαξ (*hiſt.* 1, 11.) eſſe, quod talpae bulbum effodere conſueſcunt.

Amyris Kataf Forsk. (λιβανωτοῦ δένδρον, *hiſt.* 9, 3.). De eo etiam *Herodot.* 3, 107.

Amyris gileadenſis (βαλσάμου δένδρον, *hiſt.* 9, 6.). Deſcribit et *Pauſanias* (9, 28.) myrti magnitudine, foliis Origani Maioranoidis. Cytiſo et Terebintho ſimilem facit *Strabo* (16, *p.* 1107).

Epilobium alpeſtre (οἰνοθήρα, *hiſt.* 9, 20.).

Acer Pſeudoplatanus (σφένδαμνος, *hiſt.* 3, 6. 10.). Cf. *Bellon. obſ.* 1, 17.

Acer creticum (γλῖνον, *hiſt.* 3, 11.).

Diospyros Lotus (διόσπυρος, *hiſt.* 3, 13.) cum Ceraſo comparatur.

Diospyros Ebenaſter ſ. *Melanoxylon* (ἔβενος, *hiſt.* 4, 5.). Sed ſimul graecam tractat, de qua vide ſub Anthyllide.

Daphne ſericea ſ. *oleaefolia* (*hiſt.* 1, 16. 4, 11.) ad lacum Orchomenium creſcere dicitur.

Daphne Cneorum (κνέωρον, *hiſt.* 1, 16. 6, 2.).

Erica ſcoparia ſ. *arborea* (ἐρείκη, *hiſt.* 1, 23.).

Polygonum forte *maritimum* aut *divaricatum* eſt περδίκιον illud radice ampla, quod a perdicibus id quaerentibus nomen habeat (*hiſt.* 1, 11.). Ἑλ-

ξίνη saltem cognominem adferunt *Dioscorides* (4, 86.) et *Galenus* (*sac. simpl.* 6, *p.* 173.).

Butomus umbellatus (βούτομος, *hist.* 1, 11.) 4, 11.) maxime in lacu Orchomenio. Cf. Pseudo-*Democrit. in Geopon.* 2, 6.

Laurus Cinnamomum et *Cassia* (*hist.* 9, 5.) describuntur quidem peregrinatorum fide, sed pleraque falsa. Frutices enim credit, in convallibus crescere refert etc.

Cassyta filiformis sine dubio τὸ συριακὸν βοτάνιον est, quod Καδύτας appellatur, arboribus, vepribus ac aliis plantis innascens (*causs.* 2, 23.). Miram eam vocat et paradoxam, qualem *Forskoleus* (*flor. aegypt. arab. p.* 84.) Volutellae aphyllae nomine, in Arabia inventam describit.

Cercis Siliquastrum (κερκὶς, *hist.* 1, 18.) inter leguminosas numeratur.

Hyperanthera Moringa (βαλάνου δένδρον, *hist.* 4, 2.) describitur trunco παρεστραμμένῳ, foliis myrti sed longioribus.

Rhododendron ponticum ea arbor esse videtur, quae, rosas floribus gestiens, mare ponticum (τὴν ἔξω θάλατταν) accolit (*hist.* 1, 21.).

Arbutus Unedo (κόμαρος, *hist.* 1, 15. 3, 16.) cuius fructus μεμαίκυλον dicitur, folium laurino et ilicino simile sempervirens, flores myrtinis similes racemosi terminales.

Arbutus Andrachne (ἀνδράχνη, *hist.* 1, 15. 3,

16.). Ob paniculae pedunculos hiſpidos fructum ἐκπαπποῦσθαι refert. Sine dubio lacuna in textu eſt. Forte de κοκκυγίᾳ (loco κοκκυμηλέας) ſermo erat, cuius *(Rhois Cotini)* fructus ἐκπαπποῦται.

Tribulus terreſtris et *Fagonia cretica* (*hiſt.* 6, 1. 5.), nomine τριβόλου deſcribuntur. Ille foliis cicerinis gaudet, haec etiam φυλλάκανθος, ſero proveniens et in ſiliqua ſemen gerit.

Sedum Anacampſeros (ἐπίπετρον, *hiſt.* 7, 8.), ſed ἄνανθος, vitio forte librarii, dicitur.

Agroſtemma flos Iovis (Διὸς ἄνθος, *hiſt.* 6, 6.).

Agroſtemma coronaria (φλὸξ, *ib.*).

Lychnis chalcedonica forte πόθος, *hiſt.* 6, 7.

Euphorbia Paralias (ὁ μυρτίτης καλούμενος τιθύμαλλος λευκὸς, *hiſt.* 9, 12. et μήκων ſempervirens, *hiſt.* 1, 15.), foliis gaudere dicitur anguſtis ſetaceis, montoſa amare et fructum κάρυα appellari.

Euphorbia Peplis (ὁ παράλιος κόκκος, *hiſt.* 9, 12.), foliis ſubrotundis.

Euphorbia orientalis (ὁ ἀρρὴν τιθύμαλλος, *hiſt.* 9, 12.), foliis oleae ſimilibus.

Euphorbia antiquorum, *hiſt.* 4, 5. bene deſcribitur. Idem eſt καυλὸς fortibus ſpinis, ſucco copioſo ficulnei ſimili, quem in India Ariſtobulus invenit *(Arrian. exped. Alex.* 6, 22.).

Rhizophora Mangle (*hiſt.* 1, 12. 4, 5.) fide peregrinatorum deſcribitur. De ea narrat et *Oneſicritus* apud *Strabonem* (15, 1016.).

Sempervivum tectorum (ἀείζωον, *hiſt.* 1, 16, 7, 14.).

Punica Granatum (ῥοιὰ). Fructus immaturus κότινος (*cauſſ.* 1, 16. *Galen. comp. medic. ſec. loca*, 7, 256.).

Cactus Opuntia (*hiſt.* 1, 12.). Opus Locridis patria: ficus indica quoque appellatur.

Prunus domeſtica (κοκκυμηλέα, *hiſt.* 1, 18.).

Prunus inſiticia (σποδιὰς, *hiſt.* 3, 7.), quae ſit velut prunus ſylveſtris.

Prunus Ceraſus (κέρασος, *hiſt.* 3, 13.). Videtur tamen haud adeo vulgaris in Graecia fuiſſe, licet egregie Theophraſtus deſcribat deſquamationem corticis, florem et fructum.

Prunus Padus (πάδος, *hiſt.* 4, 1.). *Amygdalus communis* (*hiſt.* 7, 12.).

Pyrus Cydonia, cuius duplex varietas, στρουθίον, Cydonia oblonga et κυδωνίον, Cydonia maliformis (*hiſt.* 2, 3.) recenſentur. Cf. *Athen.* 3, 81.

Pyrus cretica (ἴψος ὀψιβλαστότατον, *hiſt.* 3, 6. manifeſto autem κολυτέα τῆς Ἴδης *hiſt.* 3, 17.). Frutex eſt, folio laurino, ſubtus cano-tomentoſo nervoſo: nec florem nec fructum ferre dicitur. Deſcripſit tamen et florem et fructum *Alpinus exot.* c. 2.

Pyrus Amelanchier (συκῆ Ἰδαῖα, *hiſt.* 3, 17.).

Pyrus torminalis (μέσπιλος ἀνθηδὼν, *hiſt.* 3, 12.) ob inciſum folium et ſpinarum defectum.

Pyrus Aria (ἀρία, *hiſt.* 3, 6.). Bene deſcribit *Anguillara p.* 81.

Meſpilus Cotoneaſter (μέσπιλος, σητάνειος, *hiſt.* 3, 12.).

Meſpilus Pyracantha (ὀξυάκανθα, *hiſt.* 3, 4. 6.).

Crataegus Azarolus (κράταιγος, *hiſt.* 3, 15.). Male *Athenaeus* (2, 11.) pro Ceraſo habet, quod animadvertunt *Bodaeus p.* 131. et *Leſebure de Villebrune ad Athen. p.* 187.

Sorbus domeſtica (οἴη, *hiſt.* 3, 12.).

Spiraea ſalicifolia (σπειραῖα, *hiſt.* 1, 23. Cf. *Cluſ. hiſt.* 1. *p.* 84.).

Roſa centifolia (*hiſt.* 6, 6.) ad Philippos ſponte creſcere dicitur: ſponte creſcere in Macedonia iam *Herodotus* teſtatur (8, 138.). Et noſtris temporibus inventa eſt ad Kubam in Schirwan Perſiae borealis (*Marſchall von Bieberſtein Beſchreib. der Länder am Kaukaſus*, *p.* 78.): odoratiſſima Cyrenaica vocatur, quae forte *R. moſchata:* ſed ſempervirens etiam memoratur (*hiſt.* 1, 15.), qualis in climate auſtrali eſſe omnino poteſt. Totus frutex ῥωδωνία vocatur, ſicut ἰωνία, κριωνία.

Rubus fruticoſus (βάτος, *hiſt.* 1, 15.) ſempervirens.

Rubus caeſius (*hiſt.* 3, 18.) repens.

Rubus idaeus (*ib.*) erectus.

Tormentilla erecta (πεντάφυλλον, *hiſt.* 9, 14.).

Papaver Rhoeas (ῥοιὰς, *hiſt.* 9, 13.).

Glaucium phoeniceum (μήκων κερατίτις, *ib.*).

Chelidonium maius (χελιδόνιον, *hiſt.* 7, 14.).

Corchorus olitorius (κόρχορος, *hiſt.* 7, 7.). Cf. *Plin.* 21, 53. *Anguillara p.* 92. eamdem credit cum ἀναγάλλιδι Dioſcoridis, de quo vehementer dubito.

Ciſti duae ſpecies, inter quas *C. creticus* flore purpureo (*hiſt.* 6, 2.) obiter memorantur: mala lectio κισσοῦ pro κίστου.

Tilia europaea (φίλυρα, *hiſt.* 3, 10. 5, 4.) manifeſto eſt, quae folio, cortice, materie, flore fructuque inſigniter cum noſtra congruit.

Tilia alba forte ea eſt, quae folia ampliora et ἐκλευκότερα (candicantia) habere (*cauſſ.* 2, 26.) dicitur. Non Americam enim ſolummodo, ſed Hungariam etiam incolere, *Kitaibelus* nuper (*pl. hungar. t.* 3.) docuit. Graecia itaque incolam eam credere nil vetat.

Nymphaea alba (σίδη, *hiſt.* 4, 11.) in lacu Orchomenio.

Nymphaea lutea (νυμφαία, *hiſt.* 9, 13.).

Nymphaea Lotus (λωτὸς, *hiſt.* 4, 10.).

Nelumbium ſpecioſum (κύαμος, *hiſt.* 4, 10.). Et huius et Loti deſcriptionem vide apud *Herodot.* 2, 92.

Anemone nemoroſa (ἀνεμώνη λειμωνία, *hiſt.* 6, 7. 7, 8.

Anemone coronaria forte alia ἀνεμώνη, quibus ad ſerta conficienda utebantur.

Ranunculus forte *Ficaria* eſt ἀφία (*hiſt.* 7, 8.), quae ſimul cum foliis florem promit.

Helleborus orientalis (ἑλλέβορος μέλας, *hiſt.* 9, 11.).

Teucrium Polium (πόλιον, *hiſt.* 1, 16.).

Teucrium creticum (ἑλένιον, *hiſt.* 6, 6.). Miſſam ſibi e Cephalonia teſtatur *Anguillara p.* 172.

Teucrium Chamaedrys (χαμαίδρυς, *hiſt.* 9, 10.).

Satureia capitata (θυμὸς, *hiſt.* 6, 2.). Hunc thymum laudat praeprimis *Galenus* (*antid.* 1, 427.) ut optimam mellis materiam.

Satureia Thymbra (θύμβρα, *ib.*). Cf. *Bellon. obſ.* 1, 2.

Meliſſa cretica (καλαμίνθη, *cauſſ.* 2, 22.).

Mentha ſylveſtris (σισύμβριον, *hiſt.* 2, 5. *cauſſ.* 2, 22.).

Mentha ſativa (μίνθος, *ib.*).

Marrubium peregrinum et *creticum* (πράσιον, *hiſt.* 6, 2.). Duae hae ſpecies ſatis bene distinguuntur.

Marrubium Pſeudo-Dictamnus (ψευδοδίκταμνος, *hiſt.* 9, 16.).

Origanum Maioranoides (ἀμάρακος, *hiſt.* 1, 15.).

Origanum creticum (ὀρίγανον λευκὸν, *hiſt.* 6, 2.).

Origanum heracleoticum (ὀρίγανον μέλαν, *ib.*).

Origanum Dictammus (δίκταμνος κρητικὸς, *hiſt.* 9, 16.).

Origanum Tourneſortii (δίκταμνος τρῖτος, *ib.*) ob folia hirſutiora, qualia Mentha ſylveſtris habet, diverſum. Cf. *Tourneſort. it.* 1, 91.

Thymus vulgaris (ἔρπυλλος, *hiſt.* 6, 7.).

Lavandula Spica (ἴφυον, *hiſt.* 6, 6.). Ex auctoritate *Heſychii*, qui (*ad h. v.*) λαβαντίδα, i. e. Lavandulam dicit. Cf. *Bod. ad Theophr. p.* 669.

Ocimum Baſilicum (ὤκιμον, *hiſt.* 7, 3. et aliis locis.). Diu quidem, maxime ob radicem ligno-ſam haeſitavi, effetne haec planta, neque tamen alii adſignare poſſum, quae Theophraſtus illi tri-buit. Cf. *Schol. Nicandr. alex.* 280., ἡδυόσμῳ ὅμοιον. *Tragus* (*ſtirp. hiſt.* 2, 25.) perperam Polygonum Fagopyrum eſſe vult, quod pabulum fuerit, priusquam ſiliquas proferat, metendum (*Varro r. r.* 1, 31.). Certiores nos tamen facit *Belonius* (*obſ.* 2, 40.), ocimum in oriente li-gneſcere, in triplo maiorem excreſcere altitudinem acolerum loco comedi. Cf. *Amoreux in act. ſoc. reg. agricult.*, *Paris* 1789. p. 62 f.

Seſamum orientale (σήσαμον).

Melampyrum arvenſe (μελάμπυρον, *hiſt.* 8, 6.).

Antirrhinum maius (ἀντίῤῥινον, *hiſt.* 9, 21.). Sed corruptus locus, quum Aparines ſimile habe-tur. Bene tamen, fructus μόσχου ξίνας habere.

Orobanche tinctoria (αἱμόδωρον, *hiſt.* 8, 8.).

Acanthus ſpinoſus (ἄκανθος, *hiſt.* 1, 16.).

Alyſſum ſativum (ἐρύσιμον, *hiſt.* 8, 3.).

Braſſica Eruca (εὔζωμον, *hiſt.* 1, 9. 7, 3.). Oleribus olim adnumerata, ut Lactuca comedebatur.

Braſſica Napobraſſica (γόγγυλις, *hiſt.* 7, 4.).

Raphanus ſativus (ῥαφανὶς, *ib.*). Et maior et minor varietas.

Heſperis triſtis (ἔσπερις, *cauſſ.* 6, 28.). Cf. *Plin.* 21, 7.

Portulaca oleracea (ἀνδράχνη, *hiſt.* 7, 3.).

Althaea officinalis (ἀλθαία, *hiſt.* 9, 17.).

Lavatera arborea forte μαλάχη ſ. ἄλιμον (*hiſt.* 1, 4. 4, 20.).

Spartium Scorpius (σκόρπιος, *hiſt.* 6, 1. 3. Cf. *Anguillara*, *p.* 143.).

Ononis antiquorum (ὄνωνις, *hiſt.* 6, 5.).

Anthyllis cretica (ἐβένη, δένδρον θαμνῶδες, ὥσπερ ὁ κύτισος, *hiſt.* 4, 5.). Ebenum hanc creticam primus ſtabilivit *Honorius Bellus* (*ad Cluſ. hiſt. app. p.* 309.), dein *Proſp. Alpinus exot.* 2, 32. addita icone *p.* 278.

Phaſeolus vulgaris (δόλιχος, *hiſt.* 8, 3.). Iam tum ex India forte cum Alexandri militibus adlatos fuiſſe phaſeolos, patet e deſcriptione Theophraſti et e loco *Galeni* (*fac. alim.* 1. *p.* 317.), ubi a *Diocle* inde Caryſtio, Theophraſto tempore aequali, deſcriptos fuiſſe refert.

Dolichos forte *Catiang* (*hiſt.* 4, 5.). Fuiſſe legumen quoddam in India, quod Graeci φάκος appellaverint, foeno graeco ſimile.

Arachis hypogaea (σύγγον, *hiſt.* 1, 1. 11.). Fructum ſub terra ferre, βλαστὸν exilem, radicem longam et veſcam, colligi Nilo redundante et aras eo coronari.

Lathyrus ſativus (λάθυρος, *hiſt.* 8, 3.).

Lathyrus Aphaca (ἀφάκη, *hiſt.* 8, 5. 8.).

Lathyrus amphicarpos (ἀραχίδνα, *hiſt.* 1, 1. 11.). Ridiculum, Solanum tuberoſum a *Cluſio* huc relatum fuiſſe. Lathyrum tuberoſum habet *Columna ecphraſ.* 1, 136. *p.* 301.

Lathyrus tuberoſus (ἄρακος, *hiſt.* 8, 8.). Cf. *Galen. fac. alim.* 1, *p.* 316.

Vicia Faba (κύαμος, *hiſt.* 8, 3.).

Cicer arietinum (ἐρέβινθος, *hiſt.* 8, 3. κρίος 8, 5.).

Piſum ſativum (ὁ πίσος, *hiſt.* 8, 3. ἐρέβινθος ἐροβιαῖος, 8, 5.).

Piſum Ochrus (ὠχρὸς, *hiſt.* 8, 3.).

Biſerrula Pelecinus (πηλεκῖνος, *hiſt.* 8, 8.) inter Lathyros ſpontanea. *Coronillam* habet *Securidacam Cluſ. hiſt.* 2, 236. 237.

Colutea cruenta (κολουτέα πρὸς Λίπαραν, *hiſt.* 1, 18. 3, 14. 17.).

Glycyrrhiza aſperrima (γλυκεῖα ῥίζα σκυθικὴ, *hiſt.* 9, 13.). Narrat, hac radice veſci Scythas

cum hippace. Idem adfirmat *Pallaſius (Reiſe*, 1. *app. n.* 121.), qui hanc ſpeciem frequentiſſimam in deſerto ad Iaikum invenit, quae a Calmuccis avide comedatur et theae loco infundatur.

Ervum Ervilia (ὄροβος). Pabulum boum cultum. Cf. *Ariſtot. hiſt. anim.* 3, 21. *Galen. ſac. alim.* 1, *p.* 304.

Aſtragalus creticus Lam. (τραγάκανθα, *hiſt.* 9, 1.). Prius ſoli Cretae peculiarem putaſſe, iam vero et in Achaide Peloponeſi inventum fuiſſe. Hanc eſſe veram ſpeciem gummiferam, *Tournefortius* docuit, invenit etiam nuper in Caucaſo *Marſchallius (Beſchr. der Länd. am Cauc. p.* 78.).

Medicago ſativa (μηδική, *hiſt.* 8, 8.).

Medicago arborea (κύτισος, *hiſt.* 4, 20.). Cf. *antiqu. bot. p.* 37.

Citrus medica (μηλέα μηδική ἢ περσική, *hiſt.* 1, 22. 4, 4.). Bene deſcribitur, ſed optime proveniſſe in Graecia haud videtur, quum edules fructus non haberentur, ſed ob ſolam ſpiritus εὐοσμίαν in ore ſervarentur. Serebatur in vaſis fictilibus perforatis, ut radicem agere tutius poſſet.

Lactuca ſativa (θριδακίνη, *hiſt.* 1, 16. 7, 4.). Plures aderant varietates; candida, quae dulcior ac tenerior; rotundicaulis, Laconica, folio criſpo ſpinoſo (quae forte *L. criſpa*) et laticaulis, adeo gigantea, ut pro valvis hortorum haberetur.

?Prenanthes purpurea est *Tabernaemontano* (1, 319.) λιβανωτὶς ἄκαρπος, (*hist.* 9, 12.).

Tragopogon crocifolius (τραγοπώγων, *hist.* 7, 7.), folio croceo, calyce ampliſſimo et pappo plumoso.

Sonchus maritimus (σόγκος 7, 9.) folio ſpinuloso.

Leontodon Taraxacum (ἀφάκη, *hist.* 7, 8.), primo vero florens, per totum annum durat.

Cichorium Intybus (κιχώριον, *hist.* 1, 16. et aliis locis.).

Helminthia echioides (πίκρις, *hist.* 7, 11.).

Hyoseris lucida (ὑποχοίρις, *hist.* 7, 11.).

Carthamus tinctorius (κνῆκος, *hist.* 6, 3. 4.).

Carthamus mitiſſimus (κνῆκος μαλακώτερος καὶ λειότερος, *hist.* 6, 4.).

Carthamus arboreſcens ſine dubio gigantea illa κνήκου ſpecies eſt, quae (*hist.* 6, 4.) memoratur.

Carthamus lanatus (ἀτρακτυλὶς ἢ Φόνος, *hist.* 6, 4.), qui vulneratus ſuccum edat cruentum. Cf. *Column. ecphraſ.* 2. *Anguill. p.* 149.

Onopordon Acanthium (ἄκανος, *hist.* 1, 16. 6, 1. 4. 9, 13.). Cf. *Honor. Belli epiſt.* ad *Cluſ. p.* 310. Ὀνόγωρον dicit *Nicander*, *ther.* 71. E Creta advectum deſcribit *Anguillara p.* 189.

Carduus leucographus (λευκάκανθος, *hist.* 6, 3.).

Carduus arvenſis (ἡ ἄκανθα ἡ κεάνωθος, *hiſt.* 4, 11.). Cf. *Column. ecphraſ.* 1, 12. *Anguillara p.* 141.

Scolymus maculatus (σκόλυμος, *hiſt.* 6, 4.). Edulis tum radix tum floris baſis ipſa. Diu arbitratus ſum, noſtram Cynaram Scolymum intelligi, donec *Anguillarae* optimi *(p.* 135.*)*, *Cluſii (hiſt.* 1, *p.* 153.*)* et *Beckmanni (Geſch. der Erfind.* 2, 209.*)* argumenta perpenderim. Docuerunt ii enim, Scolymum Linnaeanum, Bononienſibus *Eringio* dictum, radiceque veſca praeditum, omnino eumdem eſſe cum Theophraſteo, alienum autem a Dioſcorideo, quippe qui magis cum noſtra Cynara congruat. Id eryngium *Plinii (*22, 8.*)* eſſe, maxime probabile eſt.

Cynara Cardunculus (κάκτος, *hiſt.* 6, 4.). Edules petioli foliorum. Cf. *Athen.* 2, 28.

Arctium Lappa (ἀπαρίνη *altera*, *hiſt.* 7, 14.).

Carlina acaulis (χαμαιλέων λευκὸς, *hiſt.* 9, 13.).

Acarna gummifera (ἰξίνη, *hiſt.* 6, 4. 9, 1.). Maſtichinum largiri laticem ſanguineum. Cf. *Column. ecphraſ.* 1. Bene deſcribit, qualem in Umbria invenerit, *Anguillara p.* 138. Cf. *Alpin. exot. c.* 54. *ic. p.* 124. 125.

Acarna cancellata (πτέρνιξ, *hiſt.* 6, 4.). Capitula florum involucris ſpinuloſis et ſeminibus pappoſis demtis, comedi. Hanc et antecedentem ſpe-

ciem Cretae incolae et hodie amant. Σκαλίον vocari, Scaleram autem ab incolis Tarenti *Anguillara* teſtatur *p.* 137. Cf. *Alpin. exot.* 2, 21. *p.* 255.

Santolina forte *Chamaecypariſſus* (ἀβρότονον, *hiſt.* 6, 7.).

Gnaphalium Stoechas (ἐλίχρυσον, *hiſt.* 7, 3. 9, 21.).

Inula viſcoſa et *Pulicaria* (κόνυζα ἄῤῥεν καὶ θῆλυ, *hiſt.* 6, 2.). Cf. *Schol. Theocrit. id.* 7, 68.

Senecio vulgaris (ἠριγερὼν, *hiſt.* 7, 8.).

Doronicum ſcorpioides (θηλύφονον, σκόρπιος, *hiſt.* 9, 19.). Folia Cyclamini ſimilia, radix ſcorpionem refert (Cf. *Column. ecphr.* 2, 18. *p.* 36.).

Centaurea benedicta (ἄκορνα, *hiſt.* 1, 16. 6, 4. forte et ἄκορος, *hiſt.* 1, 22.), folio ſpinoſo, flore flavido et λιπαρῷ. Cf. *Anguillara p.* 146.

Centaurea Cyanus (μήκων Ἡρακλεία, *hiſt.* 9, 13.). *Fab. Columna* ſaltem huc refert (*phytob. p.* 74. *t.* 21.).

Brotera corymboſa Willd. (χαμαιλέων μέλας, *hiſt.* 9, 13.). Primus eam in Sclavonia et Apulia viderat, delinearique curavit optimus *Anguillara p.* 139. 140.

Echinops Ritro (ἔχινος 6, 3.). Cf. *Anguillara p.* 142.

Orchis Morio (ὄρχις, *hiſt.* 9, 19.).

Ariſtolochia cretica (ἀριστολοχία, *hiſt.* 9, 13. 22.). Cf. *Nicandr. ther.* 510.

Typha latifolia (τύφη, *hiſt.* 1, 8. 4, 11.). Sed corruptus locus: pro ἄφυλλος enim ἀφυλλάνθης legendum. *Bod. ad Theophr. p.* 464.

Phucagroſtis maior Caulin. (φυκοῦ γένος τῇ ἀγρώστιδι ὅμοιον, *hiſt.* 4, 7.). Cf. *Caulin.* in *Uſteri's Annal.* 11, 33. Aliud nomen *Cymodoceae aequoreae* largiuntur huic plantae auctores *annalium bot. angl. vol.* 2. *p.* 96.

Alnus oblongata Willd. (κλήθρα, *hiſt.* 3, 4.).

Cocos nucifera (κοκκιόφορα, *hiſt.* 4, 2.). A vulgari phoenice hanc palmam differre, quod fruticoſa ſit, fructum ferat rotundum, mole inſignem et latice gratiſſimo plenum. Primus *Anguillara* (*p.* 70.) fructum hunc verum cognovit.

Poterium ſpinoſum (φλέως, στοίβη καλουμένη, *hiſt.* 6, 1. 5.).

Thelygonum Cynocrambe (φύλλον θηλύγονον καὶ ἀῤῥηνόγονον, *hiſt.* 9, 19.).

Arum Colocaſia (ἄρον, *hiſt.* 7, 11.). Cf. *Anguillara p.* 127.

Arum Dracunculus (δρακοντίον, *ib.*).

Corylus Avellana et *tubuloſa Willd.* diſtinguuntur *hiſt.* 3, 15. Eſſe enim, quae rotundam et aliam, quae oblongam nucem ferat.

Carpinus Betulus (ζυγία, *hiſt.* 3, 4. 6. 10.), *Plinio* (16, 15.) et *Vitruvio* (2, 9.) ita vertentibus.

Quercus Ilex (πρῖνος, *hiſt.* 3, 16.).

Quercus coccifera (πρῖνος, ἡ τὸν Φοινικοῦν κόκκον φέρει, *hist.* 3, 8.).

Quercus Cerris (ὀξύη ἀγρία). Namque folium habet solidum πολυσχιδὲς (l. δισχιδὲς), προμηκέστερον ἀπίου καὶ ἐξακανθίζον (*laciniae foliorum sunt mucronatae*). Καρπὸς βαλανῶδες ἐν ἐχίνῳ (*calyx hispidus crinitus*) καὶ οὐχ' ὡς ἡ Διὸς βάλανος ἀκανθώδης (*hist.* 3, 6.). *Caesalpinus* (*de plant.* 2, 3.) non sine difficultate *Fago sylvaticae* tribuit. Cf. *Bellon. obs.* 1, 41.

Quercus Suber (φελλὸς, *hist.* 3, 16.).

Quercus Pseudo-Suber Santi (ἀλιφιλοιὸς, *hist.* 3, 9.). Cf. praesertim *Dalechampii* descriptionem apud *Bod. p.* 154.

Quercus Aegilops (αἰγίλωψ, *hist.* 3, 9.).

Quercus Esculus (φηγὸς, *hist.* 3, 9.).

Quercus Ballota Desfont. (ἡμερὶς, *hist.* 3, 9.). De ea quercu loquitur *Strabo* (3, 215.).

Quercus Tournefortii (πλατύφυλλος, *ib.*).

Quercus saginea (σμίλαξ Ἀρκαδῶν, *hist.* 3, 16. Haec forte est παιδέρως *Pausaniae* (2, 10.) humilis, Sicyoni peculiaris, foliis subtus canis, minoribus quam Qu. Esculi. Cf. *Desfontaines in annal. phys. gall.* 38, 375 f.

Iuglans regia (καρύα περσικὴ, *hist.* 1, 18. 3, 7.).

Fagus Castanea (Διὸς βαλανὸς εὐβοϊκὴ, *hist.* 1, 18. καστανάϊκὸν κάρυον, *hist.* 4, 10.).

Morus nigra (συκάμινος, *hiſt.* 1, 19.).

Oſtrya vulgaris (ὀστρύα, *hiſt.* 3, 4. 10.).

Pinus Abies (ἐλάτη). Graeci noſtrates, Pontus euxini accolae, ἐλάτης nomine inſigniunt *Pinum orientalem* (*Tournefort. it.* 2, 104.).

Pinus Larix (πίτυς). Hanc ſolam regerminare e caeſo trunco, ut in Lesbo acciderit, incenſo monte Pyrrhaeo (*hiſt.* 3, 10.).

Pinus maritima (πεύκη Ἰδαία, *hiſt.* 3, 10.).

Pinus halepenſis (πεύκη παραλίος, *ib.*).

Pinus picea (πεύκη.).

Pinus Pinea (πεύκη κωνοφόρος, *hiſt.* 2, 3. *cauſſ.* 1, 23.).

Thuia articulata (θυίον, θυία, *hiſt.* 5, 5.). In agro Cyrenenſi copioſam eſſe Cupreſſo ſimilem, radicem denſam, materiem denſiſſimam. Invenerunt in collibus Barbariae et *Shawius* et *Vahlius* (*ſymb.* 2. *f.* 48.) et *Fontaneſius* (*fl. atlant.* 2. *t.* 252.). Male ſagaciſſimus cetero *Anguillara* (*p.* 47.) ad Sabinam refert.

Cucumis ſativus (κολοκύνθις.).

Cucumis Melo (σίκυος.).

Cucurbita Pepo (σικύα.).

Cucurbita Citrullus (πέπων.).

Salix Helix (ἰτέα ἕλιξ, *hiſt.* 3, 13.).

Salix riparia (ἰτέα μέλαινα, *ib.*).

Salix alba (ἰτέα λευκὴ, *ib.*).

Salyx babylonica (ἐλαιάγνος, *hiſt.* 4, 11.).

Humida loca amans, folio incano, flore populi ſimili, fructu nullo. Cf. *Rauwolf itin. p.* 112.

Viſcum album (ἶξία, *cauſſ.* 2, 23.).

Iuniperus communis (ἄρκευθος.).

Iuniperus nana (κεδρὶς, *hiſt.* 1, 15. 16.). Non arboreſcit.

Iuniperus Oxycedrus (κέδρος, *hiſt.* 1, 16. 3, 12.). Nomine ἀρκεύθου μεγάλης deſcribit *Dioſcorides* (1, 103.). Cf. *Anguillar. p.* 45. 46.

Taxus baccata (μίλος, *hiſt.* 3, 10.).

Buxus ſempervirens (πύξος, *hiſt.* 3, 15.).

Phoenix dactylifera (φοῖνιξ).

Cycas circinalis (κύκας, *hiſt.* 2, 8.). Inde panes confici.

Chamaerops humilis (χαμαιριφὲς, *hiſt.* 2, 8.). In Creta et Sicilia inveniri, e radice germinari, inſervire ad ſportulas et vitilia. *Anguillara p.* 71. Cefaglione appellari in Sicilia.

Tamus communis (ἄμπελος Ἰδαία, *hiſt.* 3. 17.) folio rotundo minori integro.

Populus alba (λευκὴ) et *nigra* (αἴγειρος, *hiſt.* 3, 14.).

Piſtacia Lentiſcus (σχῖνος, *hiſt.* 9, 1.).

Piſtacia Terebinthus (τέρμινθος, *hiſt.* 3, 15.).

Smilax aſpera (σμίλαξ, *hiſt.* 1, 16. 3, 18.) φύλλον εἰς ὀξὺ προῆκον καὶ παραγωνίζον.

Ruſcus aculeatus (κεντρομυρρίνη, *hiſt.* 3, 17.).

Ruſcus racemoſus (θραύπαλος, *hiſt.* 3, 7. 4, 1.).

Ruſcus Hypophyllum (δάφνη Ἀλεξανδρείη ἐπιφυλλοκάρπος, *hiſt.* 1, 16. 3, 17.).

Acacia Senegal (ἄκανθος λευκὴ, *hiſt.* 4, 3.). Huius flores eſſe adſpectu pulcros (ſulfureos) et odore ſuaves: coronis ideo implecti, quod et teſtatur *Hellanicus* apud *Athen.* 15, 678.

Acacia arabica (ἄκανθος μέλαινα, *ib.*). Illam cortice albo, hanc fuſco inſigniri, utramque gummi largiri et egregiam materiem. Hanc materiem cum ligno lotino componit *Herodotus* (2, 96.) et ad navigia ſtruenda adhiberi teſtatur.

Acacia Catechu (ἄκανθος τῆς Ἀρίας χώρας, *hiſt.* 4, 5.) quae lacrimam fundat.

Mimoſa polyacantha (ὕλημα ἴδιον περὶ Μέμφιν, *hiſt.* 4, 3.). Totus aſpectus ſpinis horridus, folia filicina, quae ſi quis tetigerit, collabi et poſt aliquod tempus iterum erigi. Nulla, quod ſciam, Mimoſa Africae incola eſt, quae ſenſitiva ſit, praeter hanc ſpeciem, quam *Brucius* nomine *Ergett el Krone* (*Reiſe*, 5, *t.* 7.) delineavit.

Polypodium vulgare, in arborum truncis quandoque inveniri (*cauſſ.* 2, 23.).

Athyrium Filix femina (θηλύπτερις, *hiſt.* 9, 20.).

Aſplenium Trichomanes (τριχομανὲς, *hiſt.* 7, 13.). Stipite nigro, foliis parvis oppoſitis.

Aſplenium Hemionitis (ἡμιόνιον, *hiſt.* 9, 19.).
Scolopendrium officinale (σκολοπένδρον, *ib.*).
Adiantum Capillus (ἀδίαντον, *hiſt.* 7, 13.).

Fucus bulboſus Turn. (Φύκους γένος, ὃ καλοῦσιν ἔνιοι πράσον, ἄλλοι δὲ ζωστῆρα, *hiſt.* 4, 7.) latifolius, colore herbido, radice denſa bulboſa extus hirta ſupra ſquamata.

Fucus aculeatus Turn. (τὸ δὲ τριχῶδες, ὥσπερ τὸ μάραθρον, *ib.*).

Fucus ſaccharinus (πράσον, *ib.*). Naſci in oceano extra Herculis columnas, mira magnitudine, oriri autem velut ex umbilico. Eſt hic cotyledon, quali Fucum delineavit *Gunnerus flor. Nor v.* 2, *t.* 9. *f.* 4. 5.).

Fucus cartilagineus (Φύκους γένος κάλλιστον ἐν Κρήτῃ, ᾧ βάπτουσιν τὰς ταινίας καὶ τὰ ἔρια, *ib.*).

Fucus tamariſciſolius Turn. F. *Myrica Gmel. fuc. t.* 3. (δρῦς, ἧς Φύλλον μυρικωδέστερον καὶ λεπτὸν, πολὺ δὲ καὶ οὐκ ἀνόμοιον τοῖς τῶν ὀσπρίων λοβοῖς, κοῖλον δὲ ἔνδοθεν· ἡ δὲ μορφὴ σκολιωτέρα, ἀκρέμονας ἔχει σκολιωτέρας καὶ βραχυτέρας καὶ πυκνωτέρας, *ib.*).

Fucus ſiliquoſus (ἐλάτη, ἧς Φύλλον προμηκέστερον καὶ παχύτερον, ἡ δὲ μορφὴ μονόκαλος καὶ ὀρθή, *ib.*). In ramis animalcula marina reſidere.

Fucus forte *volubilis* ſ. *ſpiralis Barrel. ic.* 1303. eſt ἄμπελος ποντία, *ib.*

Fucus turbinatus Gmel. fuc. p. 97. *t.* 5. *f.* 1. (συκῆ ποντία ἄφυλλος, *ib.*).

Fucus palmatus Gmel. t. 30. (φοῖνιξ ποντία, *ib.*).

Fucus membranifolius Woodv. in *Linn. transact.* 3, *t.* 15 f. *F. Palmetta fl. dan.* 827. poteſt δάφνη ποντία eſſe.

Ulva Lactuca (ἄλλο δὲ βότρυον, ὃ φύλλον ἔχει ποῶδες τῇ χρόᾳ, πλατὺ δὲ καὶ οὐκ ἀνόμοιον ταῖς θριδακίναις, *ib.*).

Tuber cibarium Sibth. eſt ὕδνον, maxime κεραύνιον, κράνιον, γεράνειον (*hiſt.* 1, 9.) de quo et *Athen.* 2, 21.

Agaricus forte *delicioſus* ſ. *campeſtris*, μύκης (*hiſt.* 1, 8.).

Helvella forte *eſculenta* aut *Morchella eſculenta* erit πύξος ſ. ut legit *Athenaeus*, πέζια (*hiſt.* 1, 9.).

En totum vegetabilium, quae cognoviſſe Theophraſtus videtur, ambitum, in quibus definiendis ſi nonnunquam lapſus fuero, excuſandus eſſe videor et mancis deſcriptionibus et corrupto textu et ipſis auctoris erroribus. Etenim longe alienus Theophraſtus a praeceptoris more fuit, qui omnia, quotquot deſcripſit, ipſe etiam examinare ſategit. Noſter vero peregrinatorum fide aut relationibus,

quas vulgus ferebat, nixus, plurimas immiſcuit fabulas, quae ſi ipſius fidem ſuperare videbantur, *περὶ τούτου δὲ σκεπτέον* plerumque adiunxit.

PHYSICA VEGETABILIUM.

Hiſtoriam plantarum naturalem Theophraſtus obiter et quaſi aliud agens tractavit, calamo eas fugaci delineans properavit ad rationes vegetationis, in quibus exponendis et ad artes, praeſertim ad hortorum et agrorum culturam applicandis omnis eſſe ſtudebat.

In *nominibus* partium deligendis curioſus fuit, eaque ſtudioſe definivit, quod ſatis laudandum, quum novo ſaepe et prius haud uſitato ſignificatu voces uſurpet. De definitionibus tamen agens (*hiſt.* 1, 6.) *οὐκ ἀκριβολογητέον* inquit *τῷ ὅρῳ, ἀλλὰ τῷ τύπῳ λεπτέον τοὺς ἀφορισμούς*. Accidentales tamen et eſſentiales differentias probe agnoſcit: ſylveſtres enim et urbanas, floriferas et non floriferas, arbores, frutices et herbas haud naturali et eſſentiali modo inter ſe differre manifeſto docet.

Foliorum formas non male expreſſit, plerumque tamen ſimilitudines adfert, *προσεμφερὲς τῷ τῆς πτελέας, δάφνης, ἐλαίας*. Ad marginem praecipue reſpexit, *ἐντομὰς* distinxit ab *εὐσχίστοις* foliis: *μίσχον* (petiolum) fere ubique deſcripſit. (*hiſt.* 1, 16.).

Arbores primus vocat μονοστελεχεῖς, Frutices vero (φρύγανα) πολυστελεχεῖς ἀπὸ ῥίζης: posse tamen et olera arboreſcere, quae δενδρολάχανα iccirco vocentur, et myrtum fruteſcere, ni continuo purgetur (*hiſt.* 1, 5.). Βρύον fere ſemper gemmas, βλάστημα autem germen e ſemine aut gemma prodiens (pouſſe ou rejetton Gallorum) ἔλικα capreolum, ἀκρέμονας ramos aut ὄζους vocat.

De fructibus agens pauciſſimas arbores ὄσπρια ferre aut gymnoſpermas eſſe exiſtimavit: ἑλλοβοσπέρματα (*ſiliquoſas*) optime distinxit ab ἐμφλοιοσπέρμασι et παπποσπέρμασι (*hiſt.* 1, 18. 7, 3.).

Ipſam vero plantae definitionem haud auſus eſt proferre: bene enim perſpexit, adeo variam eſſe vegetabilium indolem, ut paucis verbis character eorum exprimi nequeat. (Ὅλως δὲ πολύχουν τὸ τῶν φυτῶν καὶ ποικίλον καὶ χαλεπὸν εἰπεῖν καθ' ὅλον, *hiſt.* 1, 2.). Neque radicem enim neque caulem neque florem neque fructum omnibus ſingulisque plantis tribui poſſe.

Ceteroquin, veterum philoſophorum more, a comparatione animalium cum plantis proficiſcitur, ut et fabricam plantarum et partium uſum exponat. Hinc ad humidum radicale et calidum primigenium omnia reducere conatur (*hiſt.* 1, 3. *cauſſ.* 1, 13.).

Quum Ariſtoteles in animalibus ad fibras et venas ubique conſilium transtulerit, noſter ſimili ratione haec principia in herbarum phyſicam intro-

duxit. Definivit autem *fibram* (ἶνα) longitudinale quid et continuum et fiſſile neque regerminans (ἀπαράβλαστον): *venas* vero eſſe maiores et denſiores et ramoſiores fibris. Inter utrumque principium ſemper carnem ſ. telam cellularem inveniri. Lignum maxime conflari ἐξ ἰνὸς καὶ ὑγροῦ. Progredi in folia et fibras et venas: e fibrillis ſolis conſtare folia graminea, ubi παράλληλαι progrediantur. Sic flores et fructus modo e fibris et carne, iam e fibris et cortice conflari (*hiſt.* 1, 17.). Venas et fibras omnium εὐγενεστάτας in abiete invenit (*hiſt.* 5, 2.). E quo quidem apparet, ἶνας Theophraſti eſſe faſciculos vaſorum ſpiralium, ſub ſenſus cadentes, atque ligni prima rudimenta conſtituentes, qui omnino non dividuntur. Venas autem habet vaſa peculiaria ſ. interſtitia textus celluloſi, quae humores peculiares vehunt.

Corticem plantarum, imprimis arborum, dividi in duas partes, epidermidem (ἐπιπολῆς) et corticem proprium (φλοιὸς κύριος.). Hunc maxime neceſſarium eſſe vitae, ut detracto eo pleraeque arbores intereant (*hiſt.* 4, 18. *cauſſ.* 5, 24.). Corticem facile ſecedere a ſubiacente ligno, quum humores adſcendant (*hiſt.* 1, 4. 5, 1.).

Ligni duritiem variam eſſe pro ſoli differentia. Quae enim in montium cacuminibus creverint, multo meliorem habere materiem, quam quae in paludoſis locis et udis (*hiſt.* 1, 11.). Unde et

materiem Macedonicam praeſtare Euboïca (*hiſt.* 5, 3.). Duriſſimum lignum buxi credit et celtis (*hiſt.* 5, 4.). Duriorem etiam habet ligni partem eam, quae proxime medullam ambeat, μήτρα aut ἐγκάρδιον dictam (*hiſt.* 5, 5. 6.).

In medullae uſu ſibi conſtare noſter haud videtur. Modo enim in ea ἀρχήν τινα καὶ οἰκείαν ὑγρότητα quaerit, et, ut Arcades referant, medulla penitus exemta, arborem neceſſario interituram eſſe perhibet (*cauſſ.* 5, 24.). Iam vero haud neceſſariam eſſe ac eſſentialem partem, quum cavi trunci ferre tamen et flores poſſint et fructus (*hiſt.* 4, 19.). Palmis nullam medullam, neque concentrica eſſe ligni ſtrata, bene iam animadvertit (*hiſt.* 1, 9.).

Foliorum virorem exponere quidem nequivit; memoratu tamen digna explicatio, quam de ſempervirentibus foliis exhibet: eſſe ea plerumque minoris molis et anguſtiora et pinguia et ſuaveolentia (*hiſt.* 1, 13.). In Aegypto et Delta praeprimis tantum non omnes ſemper arbores vireſcere. Nullam eſſe rationem inter frondeſcentiae tempus et defoliationis: plura fero germinare aut frondeſcere, quae praecocius tamen folia perdant. Ante florum et fructuum proventum varias arbores deiicere folia (*hiſt.* 1, 15.).

Nutriri plantas per folia egregie iam obſervavit. Nonnullos arbitrari, quod ſupinae foliorum faciei advehatur nutrimentum per partem

pronam, hanc enim ἔνικμον ἀεὶ esse καὶ χνοώδην. Quod non recte fieri existimat, nullos enim esse meatus, quae folium penetrent, sed utramque paginam absorbere nutrimenta aërea *(hist.* 1, 16.*)*.

Folia seminalia s. cotyledones probe iam differre animadvertit a reliquis, formam enim esse rotundiorem simplicioremque, quae praecedere debeat angulosam et compositam *(causs.* 2, 22.*)*. In eo *Göthium* τὸν πάνυ habet adsectam *(von der Metamorphose der Pflanzen, p.* 11.*)*.

De crescendi modo plura eximie observavit. Radicem ubique primo propelli: eam hyeme et autumno, τὸν βλαστὸν vero vere et aestate augeri *(causs.* 1, 13.*)*. Alternam esse actionem crescendi et fructificandi. Quae enim in ampliorem succrescant magnitudinem, raro fructus perficere, et dum hoc fiat, augmentum plantarum suspendi *(causs.* 2, 14.*)*. Bulbos ceparum et alliorum recta deorsum radices pellere, nec, ut tubera versus latera *(hist.* 1, 10.*)*.

De duplici sexu plantarum multa occurrunt, quae tamen cum nostris ratiociniis haud facile congruunt. Vidit quidem flores masculos melonum terminales, sed simplices eos dicit, et tolli debere, quod βλάστησιν impediant. Ibidem distinguit palmarum feminas a maribus *(hist.* 1, 22.*)*. Sic et *Leontinus in Geopon.* 10, 4. Ὁ δὲ φοῖνιξ ἐρᾷ καὶ δριμέως ἑτέρου φοίνικος. *Plin.* 13, 4. *Ammian.*

Marcell. 24, 3. *Achill. Tat.* 1, *p.* 57. Nihilominus perverſam habuiſſe de eo ſexu ſententiam, vel inde patet, quod ubique fere arbores et ſylveſtres et urbanas distinguat in feminas et mares. Has eſſe nodoſiores illis, ut pateat ex κραvείας cum θηλυκραvείᾳ comparatione (*hiſt.* 1, 13.). Hinc etiam non mirum eſt, ſi mares fructibus onuſtos ipſe memorat (*hiſt.* 3, 6.).

In caprificatione multus eſt. Antiquum illum Graeciae morem, inſecta, quae ψῆνες dicuntur, ficubus apponere, ut inde ſemina gignantur matura, ſtrenue defendit, quod e putredine ζωοποιὸς ἡ φύσις poſſit ſemina perficere. In ſolo macro autem et aquilonio haud deſiderari caprificationem, quia propter alimenti penuriam ſponte fructus ficcentur. Hinc etiam pulveris inſperſionem iuvare (*cauſſ.* 2, 12. 13. 5, 1.). Nec in Italia tamen nec in Laconia neceſſariam eſſe hanc methodum (*hiſt.* 2, 9.). Cf. *Pontederae anthol.* 2, 33—35. *Olivier voy. dans l'empire Othom.* 2, *p.* 171.

Quam parum lucida fuerit Theophraſti ſententia de ſexu plantarum, vel inde effici poteſt, quod amenta maſcula avellanae (ἴουλος) cum gallis Quercus cocciferae comparat nec eſſentiales habet partes aut flores (*hiſt.* 3, 7. 8.).

De vitalitate ſeminum obſervationes haud paucas inſtituit. Genera iam quidem ultra quadriennium haud durare perhibet (*hiſt.* 7, 6.), multo

diutius tamen leguminoſa. Et eſſe in Cappadocia et Media locos, ubi per quadraginta et quod excurrit annos ſemina poſſint durare.

His accedunt *obſervationes ſingulares phyſicae*, quarum inſignis copia apud Theophraſtum invenitur.

Creſcere plantas plurimas ἀπὸ δακρύων, e gemmis aut bulbillis, qui in malo arbore miram faciem beſtiarum praebeant, mediam enim eſſe turgidiorem, fructiferam, laterales vero graciles folii- et frondiferas (*hiſt.* 1, 13.). A ſemine ſolo creſcere coniferas: et quae e ſeminibus ſolummodo creſcant et propagentur, neceſſario deteriores fieri, haudquaquam easdem ſaltem qualitates ſervare, quam quae ἀπὸ παρασπάδος, παραφυάδος aut ῥάβδων. Phoenicem, quae nusquam niſi ſeminibus propagetur, propagari tamen capite ſecto in Babylonia (Cf. *Houttuyn's Pflanzenſyſt.* 1, 130.). Cupreſſum et laricem rariſſime e caudice aut radicibus progerminare, fieri autem id in Creta et Tarrha (*hiſt.* 2, 3. 8.).

Generationem plantarum in locis, ubi ante non fuerunt, tum ex avium auxilio, quae ſeminibus veſcantur (*cauſſ.* 2, 24.) tum e fluviorum ripas inundantium graviditate declarat (*hiſt.* 3, 2.).

Soli et terrae efficaciam in plantarum indole mutanda magna fecit. In agro Elephantino nec vitim nec ficum folia perdere (*hiſt.* 1, 6.): apud

Gortynam Cretae esse platanum sempervirentem (*hist.* 1, 15.): punicam in Aegypto mutari in dulcem, circa Solos Ciliciae omnes fructus esse ἀπυρήνους (*hist.* 2, 3.). In Melo insula, quae sata sint, frumenta intra triginta aut quadraginta dies meti incipere. Quamobrem dicere incolas consuevisse: μέχρι τούτου δεῖ σπείρειν, ἕως ἂν εἴδῃ τις δράγμα. In Chalcia Rhodiorum insula hordeum, quod cum reliquis frugibus satum sit, meti iterumque seri ac tandem cum iisdem frugibus meti solere. Segetes Salaminis longe prius perfici quam in ceteris Atticae tractibus (*hist.* 8, 3.). E Sicilia in Achaiam advectam fuisse tritici speciem bimestrem, quae vero ὀλιγόχοος sit et ὀλιγόγονος. Ponderosissimum triticum ferre et Siciliam et Boeotiam (*hist.* 8, 4.).

Terram generatim eo fertiliorem esse, quo arctius partes mistae sint. Namque πλυντρίδα, qua fullones utantur, sterilem fere esse, fertiliorem fabulosam, λευκόγειαν (*caus.* 2, 5.). Sales plantis in totum nocere: consuescere tamen Indos palmarum proventum salis irrigatione promovere (*caus.* 2, 7. 3, 22.). Cf. *le Goux de Flaix in Bibl. oecon. phys. ann.* 3. *p.* 236. f.

Aëris et anni temporum efficaciam in producendis plantarum vicissitudinibus egregie observavit. *Vernum* tempus incipit ab ortu Arcturi acronyctico (πρὸ Ἀρκτούρου) Martio et terminatur ortu heliaco Pleiadum (ἐπὶ Πλειάδι) Maio. Inde

aestas, in duas divisa partes, quarum altera ad Sirii heliacum ortum (ἐπὶ κυνί) Iulio, altera ad ortum usque Arcturi heliacum (ἐπὶ Ἀρκτούρῳ) Septembri progreditur. Unde coepit *autumnus*, occasu pleiadum heliaco (μετὰ δύσιος Πλειάδων) Nov. terminatus. Neque tamen desunt menses in Theophrasto; γαμηλιῶν (Ian.), μουνιχιῶν (Mart.), θαργηλιῶν (Apr.), σκιροφοριῶν (Mai.), ἑκατομβαιῶν (Iun.), μεταγειτνιῶν (Iul.), βοηδρομιῶν (Aug.), πυανεψιῶν (Oct.).

De *morbis plantarum* exponendis optime meritus est. Praecipue vero frigoris effectus summo studio persequitur (*causs.* 5, 18.) licet tempestivas hyemes prodesse arboribus autumet: μὴ χειμασθέντα γὰρ κακοβλαστότερα γίνεσθαι (*hist.* 4. 16.). Omnibus arboribus, praesertim fico et viti, communem esse σκωληκισμὸν. Oleam autem pati praeterea ἥλον, quem et μύκητα aut λοπάδα appellitent, quod a solis ardore oriatur. Ficum σφακελισμῷ radicum affici, quem, dum ramos corripiat, κράδον appellari. Scabiem arbores maxime infestare, quum ἐπὶ Πλειάδι (Maio) pluviae parum ceciderit. Vitem obnoxiam esse ῥοάδι καὶ ἀστροβολισμῷ, oleam ἀραχνίῳ et καυθμῷ (*hist.* 4, 17.).

Seminum vitium commune habet ἐρυσίβην rubiginem, proprium esse ciceri σφακελισμὸν; triticum infestari καυθάριδι et cuminum ἅλμαις. Ru-

biginem frequentiorem esse in convallibus, quae vento nequaquam perflentur (*causs.* 5, 11.).

Ad horti et agri culturam pleraque pertinent, quae in libris de cauſſis plantarum tractat. Maxime artificia quaedam exponere ſtudet, ut rutam seri cum ficulnei ligni fragmentis (*causs.* 5, 7.): olera terra obruta teneriora reddi et ſapidiora (*causs.* 5, 5.): ex amygdala amara dulcem gigni, dum circumcidatur (*causs.* 1, 21.). Explicat etiam varia miraculoſa: quod ſtatuae ex oleae ligno fabrefactae ſudare videantur (*causs.* 5, 4.): quod oleaſter Megarenſis continuerit κνημίδας (*hiſt.* 5, 3.) etc.

CAP. II.

SCHOLA ALEXANDRINA.

Ptolemaeorum liberalitate et incredibili fere eruditionis omnigenae ſtudio factum eſt, ut Alexandriam, aëre ſaluberrimo gaudentem et commercio per omnem terrarum orbem extenſo florentem, confluerent et viri docti et qui doctrinam adfectarent. Etenim regiis ſumtibus in Muſeo, regiarum aedium parte, nutriti, peregrini fere fuerunt, qui, munificentia regis adlecti, otio literario ibi indulſerunt (*Strabo* 14, 991. 17, 1143.). Glorioſa Attalorum et Ptolemaeorum aemulatione tam immenſa librorum cuiusvis generis copia Alexandriae

coacervata fuit, ut bonarum artium magiſtri et ſtudioſa iuventus ſolum id fere officium duxerint atque in eo vitam fere conſumſerint, quanam ratione libri veterum ſint exponendi ac commentariis illuſtrandi (*Galen. comm. 2. in libr. de nat. hum. p.* 16. 17. *Ammian. Marcell.* 22, 16.).

Praeter uſum ingentis bibliothecae non defuiſſe Alexandriae rerum naturalium muſea videntur. Namque ab ipſo inde Philadelpho φιλιστορουντι et ob corporis infirmitatem novis ſemper ſtudiis incumbente (*Strabo* 17, 1138.), omnes fere Ptolemaei commercium et navigationem inſigniter promoverunt. Non κινναμωμοφόρον ſolummodo regionem, ſed ipſam etiam Taprobanen (*Ceylonam Dionyſ. Perieg. peripl. v.* 593.) et Erythiam (*Maderam ib.* 558.) et Heſperios Aethiopes (*Senegambiam*) frequentarunt navigia, resque naturales non paucas inde Alexandriam advexerunt (*Athen.* 14, 654. *Dio Chryſoſtom. orat. ad Alex. p.* 372 ſ.). Ipſorum regum exemplo, hisque egregiis ſubſidiis hiſtoriae naturalis ſtudium acerrimum eſſe Alexandriae debuiſſet, quum ipſe Ptolemaeus Evergetes commentarios de rebus naturalibus ſcripſerit, unde de phaſianis e Media Alexandriam adlatis locum excerpſit *Athenaeus* (*l. c.*).

Aliter tamen accidit: nec res herbaria nec animalium hiſtoria, proſperrime ab *Ariſtotele* agitata, ſperatos progreſſus Alexandriae fecerunt. Quod

praeprimis ſtudiorum rationi tribuendum eſt. Namque, qui libris legendis, transſcribendis et exponendis omnem fere vitam impendebant, neglexerunt naturam ipſam adeo, ut σχολαστικοῖς ſolis inhaererent (*Galen. comm. 2. in libr. de nat. hum. p. 29.*). Quum ipſi reges ludos Muſarum et Apollinis inſtituiſſent, quibus, qui vicerit, Olympicorum victorum more, coronaretur (*Vitruv. 7, praef.*) disputationes etiam ſophiſticas, grammaticas argutias, criticos commentarios omnibus aliis ſtudiis antepoſuerunt. Quae *Clearchus* apud *Athenaeum* (10, 457.) de griphis ac aliis ingenii luſibus fere puerilibus narrat, Alexandrinum ſcientiarum ſtudium egregie nobis pingunt. Hinc hiſtoriae naturalis dignitas mox adeo labefactata fuit, ut nil niſi mirabilia quaererent, veterumque ſcripta, φιλοκερδούντων hominum malitia et incuria ſatis corrupta aut interpolata exponere et grammatice illuſtrare ſtuderent.

Ipſius Theophraſti libri tantum abeſt, ut integri ab Alexandrinis lecti fuerint, ut potius et Nelei incuria et mala Apellicontis fide corrupti exſtiterint. Hinc neceſſarii erant commentarii, quibus *Andrantus* quidam inclaruit, difficilia exponere in Theophraſto ſibi ſumens (*Athen.* 15, 4.).

Otio etiam et opulentiae magiſtrorum tribuendum eſt, quod herbarum et radicum inveſtigationem contemtam tradiderint vel indoctis hominibus,

φαρμακοπώλαις aut ῥιζοτόμοις, qui, diducta, ut *Celſus* refert, medicina in tres partes, a medicis et bonarum artium magiſtris ſeparabantur. Empirica autem ſchola ſibi ſola eum vindicat honorem, ῥιζοτομίαν iterum ab indigno liberaſſe contemtu, ac de re herbaria doctrinam alacri ſtudio agitaſſe.

Quamlibet omnium propemodum ſectarum ſcholae Alexandriae floruerint, eodem regum patrocinio fruentes, peripatetica tamen alias fere omnes antecelluit, ut et celeberrimi Lycei adſeclae eo confluxerint.

Phanias Ereſius, Theophraſto fere tempore aequalis, quum ipſum Ariſtotelem audiiſſet (*Athen.* 2, 12.) libros reliquit περὶ φυτῶν (*id.* 2, 14.), e quibus locum ſumme memorabilem *Athenaeus* ſervavit (2, 20.). Dari enim Phanias docuit, plantas, ut filices, fungos et tubera, quae τῇ σπερματικῇ κορυνήσει καὶ σπερματώσει careant. Doctiſſimo *Lefeburio* (*Le banquet d'Athénée p.* 234.), qui antheras κορυνήσει et pollen σπερματώσει intelligi arbitratur, adſentiri nequeo. Germen enim, quod in Citris cum ἠλακάτῃ Theophraſtus comparat, cum κορύνῃ illa componitur et σπερμάτωσις facultatem ſignificat ſemina producendi. Alium locum Phaniae *Athenaeus* (3, 8.) male intellexiſſe videtur: loquitur enim de κέδρῳ ſpinis armata, unde ad Citrum id transferri debere grammaticus exiſtimat, quum κέδρος ipſa (*Iuniperus Oxycedrus*)

omnino folia acuta ſpinoſa habeat. Idem Phanias primus videtur, qui σταφυλίνου nomen pro Dauco Carota uſurpaverit (*Athen.* 9, 2.); licet, qui eum exceperunt, Paſtinacam etiam ita nominaverint.

Diocles Caryſtius, ſecundus aetate famaque ab Hippocrate (*Plin.* 26, 2. *Galen. diſſect. matr.* 213.) ῥιζοτομικὸν conſcripſit (*Schol. Nicandr. ther. v.* 647. *Athen.* 2, 13.). Experientiae ſoli in determinandis herbarum facultatibus confiſus (*Galen. fac. alim.* 1, 303.) phaſeolos δολιχῶν nomine bene cognovit (*ib.* 317.) Hippomarathrum foliis longiſſimis, ſeminibus Coriandri distinxit (*Plin.* 20, 23.), quod *Cachrys Moriſoni* eſſe videtur.

Diphilus Siphnius, qui ſub Lyſimacho Alexandri ſucceſſore vixerit (*Athen.* 2, 11.) temporis ordine ſequitur. De alimentorum facultatibus ſcripſit, medicus *Athenaeo* dictus (2, 12.) Poëma fecit, e quo plura grammaticus Naucratites loca adducit (2, 14. 27.). Maxime memorabilis eſt differentia, quam inter fungos edules et noxios ſtabilivit: illos eſſe teneros, graciles et maxime friabiles, hos autem lividos et duros, elixosque aquam piceo colore tingere (*Athen.* 2, 19.). Primus Diphilus aſparagos edules memoravit, quos ὄρμενον vocavit, poſtea ἀσφάραγον κράμβης dictum (2, 22.). Primus perſica mala, τὰ περσικὰ

κοκκύμηλα memoravit (3, 7.). Caſtaneas appellavit σαρδιανοὺς βαλάνους (2, 13.). Ceraſorum etiam meminit, quae Theophraſto iam innotuerant (2, 11.). Staphylinum idem deſcripſit (9, 2.).

Clearchus Peripateticus, in commentariis de re herbaria, fructus *Pruni inſiticiae* deſcripſit βραβύλων et κοκκυμηλῶν nomine (*Athen.* 2, 10.).

Asclepiades Myrleanus, Alexandriae florens, *Prunum Chamaeceraſum*, quae in Bithynia provenit, memoravit (*Athen.* 2, 11.).

Euthydemus Athenienſis in libro de oleribus melonem vocavit σικύαν ἰνδικήν, quod tum iam ſemina ex India adferrentur (*Athen.* 2, 18.).

Solon Smyrnaeus, de re herbaria et de victus ratione ſcripſit (*Plin.* 20, 20. 21. *Galen. compoſ. med. ſec. loca*, 3, 202.).

Apollonius Memphites, Stratonis Berytii discipulus (*Galen. diff. pulſ.* 4, *p.* 51.) περὶ βοτάνων ſcripſit (*Schol. Nicandr. ther. v.* 559.).

Epicurum de herbis ſcripſiſſe *Diogenes* Laërtius teſtatur (10, 27.).

Singulare dein ſtudium reges, Pergamenus ultimus, *Attalus* Philometor et *Mithridates* Eupator in herbarum cultura et experimentis circa earum facultates collocarunt. Ille in horto coluit venenatas plantas, Hyoscyamum, Aconitum, Co-

nium, Helleborum, quarum virtutes et noxas ſtudioſe inveſtigavit, antidotis ſimul exhibitis (*Plutarch. Demetr.* 897. *Galen. antid.* 1, 425.). Iisdem experimentis inclaruit Mithridates, cui uni excogitatum dicitur, quotidie venenum bibere, praeſumtis remediis, ut conſuetudine ipſa innoxium fieret (*Plin.* 25, 2. *Appian. bell. Mithridat.* 248 ſ.). Commentarios, quos doctiſſimus ſua aetate et maximus regum reliquerat, in victoris Pompeii manus venerunt (*Plutarch. Pomp.* 639.). Eius auctoritatem regiam habet planta Eupatoria *Plinio* (25, 6.), nobis Agrimonia dicta. Iidem inſcripſit *Cratevas* rhizotomus aliam plantam *Mithridatiam*, cui folia duo a radice acantho ſimilia, caulis vero inter utraque ſuſtinens roſeum florem (*Plin. ib.*). Quam *Anguillara* (*ſemplici, p.* 174.) in agro Foroiulienſi viderat, *Caeſalpinus* (*de plant.* 10, 18.) Erythronium Dentem Canis eſſe docuit. Primum id certe exemplum praemii, quod Linnaeus tanti aeſtimavit, ut unicum id et immortale praedicaret. Noſtris etiam temporibus cum Commerſonio Schreberus regis illius nomen plantae ſatis ſingulari, ad Dorſteniam accedenti, quam Tambouriſſam Sonneratus appellaverat, dederunt.

Et horum regum exemplo et empiricae ſcholae dominio ῥιζοτομίας et rei herbaria ſtudium magis incenſum fuit.

Cratevas, Rhizotomus fere celeberrimus, huius aevi omnino eſt. Inter praeclaros rei herbariae auctores ab *Epiphanio* (*haereſ.* 1, *p.* 3.) relatus, a *Dioſcoride* (*praef.*) laudatus, quod ἀκριβεστέρως plantas deſcripſerit, taxatur tamen a *Plinio*, quod pinxerit effigies plantarum, quae vero fallaces fuerint, et coloribus tam numeroſis, praeſertim in aemulatione naturae, degeneraſſe transſcribentium variam ſortem (25, 2.). Ipſe etiam *Dioſcorides* (3, 140.), Cratevam, quae ab aliis audierit, de plantis referre, perhibet.

Eius operis, quod ῥιζοτομουμένων nomine a variis ſcriptoribus citatur (*Schol. Nicandr. ther. v.* 529. *Epiphan. haer.* 1. *p.* 3.) codex exſtat etiamnum in bibliotheca Veneta, ubi Aloyſius *Anguillara* eo uſus fuit (*Ei. libr. de' ſemplici. Vineg.* 1561. 8.). Doctiſſimus Carolus *Weigelius* transſcripſit, dum Venetiis degeret, eum codicem, mecumque fragmenta nonnulla communicavit, e quibus liquet, recte *Dioſcoridem* de eo iudicare, quod ἀπαραση-μειώτους plurimas liquerit herbas. Praeter nomen enim et uſum nil deſcriptionis adeſt.

In nominibus ipſis ſatis facilis fuiſſe videtur. Φλόμου enim nomine, quo antiqui Verbaſcum appellaverant, inſignivit umbellatarum genus, forte Athamantam, iique duas adſignavit ſpecies, alteram foeniculi, coriandri folio alteram (*Schol. Nicandr. ther. v.* 856.). Bryoniam a quibusdam

σταφύλιον, ab aliis ἄμπελον ἀγρίαν, ab aliis autem χειρώνειον appellari (*ib. v.* 858.). Περιστερεῶνα ſ. περιστεροέντα herbam, quae noſtra eſt Verbena officinalis, primus fere dixit (*ib. v.* 860.) Dorycnium dixit Halicacabum (*Convolvulus Dorycnium*) (*Dioſc.* 4, 75.), quam egregie delineavit *Alpin. exot.* 73. Helenium aegyptium deſcripſit, quod *Teucrium* videtur *creticum* (*Dioſc.* 3, 28.). *Sium anguſtifolium* primus fere nominavit (*Dioſc.* 2, 154.). *Lunariam annuam* nomine θλάσπεως ἑτέρου, ὃ καὶ σίνηπι περσικὸν, deſcripſit (*Dioſc.* 2, 186.). Sideritidem Heracleam dixit, quae noſtrum forte eſt Phellandrium Mutellina (*Dioſc.* 4, 35.). Baccharim Dioſcoridis (*Gnaphalium ſanguineum*) ſub nomine ἀσάρου (*Anguillara p.* 27.); Αἰγίπυρον (*Theocrit. id.* 4, 25.) nominat, quam *Anguillara* doctiſſimus (*p.* 145.) credit eſſe Ononidem antiquorum.

Θερηπίδιον deſcripſit ἐπὶ λίθων καὶ ὀστράκων παρὰ θάλασσαν φυόμενον θριδακώδη ἰσχνὸν καυλὸν ἔχον, quod *Anguillara p.* 171. ubique per Sclavoniam reperiſſe teſtatur. Fueritne id *Fucus Palmetta* Gmelin. vel *alatus?*

Ἱππομανὲς, de quo iam *Theocrit.* (*id.* 2, 48.) dicit, φυτὸν εἶναι παρ' Ἀρκάσι, *Crateuas* ita expoſuit, ut ad *Daturam Metel* conſilium transferre poſſis (*Anguillara p.* 233. 234.).

Cum eodem iungendus NICANDER Colopho-

nius, Damnaei filius, Apollinis Didymaei ſacerdos, qui Georgica ſua Attalo tertio Philometori dicavit (*Suid. v.* Νίκανδρος. *Cic. de orat.* 1, 16.). In eo poëmate Buniada primus dixit, quae alias γόγγυλις (*Braſſica Napobraſſica*) appellata fuerat (*Athen.* 2, 19.) primus φιστάκια (*piſtacias*) συριακὰ introduxit (*Athen.* 14, 17.) de ſtaphylino (*paſtinaca*) egit (*Athen.* 9, 2.) et de fungis letiferis (*ib.* 2, 11.). Aliud poëma, ὑακίνθου nomine, etiam periit (*Schol. Nicandr. ther. v.* 585.).

Quae ſuperſunt, θηριακῶν et ἀλεξιφαρμάκων nomine ad nos venerunt. Venena et antidota, tum animalia tum vegetabilia in iis tractantur, hexametris difficilibus et non ſatis concinnis, dictione aſpera et dorica praeſertim dialecto, qua imitatus eſſe Antimachum quemdam dicitur (*Schol. Nicandr. ther. v.* 3.).

Editio ἀλεξιφαρμάκων optima eſt, quam *Schneiderus* Halae 1792. curavit, ſcholiis et commentario doctiſſimo ditatam. Theriaca et Alexipharmaca ſimul prodierunt, *Soteris* cura Coloniae 1530. 4. cum ſcholiis, absque iis, ſtudio *Bandini* Florent. 1564. 5.

Scholia continent inſignem notitiarum literariarum copiam, ipſae vero plantae male plerumque illuſtrantur. Sic (*alex. v.* 405.) Smyrnium cum Ferula communi comparant: alio loco (*ther. v.* 311.) Ericae folia tribuuntur hederacea.

Plantae, quae occurrunt, tum antiquae ſunt, quas repetere ſuperfluum eſſet, tum primum a noſtro nominatae, in quibus parum ſubſiſtere licet.

Valerianam celticam ſ. *tuberoſam* primus nomine Νάρδου θυλακίτιδος (*alexiph.* 403.) proferre videtur. Epitheton enim, quo ab indica discriminatur, id docet.

Anchuſa italica (ἄγχουσα θριδακινὶς, *ther.* v. 838.).

Onoſma orientalis (λύκαψος ὁρμηνόεις, *ib.* 840.).

Verbaſcum forte *Lychnitis* (θρυαλλὶς ἑρευθήεις, *ib.* 896.).

?*Convolvulus Dorycnium* (δορύκνιον, *alex.* 376.). Sed de lacteo ſucco nil nobis innoteſcit. Cf. *Schulze toxicol. vet. p.* 20. Invenit in Apulia *Anguillara p.* 270.

Coriandrum teſticulatum (κόριον δυσαλθὲς, *ib.* 157.). Cf. *Schulze p.* 31.

Echium rubrum (ἐχίειον, *ther.* 65. 637.).

? *Chironia Centaurium* (χείρωνος ῥίζα, *ther.* 500.).

Campanula Rapunculus (ἔρινος, *ib.* 647.). Cf. *Column. phytob. p.* 83. *t.* 23.

Tordylium officinale (ὄρδειλον, *ib.* 841.).

Caucalis orientalis (καύκαλις, *ib.* 843.).

Daphne oleaefolia (χαμαιλέα ἀειθαλὴς, *alex.* 48.).

Colchicum autumnale (ἐφήμερον, *ib.* 849.).

Polygonum divaricatum (πουλύγονον, *ib.* 264.).

Ruta graveolens (ἐυτὴ, *ib.* 306.).

? Oxalis Acetoſella (ὀξαλὶς, *ther.* 840.).

Cotyledon Umbilicus (κοτυληδὼν, *ib.* 680.).

Euphorbia ? Paralias (μήκων θυλακὶς, *ib.* 850.).

Aconitum Napellus. De eo narrat (*alex.* 36.), quod mures ſoleant radicem circumlambere, quod confirmatur a *Pallaſio* (*nov. ſpicil. glir. p.* 219.).

Aiuga Chamaepitys (χαμαιπίτυς, *alex.* 65.).

Origanum Onites (ὀνίτις ὀρεία, *ib.* 56.).

Meliſſa Nepeta (πολύκνημον, *ib.* 57.).

Meliſſa cretica (ὑδρήλη καλάμινθος, *ther.* 60.).

Meliſſa officinalis (μελισσοβότος, *ib.* 677.).

Thymus Tragoriganum (τραγορίγανος, *alex.* 310.).

? Thymus Zygis ſ. *Satureia graeca* (κονίλη, *ther.* 626.), ἀγρωρίγανον idem vult *Dioſc.* (3, 34.).

Ononis antiquorum (ὄνωνις πολύγωνος, *ther.* 872.).

Trifolium creticum (μελίλωτος, *ther.* 896.).

Doronicum ſcorpioides (σκορπιόεις, *alex.* 145.).

Piſtacia vera (πιστάκια, *theriac.* 891.) primo fere noſtro dicta inter Graecos, quae repetuntur ab *Athenaeo* (14, 649.) mutante in φιστάκια: a *Damogeronte* vero (*Geopon.* 10, 12.) in ψιττάκια. Hic etiam primus in Terebinthum inferi docet. Cf. omnino *Niclas ad Geopon. l. c.*

Heraclides Tarentinus, celeberrimus auctor, inter primarios rei herbariae ſcriptores laudatus *Dioſcoridi* et *Epiphanio* et *Galeno*, Mantiae discipulus, Empiricus, huius temporis eſt. Primus nomine ὕλης ἰατρικῆς uberrimum opus de re medicamentaria conſcripſit, aliud συμποσίου nomine (*Athen.* 3, 33.), ſed deſcriptionem plantarum omnino omiſiſſe *Dioſcoridi* dicitur.

Petronius ἐν ὑλικοῖς laudatur ab *Erotiano* (*expoſ.* 260.) et ab *Epiphanio* (*haereſ.* 1. *p.* 3.).

Andreas medicus dictus cum *Crateva* curatius botanicam partem materiae medicae expoſuiſſe fertur (*Dioſc. praef.*). Νάρθηκα nominat opus *Schol. Nicandr. ther.* 684. Alienus videtur ab Andrea Chryſari filio, qui nomina babylonica, arabica et chaldaica introduxit ac ſuperſtitiones pueriles (*Galen. fac. ſimpl.* 6, 68. *expoſ.* 484.). Orchidem Morionem dixit Serapiada, ob multiplicem bulbi uſum (*Dioſc.* 3, 142.). Carduum parviflorum κίρσιον dixit, ob auxilium adverſus varices (*Dioſc.* 4, 119.).

Iolaus Bithynius, iidem Epiphanio dictus et ſcholiaſti *Nicandri* (*ther.* 683.) deſcriptionem tamen plantarum mancam dedit (*Dioſc. praef.*).

Antonius ξιζότομος (*Galen. compoſ. med. ſec. loc.* 3, 184.). Fuitne idem Antonius Cous cuius ἄλυσσον (Marrubium Alyſſon) *Galenus* (*antid.* 2, 11.) citat? Cf. *Dodon. p.* 88.

Asclepiodorus Alexandrinus, magna induſtria et vulgares et rariſſimas conquiſivit plantas (*Suid. voc.* Ἀσκληπιόδωρος).

Dalion, herbarius (*Plin.* 20, 17.).

Dionysius Uticenſis, ῥιζοτομικὰ ſcripſit (*Schol. Nicandr. ther.* 520.). Pinxit etiam herbas, Cratevae more (*Plin.* 25, 2.). Transtulit *Magonis* Carthaginenſis libros de re ruſtica in graecam linguam, Sextilio Praetori dicatos (*Varro de re ruſt.* 1, 1.). Ii libri γεωργικῶν nomine citantur ab *Athenaeo* (14, *p.* 648.).

Pamphilus, grammaticus potius fuiſſe videtur: commentatus eſt in *Nicandri* ophiaca (*Suid. v.* Παμφ.) *Athenaeo* ſaepius dictus (2, 12. 3, 7.). Inter ſcriptores tamen rei herbariae citatur ab *Epiphanio*, icones herbarum dediſſe *Suidas* teſtatur. Superſtitioſus idem forte μιγματοπώλης, qui nec ſomno quidem viderit plantas, quas deſcripſerit (*Galen. fac. ſimpl.* 6, 68. *comp. med. ſec. loc.* 7, 266.), e quo Geoponica multa habent excerpta, de δαμασκηνοῖς prunis (10, 39.) deque modo, quo ſemina, in diſitas regiones amandanda, terrae immittuntur, ut prius germinent (10, 86.).

Tryphonis hiſtoria plantarum ab *Athenaeo* (3, 5.) citatur.

Mnesitheus Cyzicenus (*Oribaſ. coll.* 4, 4.), περὶ ἐδεστῶν ſcripſit (*Athen.* 2, 16.). Confudit

tamen τίφην et ὀλύραν (*Secale et Speltam*) (*Galen. fac. alim.* 1, 312.).

Amerias Macedo in ῥιζοτομικῷ laudatus ab *Athenaeo* (15, 8.).

Iulius Bassus Tylius, *Epiphanio* dictus.

Glaucias Empiricus, de herbis edulibus ſcripſiſſe videtur (*Athen.* 2, 28.). *Plinio* dicitur (20, 23.) circa carduos diligentiſſimus.

Icesius, ſcholae Eraſiſtrateorum reſtitutae antiſtes (*Strabo* 12, 869.) non parvae auctoritatis medicus (*Plin.* 27, 4.) περὶ ὕλης ἰατρικῆς ſcripſit (*Athen.* 15, 8.).

Menodorus, ipſius amicus (*Athen.* 2, 18.). Idem forte cum *Metrodoro*, qui ἐπιτομὴν τῶν ῥιζοτομουμένων edidit (*Plin.* 20, 20.) pictis ſimul effigiebus plantarum (*id.* 25, 2.).

Sextius Niger. Epiphanio laudatus, περὶ ὕλης ſcripſit (*Erotian.* 244.), e quo quidem libro multa transſcripſit Dioſcorides Phacas (*Galen. expoſ.* 402.). Vitio ipſi vertit Dioſcorides, quod vulgares licet plantas non male delineaverit, confuderit tamen rariores, atque alias pro aliis venditaverit.

In eumdem errorem lapſi ſunt alii Alexandrini, qui cum naturam ignorarent, ſolisque grammaticis argutiis inſudarent, peſſima inde orta fuit confuſio. Niceratum quemdam et Diodotum nominant *Dioſcorides*, *Plinius* et *Epiphanius*, qui

eodem modo erraverint. Petronius Diodotus ἀνθολογούμενα ſcripſiſſe dicitur (*Plin.* 20, 8.).

Id vel maxime elucet ex *Athenaei* Naucratitis lectione, qui nec ipſas patriae plantas vulgares unquam vidit, omnia e libris ſumſit, quos nonnunquam male intellexit. Namque Theophraſti locum de φύκους genere ita pervertit ut fungum putet (2, 19.). Confundit Corylum Avellanam cum Διὸς βαλάνῳ (2, 13.). Sub nomine Connari deſcribit Zizyphum Iuiubam (14, 17.). Primam tamen mentionem facit Philadelphi coronarii ex *Apollodoro* (15, 8.). Coſmoſandalum putaverim Cypripedium Calceolum (15, 10.), quod iam intellexit *Conr. Geſnerus* (*epiſt.* 3. *f.* 96 *b.*)... Echinopoda (3, 8.) habeo Geniſtam luſitanicam vel Spartium horridum (*Alpin. exot. p.* 14.). Eius meminit etiam *Plutarchus* (*ſympoſ.* 1. 4. *p.* 621.).

CAP. III.

RES HERBARIA SUB ROMANORUM IMPERIO.

Quum Roma Graeciae potita eſſet, accepit a Graecis victis literarum disciplinas, maxime vero eloquentiae et hiſtoriae patriae ſtudium agitari coepit, quippe quod ipſis reipublicae negotiis foveretur. Alias autem disciplinas nec eo ardore nec

nova plane ac ſua ratione coluerunt: in iis fere ſubſtiterunt, quae a Graecis acceperant: neque aliquid, ut cum *Strabone* (3, 257.) loquar, addiderunt. Ubi itaque Graeci lacunas reliquerunt, a Romanis refarcinatio earum haud exſpectanda: omnes denique voces artium Graecam originem agnoſcunt.

Hiſtoriae naturali hactenus duntaxat operam dederunt, quatenus ad vitae victusque commoda pertinet. Varii ſcriptores collegerunt aut interpretati ſunt, quae Graeci reliquerant, ſed de ſuis pauca aut nulla addiderunt. Quod *Dionyſius* Halicarnaſſenſis (2, 91.) de mythologia refert, multo maiore fuiſſe ſuperſtitione repletam apud Romanos, quam apud Graecos, id valet etiam de hiſtoria naturali.

Optimus ille Marcus *Cato*, cuius auctoritati, ut cum *Plinio* loquar, cenſura ac triumphus minime conferunt, tanto plus in ipſo erat (29, 1.); exemplo Curii, herois frugaliſſimi incitatus, luxu ſemet abdicavit, praedium ipſe coluit et filiis inſtituendis et vitibus arboribusque plantandis vitam fere conſumſit (*Plutarch. Cato*, 340 f.). De re ruſtica, quam tantopere amavit, reliquit commentarium, etiamnum ſuperſtitem, et cura *Schneideri*, eruditiſſimi et optimi viri, pereleganter editum.

Quanquam vulgo notiſſimum ſit eius odium erga Graecos philoſophos, quod tantum fuit, ut

filium a Graecis literis revocaverit, vaticinatus, quum disciplinis Graecis imbuti fuerint Romani, imperium orbis terrarum amissuros esse, ut omnem etiam philosophiam Graecanicam ludibrio ex ambitione habuerit (*Plutarch. Cato*, 350. *Plin.* 7, 30.); haud tamen plane alienus ab eruditione fuit Graecorum. Ipse enim, quum quondam Athenis degeret, orationem Graecam ad populum habuit: scripta ipsius e Graecis auctoribus plura continent: ac e Thucydide Demostheneque hausit decus orationis et lepores (*Plutarch. l. c.* 343.).

Communi sui aevi confessione optimus agricola ac fine aemulo (*Plin.* 14, 4.); fundo suburbano arbustum maxime convenire iudicavit. *Pira* primum *volema* (*Martyn. ad Virg. georg.* 2, 88.), *Aniciana*, *sementina*, *tarentina*, *mustea* et *cucurbitina*: *Mala struthea* et *cotonia* (Pyrus Cydonia varr.), *Quiriniana*, *Scantiana*, *conditiva* et *punica*: *oleas orchites* (*Martyn. ad Virg. georg.* 2, 86.) et *sorba* (*Cato*, *c.* 7.): *vites Aminaeas* (*Voss. ad Virg. georg.* 2, 97.) *Margentinas*, *Apicias*, *Lucanas*, *helvolas* et *geminas Euganeas* (*c.* 6.): *ficus Marisseas*, *Africanas*, *Herculanas*, *Saguntinas*, *hibernas* et *Telinas atras* recenset. In horto coronamenti omne genus et bulborum, myrtos, laurum Delphicam et Cypricam, nuces calvas (Inglandes, Praeneſtinas et avellanas) coluit (*c.* 8.). Salice Graeca (quae forte babyloni-

ca) vites vincivit (*c.* 41.). Veratrum nigrum circa vites plantavit (*c.* 116.). Brafficae genera tria, levem nimirum latifoliam magnoque caule; crifpam apiacon (felinuntiam) et lenem minutis caulibus teneram et omnium acerrimam cognovit (157.). *Ocinum* pro pabulo, viciam, fabam, foenum Graecum, ervum feruit (37.). Sed fementes exfugere hordeum, foenum Graecum et ervum: ftercorare autem lupinum, fabam et viciam docuit (38.).

Inſitionis varios modos bene cognovit, ipſamque ablactationem, quae vitibus ſemet contingentibus fiebat (41.). In aulas etiam, aut in qualos pertuſos vel calyces (*vaſa fictilia*) plantavit ramulos, ut propagarentur arbores fructiferae (52.).

Sequitur Catonem Marcus Terent. Varro, qui ſub magno Pompeio contra Mithridatem prima meruit ſtipendia, ubi corona navali decoratus fuit (*Plin.* 7, 30.). Dein Pompeii copiis in Hispania legatus praefuit (*Cic. ad Dolab.* 9, 13, *Caeſ. bell. civ.* 1, 38.). Tandem cum Caeſare conſuetudine iunctus curam comparandorum et digerendorum librorum, quos Caeſar congeſſerat, ſuscepit (*Suet. Caeſ.* 44.). Bene meritus miles in otio literario delituit, donec fundus eius Caſinas ab Antonio diriperetur (*Cic. philip.* 2, 40.). Quo facto Tuſculanum migravit, ubi plus quam octoginta annos natus deceſſit.

Libros *de re ruſtica*, qui ſuperſunt, a *Schnei-*

dero τῷ πάνυ editos, anno conſcripſit octogeſimo, ut ipſe teſtatur, „ſarcinas collecturus, priusquam „proficiſceretur e vita.“ Tum ex omni Graecarum literarum disciplina, tum e ſua ipſius experientia regulas collegit, quas ſequi debeat, qui agro hortoque colendo, fundoque rite adminiſtrando, operam dat.

Inter pabula refert etiam ocimum, quod viride ſecandum ſit antequam generet ſiliquas (1, 31.): dein erviliam (1, 32.) cannabim, ſpartum (1, 23.). Roſeta concidit radicitus in virgulas palmares, ut viviradix fiat (1, 35.). Ablaqueationem bene ita deſcribit: Eſt altera ſpecies ex arbore in arborem inſerendi nuper animadverſa in arboribus propinquis. Ex arbore, e qua quis vult habere ſurculum, in eam, quam inſerere vult, ramulum traducit et in eius ramo praeciſo ac diffiſſo implicat (1, 40.). Medicam et Cytiſum ſerit pro pabulo; illa Medicago ſativa, haec arborea (1, 42. 43.). Taxandus itaque *Sicklerus (Geſchichte der Obſtz.* 320.) qui Citrus Medicam ſubintelligit. Nimis ſubtilem arbitror *Anguillaram*, qui *(p.* 83.*)* quod ſtatura non tam alta ſit, quam faciunt Graeci, dubitat eamdem eſſe Cytiſum cum Medicagine arborea. At continuo demeſſa pabulo, haud eam ſtaturam adipiſci potuit. Ceraſum, quam Graeci iam cognoverant, primus noſter e Romanis memorat: brumalibus diebus ſeri (1, 39.). Ea arbor a Lucullo

poſt Mithridaticam victoriam triumpho Romam primum advecta fuit (*Plin.* 15, 25.).

Diophanes Bithynus, Iulio Caeſari aequalis, interpretationem graecam librorum Magonis, auctore Dionyſio Uticenſi, in ſex librorum epitomen redegit (*Colum.* 1, 1.) et Deiotaro regi miſit (*Varro* 1, 1.). Ex ea epitome multa ſervarunt Geoponici: inter ea mirabilia plura de inſitione ficuum in platanos, mororum in caſtaneas, eſculos, malos, terebinthos, pyros, ulmos et populum albam, unde mora fieri alba (*Geop.* 10, 76.).

VIRGILIUS.

Immortalis poëta, Publius Virgilius Maro, Mantuanus, inter rei herbariae ſcriptores omnino recenſendus eſt. „Tantus enim amor florum“ fuit, ut innumeris fere locis, maxime Georgicorum, eas praedicet. Quum agraria largitione celebri patrimonium ſuum Andinum perdidiſſet, Neapolin tendit, ubi ruſticari in campis phlegraeis aut liborinis (*Plin.* 18, 11.) et ſumma poëmata canere perrexit. In gratiam Maecenatis receptus, ab Auguſto Imp. magni aeſtimatus, Romam tamen ſemper vitavit, donec tandem, Aeneide confecta, Graeciam tenderet, ut divinum opus per otium expoliret. Brunduſii tamen deceſſit aetatis anno 52. Iuxta viam ad Puteolos tumulus eſt, lauro et Polypodii vulgaris varietate viterbienſi obumbratus.

Martynii et *Voſſii* eruditione illuſtrata elegantiſſima poëmata inſignem continent copiam plantarum, quae tamen ulteriori etiamnum indigent examine. Experiamur, quid conferri et noſtra opera poſſit ad explicandas iuventutis noſtrae pariter ac virilis aetatis delicias.

In *Amomo* Virgilii, quod manifeſte (*georg.* 4. 25.) *aſſyrium* vocat, exponendo deſudarunt tot tantique viri, ut diſſuadeatur fere quivis novus conatus. Et plurimas quidem difficultates gignit *Dioſcoridis* deſcriptio (1, 14.) qui fruticem eſſe bryoniae foliis et leucoii floribus, creſcere autem tum in Armenia tum in Media tradit. Quod *Plinius* fere (12, 13.) repetit. Poſſemus quidem cum *Salmaſio* (*exerc. Plin.* 284.) autumare, ἄμωμον eſſe ſaepius aroma quodvis ſincerum et incorruptum. Hoc vero caſu certa quaedam ac determinata planta intelligi videtur. Longiſſima certe abfuit a veritate Euric. *Cordus*, qui (*botanol. p.* 19.), Amonum idem cum Anaſtatica credit hierochuntica, defenſus a filio Valerio (*in Dioſc.* 1, 14.) quod folia conſpici in ſiccata planta nequeant. Refutarunt hanc opinionem iure ſuo Amatus *Luſitanus* (*in Dioſc.* 1, 14.) et Ant. Muſa *Braſavolus* (*exam. ſimpl. p.* 156.). Ad veritatem vero proxime accedere Andr. *Caeſalpinus* pluribus videtur, qui *Piper Cubebam*, quod Garcias ab Orto (*arom. hiſt.* 1, 23.) primus deſcripſerit, pro Amomo veterum habet (*Caeſalp.*

de plant. 2, 23.). At ea ſpecies Piperis nec in Armenia, nec in Media creſcit, nec faciem eam habet, quam Amomo Dioſcorides tribuit. Ad primum reſpondet I. *Bauhinus (hiſt.* 2, 197.), plures fructus et plantas indicas a veteribus nominatas fuiſſe ab emporiis, e quibus proxime eas habuerint. Siquidem multis aliis exemplis conſtat, Armeniam et Pontum delata fuiſſe aromata indica, unde denique Romam transvecta fuerint. Nec a *Busbequii (legat. turc.* 1, *p.* 34.) inde temporibus quisquam in Armenia ſimilem Amomo plantam invenire potuit. Quod faciem Piperis Cubebae a deſcriptione Dioſcoridis plane alienam attinet (nam illud folia cordata integra et flores omnino nullos habet) Io. Bauhinus ſentit, Dioſcoridem nunquam vidiſſe plantam, ſed peregrinatorum fide hanc dediſſe deſcriptionem. Adiungam verba Aloyſii *Anguillarae*, e rariſſimo libello: *ſemplici (Vineg.* 1561. 8.) *p.* 34. „Oggi nel regno di Benin ed a „Manicongo ſi trova una ſorte di Pepe, laquale i „Portugheſi chiamano Pimenta del Rabo . . l'iſteſ„ſo ſi trova anco in Soria ed è chiamato Pepe ſa„vatico. E queſto un ſottofrutice con foglie di vi„te et fiori in graſpi di color bianco, che dopo il „loro diſfiorire laſciano alcuni grani grandi come „un granello di veſcia di ſapore acutiſſimo.“ Caſtor *Durantes (herbar. p.* 24.) pingit quidem Amomum, ſed forte ex imaginatione, quae Atriplicis

potius ſpecies eſt. Tandem *Pluknetius (mant. p. 27.) Arbusculam bacciferam circumplicatilem* huc trahit, quae *Ciſſus* eſt *vitiginea*. Eam autem verum ſiſtere Amomum, Arabes ſecuturus deinde evincam.

Liguſtrum vulgare (ecl. 2, 18.).

Fraxinus Ornus (Rigida ornus, *ecl.* 6, 71. ſterilis, *Georg.* 2, 111. Antiqua ſummis in montibus, *aen.* 2, 626.).

Valeriana celtica (baccar, *ecl.* 4, 20.).

Valeriana Saliunca, Allion. pedem. t. 70. *f.* 1. eſt *Saliunca humilis*, *ecl.* 5, 17. Accedit ea proxime quidem ad Val. celticam, ſed differt foliis cuneiformibus tridentatis, quae integerrima obtuſa in V. celtica ſunt, floribusque ſubcapitatis, qui racemoſi in V. celtica ſunt. Creſcit copioſe in Apennino monte. Cf. *Plin.* 21, 7.

Gladiolus communis eſt *Hyacinthus* Virgilii, ſuave rubens *ecl.* 3, 63. ferrugineus, *georg.* 4, 183. Ob nectaroſtigmatis lineas AI, Aiacis nomen legebant veteres in flore: unde exponendi verſus:

„Dic, quibus in terris inſcripti nomina regum
„naſcantur flores.“ *(ecl.* 3, 100.)

Martynus (georg. p. 432.) male Lilium Martagon huc trahit. Cf. *Theocrit. id.* 10, 28. *et ſchol. Plin.* 21, 11. *Anguillara p.* 154 f. Optimus *Sibthorpius fl. graec. t.* 38. varietatem habet, quam

Gl. triphyllum dicit, elegantiſſimo nectaroſtigmate conſpicuam.

Crocus ſativus, autumno florens, ob ſtigmatum colorem, *rubens* dicitur *georg.* 4, 182.

Lolium temulentum (infelix, *ecl.* 5, 37.).

Avena ſterilis (ib.).

Cornus maſcula (bello bona, *georg.* 2, 447.).

Cerinthe maior (ignobile gramen, apibus tamen gratum, *georg.* 4, 63.).

Zizyphus Paliurus (ecl. 5, 40.).

Zizyphus Lotus; Diospyros Lotus: (Genus haud unum, *georg.* 2, 84.) *Lotus* vero *corniculata*, ovibus grata, *georg.* 3, 394.

Ferula communis. (Silvanus florentes ferulas quaſſans, *ecl.* 10, 25.).

Cicuta viroſa. (Fiſtula ſeptem compacta cicutis, *ecl.* 2, 36. 10, 85.). E fiſtuloſis caulibus poſſunt tibiae confici.

Bubon gummiferum. (Galbanum, *georg.* 3, 415. 4, 264.).

Apium graveolens. (Virides apio ripae, *georg.* 4, 121. amarum, *ecl.* 6, 68.).

Anethum graveolens (bene olens, *ecl.* 2, 48.).

Hedera Helix (modo pallens, *ecl.* 3, 39. 4, 124. iam nigra dicta 2, 258. Solet enim quandoque folia habere nervis albis pallentia.).

Viburnum Lantana (lentum, *ecl.* 1, 25.).

Tamarix gallica (myrica, *ecl.* 4, 2.).

Sambucus Ebulus (*ecl.* 10, 27.).

Narciſſus poëticus (purpureus, *ecl.* 5, 38.).

Narciſſus ſerotinus (ſera comans, *georg.* 4, 122.).

Lilium candidum (Silvanus grandia lilia quaſſans, *ecl.* 10, 25.).

Daphne Cneorum (Caſia, *ecl.* 2, 29. viridis, *georg.* 4, 30. humilis apibus grata, *georg.* 2, 213. Cf. *Martyn.* ad h. l. *Anguillara p.* 31.).

Diospyros Ebenum. (Sola India nigrum fert Ebenum, *georg.* 2, 116.). Distinxerunt quidem aethiopicum, quod africanum putarunt, ab indico: ſed *Herodotus* (3, 97.) manifeſto aethiopicum Indiae ipſi tribuit.

Amyris Kataf (Turifera arbor, *georg.* 2, 139. Solis eſt turea virga Sabaeis, *georg.* 2, 117.).

Arbutus Unedo (depulſis hoedis dulcis, *ecl.* 3, 82.).

Roſa damaſcena (Paeſti bis florens, *georg.* 4, 119.).

Papaver ſomniferum (veſcum, quod terram emaciat, *georg.* 1, 212.; lethaeum, *georg.* 1, 78. 4, 545.).

Tilia europaea (pinguis, apibus grata, *georg.* 4, 183. 144.).

Aconitum Napellus (*georg.* 2, 152.)

Reſeda Luteola (croceum lutum, *ecl.* 4, 44.).

Delphinium Aiacis (vaccinia nigra, *ecl.* 2, 18. mollia, *ecl.* 2, 50.).

Ranunculus hirſutus Ait. *Philonotis* Retz. (Sardoa herba, *ecl.* 7, 42.). *Dioſc.* 2, 206. Χυοωδέστερον dicit aliis ſpeciebus. Vidiſſe ſe hanc plantam in Etruria ad flumen, quod e Carrara venit, iuxta Venzam, teſtatur optimus *Anguillara p.* 178.

Satureia capitata (Thymus hyblaeus, *ecl.* 7, 37. Cecropius, *georg.* 4, 270.).

Satureia Thymbra (Thymbra graviter ſpirans, *georg.* 4, 31.).

Thymus Serpyllum (Serpylla late olentia, *georg.* 4, 30.).

Thymus vulgaris (apibus gratus, *ecl.* 5, 77.).

Origanum Dictamnus (*aen.* 1, 412.

„Dictamnum genitrix Cretaea carpit ab Ida,
„puberibus caulem foliis et flore comantem
„purpureo, non illa feris incognita capris
„gramina, cum tergo volucres haeſere ſagittae.").

Meliſſa officinalis (Melisphyllum, *georg.* 4, 63.).

Verbena officinalis (*ecl.* 8, 65.).

Acanthus mollis (*ecl.* 3, 45. *georg.* 4, 122.). Xyſtos hortorum eo decorare conſuerunt Romani, quod et ex *Plin. iun. epiſt.* 5, 6. patet, ubi *Acanthus mollis* in plano et, paene dixerim, *liquidus*! dein *lubricus* et *flexuoſus* vocatur.

Cheiranthus incanus (pallens viola, *ecl.* 2, 46. Cf. *Martyn. ad bucol. p.* 66.).

Althaea officinalis (hibiſcus viridis, *ecl.* 2, 30. gracili hibiſco fiſcellam texere, *ecl.* 10, 71 Caulium fibrae, cannabina methodo ſeparatae, fila praebent mollia, ſubtilia, fortia, candida, quae rite parata materiem praebent textoribus perutilem *Cavan. diſſ.* 2, *p.* 94.).

Bombax goſſypinum ſ. *Goſſypium arboreum* (nemora aethiopum molli canentia lana, *georg.* 2, 120. .

Spartium iunceum (Geniſtae lentae, *georg.* 2, 12.).

Lupinus albus (triſtis, *georg.* 1, 75.).

Ervum Ervilia (*ecl.* 3, 100.).

Medicago arborea (Cytiſus apibus et capris grata, *ecl.* 10, 30.).

Citrus medica (Heſperidum mala, *ecl.* 6, 68.

„Media fert triſtes ſuccos tardumque ſaporem
„ſelicis mali . . . . . .
„Ipſa ingens arbos, faciem ſimillima lauro etc.“
(*georg.* 2, 126.).

Cichorium Endivia (Intubum potis gaudet rivis, *georg.* 4, 120.)

Cichorium Intybus (Amaris intuba fibris, *georg.* 1, 120.)

Aſter Amellus, *georg.* 4, 271:

„Eſt etiam flos in pratis, cui nomen Amello
„fecere agricolae, facilis quaerentibus herba: etc.“

Cf. *Martyn.* ad h. l. *p.* 450. ubi delineavit.

Centaurea Centaurium (centauria graveolentia, *georg.* 4, 270.). Cf. *Cluſ. hiſt.* 2. *p.* 10. Succus radicis croceus graveolens.

Calendula officinalis (caltha luteola, *ecl.* 2, 50.).

Arum Colocaſia, *ecl.* 4, 20.

Carex acuta, *georg.* 3, 231. Conf. *Martyn.* ad h. l. *p.* 323 f.

Typha latifolia (ulva paluſtris, *georg.* 3, 175. *ecl.* 8, 87.).

Pinus Pinea (pinus in hortis, *ecl.* 7, 65.).

Pinus Picea (abies in montibus altis, *ecl.* 7, 68. *Voſſ.* ad h. l.

Quercus Ilex (arguta, *ecl.* 7, 1.).

Quercus Robur (Eſculus, *georg.* 2, 15. Cf. *Martyn. ad h. l.*).

Acacia vera Willd. (ſemper frondens acanthus, *georg.* 2, 119.).

Cupreſſus ſempervirens (cypariſſus idaea, *georg.* 2, 84. *aen.* 3, 680.).

Salicem capream Anguillara p. 86. credit eſſe *Siler* Virgilii, *georg.* 2, 12. licet *Plin.* 24, 10. ſemina medicamentum praebere perhibeat, unde *Caeſalpinus (plant.* 2, 50.) Evonymum europaeum divinat.

Salix vitellina (lenta salix, *ecl.* 5, 16.) flores apibus grati, *ecl.* 1, 55.

Salix argentea, (glauca, *georg.* 4, 183.).

Ruscus aculeatus (horridus, *ecl.* 7, 43.).

Phucagrostis maior Caulin. (alga vilis proiecta, *ecl.* 7, 4.).

Populus alba. (Herculeae coronae umbrosa arbor, *georg.* 2, 66. Alcidae gratissima, *ecl.* 7, 61.).

Pistacia Terebinthus (aen. 10, 631.).

Poëtae ceteroquin ignoscendum, si nec generis nec speciei veram informationem habet. Insitionem enim et in alienis generibus succedere arbitratur: prunum lapidosis cornis *(georg.* 2, 32.) mala platanis, pira ornis, quercum ulmis inseri *(georg.* 2, 70.).

COLUMELLA.

Non multo post Virgilium, quem maximi facit, Tiberii aetate, quod ipse *(de re rust.* 11, 3.) testari videtur, L. Iunius Moderatus Columella vixit, Gaditanus, in Baetica saltem provincia, a patruo Marco Columella, diligentissimo agricola et doctissimo educatus (2, 16. 5, 5.). Ipse usu longo et experientia doctus, assidua etiam praestantissimorum auctorum lectione instructus, itinera multa suscepit, ut Ciliciam viderit et Syriam (2, 10.): prudens vir et a praeiudiciis sui aevi alienus, qui ipse contra astrologos scripsit (11, 1.).

In libris 12 de re ruſtica a *Schneidero* noſtro optime editis, inſitionis rationem primus egregie exponit. Omnem enim furculum poſſe omni arbori inſeri, cui cortice et fructu ſimilis ſit (3, 11.). Liber decimus continet poëma de plantis hortenſibus, intellectu fere difficilius, quam Nicandri verſus. Nihilominus et hic plura mihi clarius videre videor.

Inter plantas oleraceas et culinares recenſet primus fere *Siſer*, quod Daucus certe Carota eſt.

Paſtinacam ſativam eodem nomine, ut etiam *Staphylini*.

Chaerephyllum quod *Scandix Cereſolium*.

Panax: Laſerpitium Chironium.

Olus atrum: Smyrnii ſpecies ſaepius iam dicta.

Apium graveolens.

Aſſyria radix, quae forte *Sium Siſarum*.

Beta pede candida: vulgaris.

Atriplex hortenſis.

Hyacinthi nivei et coerulei, qui ſine dubio alieni a Virgilianis, videntur ad noſtrum Hyacinthum orientalem referri debere.

Allii ſativi varietatem habet *Ulpicam*, quam et punicum dicit et ἀφροσκόροδον: praeterea *Porrum* ſativum et capitatum et *Cepam aſcalonicam*.

Aſparagi hortenſis, quem ruſtici vocent *Corrudam*, cultum uberius indicat, ut et *Capparidis*,

quam culturam omnem reſpuere Graeci autumaverant.

Satureiam hortenſem distinguit a *Cunila transmarina*, quae *Sat. capitata* eſt. *Mentham ſylveſtrem* pariter ac Graeci, in M. ſativam transire arbitratur.

Erucam (Braſſica Eruca) *Naſturtium* (Lepidium latifolium) *Lepidium* (ſativum) *Sinapi* (nigram forte) *Rapas* et *Napos* et *Raphanos* optime cognoſcit.

Primus, quod ſciam pruna *armeniaca* nominat 10, 404. 2, 15.

Inter legumina *Phaſellum (Phaſeolum vulgarem* 2, 10.) *Cytiſum (Medicaginem arboream* 5, 12.) *Geniſtam (Spartium iunceum* 4, 31.), Lupinos et Fabas aliaque in vulgus nota habet.

Inula eius I. *Helenium* eſſe videtur.

Cynara Scolymus egregie deſcribitur *libr.* 10:

„Haec modo purpureo ſurgit glomerata corymbo,
„myrtiolo modo crine viret deflexaque collo
„nunc adoperta manet, nunc pinea vertice pungit,
„nunc ſimilis calatho ſpinisque minantibus horret,
„pallida nonnunquam tortos imitatur acanthos."

*Humulus*ne noſter *Lupulus* intelligatur ſequentibus verſibus, ignoro:

„Quaeque tuas audax imitatur Nyſie viteis,
„nec metuit ſenteis, nam vepribus improba ſurgens
„achrados indomitasque bryonias adligat ulmos."

Ulmi atiniae gallicae nomine praedicatur *Carpinus Betulus*, cuius folia bubus iucundiora foliis ulmi campeſtris ſint (5, 6.).

Rumpotinum vocat (5, 7.) arbuſtum gallicum vitibus ſuſtentandis idoneum, quod repetit *Plinius* (14, 1. 24, 18.). Eſt autem *Acer Opalus* vel *campeſtre*.

Salix viminalis et *perticalis* (vitellina) distinguuntur (4, 31.).

Cucumeres (forte *Melones*) ſub terra, ſimo coacervato praecoces fieri, praecociores ſub ſpecularibus, quales Tiberius Caeſar per totum annum habuerit. Cucurbita alexandrina Citrullus eſſe videtur (11, 3.).

Inter frumenta denique *adoreum* celebrat (Triticum Spelta) *Hordeum hexaſtichon* et *diſtichon* et *Siliginem* (Secale cereale). (2, 6. 9.).

* * *

DIOSCORIDES.

Celeberrimus omnium, quotquot exſtant veterum de plantarum hiſtoria et materia medica ſcriptorum, ſingulare etiam ſtudium meretur, ſi de fatis rei herbariae ſermo eſt. Etenim per ſedecim, et quod excurrit, ſaecula, huic uni fere tanta tributa eſt auctoritas, ut ab eo proficiſcerentur, in eius verba iurarent, quicunque vel rei herbariae operam impenderent, vel medicamentorum cogni-

tionem ſibi comparare ſtuderent. Ad ſaeculi decimi ſeptimi usque initium rei herbariae univerſum ſtudium et academicum et privatum ſolius fere Dioſcoridis verbis comprehenſum ac finitum, liberalius tum demum agitari coepit, cum immenſa botanices augmenta, peregrinationes per disſitas regiones doctae, ac examen curatiſſimum ipſius naturae manifeſto docerent, quam anguſti ſint limites cognitionis, quae ſoli huic ſcriptori, utut doctiſſimo, fidat.

Pedacium *Dioſcoridem* Anazarbeum Neronis certe aetate vixiſſe, inde patet, quod Areus Aſclepiadeus, cui libros ſuos dicavit, Licinii ſ. Lecanii Baſſi conſulis amicus fuerit (*Galen. comp. med. ſec. gen.* 5. *p.* 293. *Tacit.* 15, 33.). Ipſe fatetur ſtipendia meruiſſe ac exercitus romanos ſequutum fuiſſe (*praef.*). Graeciam certo, Italiam totam, Aſiam minorem, forte et Galliam narbonenſem ipſe peragravit, plantasque plurimas in iis provinciis collegit. Multo maiorem autem copiam fide aliorum deſcripſit.

Περὶ ὕλης ἰατρικῆς exſtant libri, quorum codices manuſcripti celeberrimi ſervantur: 1) Viennae; huic adiunctae ſunt icones, quae vero haud praeſtantes ſunt. Earum ſpecimina inſeruit *Dodonaeus* ſtirpium hiſtoriae, ut facile videas, veterum plantas inde parum lucis accipere: e. g. Arctium *p.*

149, Coronopus *p.* 109, Lotus aegyptia *p.* 573, Stoebe *p.* 123. Scriptus esse fertur saec. 6. (*Lambec. bibl. caesar. vindob. lib.* 2. *p.* 489. 519 f. *Weigel.* in *Baldingers Journ.* 32. *p.* 10 f.). Is est, quem Busbequius, orator austriacus Constantinopoli ad Matthiolum misit: nomine Cantacuzeni ab hoc citatus. 2) Parisiis servatur codex, a *Salmasio* (*exercit. Plin. p.* 254.) laudatus, *saec.* 9. scriptus. Adiunctae sunt icones, ac nomina tum arabica, tum coptica, unde in Aegypto scriptus esse efficitur. (Cf. *Millinus in Journ. d'hist. nat. N.* 20. *p.* 281.). 3) Neapolitanus iam Viennae servatur (*Kollar suppl. ad Lambec. bibl. vindob. p.* 33 f.). Antiquior is primo putatur. Cf. omnino *Weigelius l. c.* 4) Leidae sunt tres.

Editus est hic liber primum ab Aldo Manutio 1499. Venet. et satis vitiose quidem. Repetita fuit haec editio, Venet. 1518. 4. Ianus Cornarus emendatius textum edidit Basil. 1529. 4. Cum interpretatione Marc. Vergilii Colon. 1529. fol. Multo puriorem prioribus textum restituit Iac. Goupylus, editum cum versione Paris. 1549. 8. quem sequutus demum Ian. Anton. *Sarracenus* plenissimam dedit et castigatissimam editionem Frcf. 1598. fol. Hac ultima editione et ego utor: aegerrime autem semper tuli, nullum rei herbariae peritum virum utilissimo huic scriptori operam impendisse.

Numeroſiſſimi exſtant, ut ſtudiorum ratio per ſaecula iuſſit, in Dioſcoridem commentarii, quorum copioſiſſimus fere *Matthioli* eſt, aeque fere utilis eſt *Caeſalpini* et Aloiſ. *Anguillarae.* Barthol. *Marantae* etiam, Valerii *Cordi*, Remb. *Dodonaei*, Io. *Manardi* et Fabii *Columnae* auxilio uti debet, qui plantas Dioſcoridis explicare ſatagit. Indicem locupletiſſimum nominum omnium, quae viri clariſſimi introduxerunt, Caſp. *Bauhinus* in pinace exhibuit, cuius frater Io. *Bauhinus* incredibili fere induſtria et ſtudio ſummo innumeras Dioſcoridis plantas expoſuit. Minima profecto fides habenda Leon. *Fuchſio*, Amat. *Luſitano*, *Ruellio*, *Tabernaemontano*, *Trago* et *Dalechampio*, qui, vel quod alieni a rei herbariae eſſent peritia, vel quod Italiam nunquam perſcrutati eſſent, plerumque fere errant et lectores ſeducunt. Barthol. *Maranta* nemo uberius, luculentius et diſertius explicuit rationes illuſtrandi et exponendi Dioſcoridis.

Italiae, „magnae frugum parenti, magnae virûm," ea laus tribuenda, quod rei herbariae rudimenta, poſt literas reſtitutas, prima poſuerit, quod *Matthiolos*, *Caeſalpinos*, *Anguillaras*, *Columnas* excitaverit, qui auguſtae patriae plantas colligerent, collectas cum veteribus compararent, comparatas exponerent. Quodſi ii viri nonnullas plantas Dioſcoridis vel penitus ſilent, vel perperam

explicant, quodſi ipſe etiam, qui per quatuor fere luſtra in principibus artis meae totus ſum, ſubinde lapſus fuero, vitio id auctori ipſi vertendum, qui non noſtro eoque ſyſtematico modo plantas deſcribere, ſed habitu quodam ſeu nota aliqua peculiari duntaxat indigitare conſuevit.

Quodſi enim ordinem ſpectes, qui alioquin lucis aliquid foenerare potuiſſet, nullus fere in Dioſcoride eſt, licet aromaticas arbores et gummiferas alimentaque et cerealia ſeorſim tractet. Ob nominis ſaepius adfinitatem plantas alieniſſimas coniungit, ut Medium et Epimedium, Althaeam cannabinam cum Cannabi, Hippophaeſtum (Cnicum ſtellatum) cum Hippophaë, Salſolam Tragum cum Hyperico hircino et Pimpinella Saxifraga (Tragio), Parnaſſiam cum Tritico etc.

Deſcriptiones adeo mancae ſunt, ut variarum plantarum nomen tantummodo, praetereaque nihil, exſtet. Quae fuerit Cinna (4, 32.) gramen in Cilicia noxium, ignoro. Talium plantarum deſcriptionem tentavit Barthol. *Maranta* (*method. cogn. ſimpl.* 2, 14.) licet haud ubique felici eventu. Ubique comparat *Dioſc.* habitum, folia, flores cum aliis plantis, nonnunquam ſatis inepte: ſic Elichryſo largitur folia Abrotani, Cnici folia habet ἐντετρημένα, Symphyto officinali eadem periodo tribuit καῦλον κοῦφον καὶ δασέα. Non raro a vocum ſignificatu aberrat, ut nulla ipſi fuiſſe certa no-

menclatio videatur: ſic λόβος non legumen ſolum, ſed quemvis fructum, non ſemel quoque florem ipſum σκιάδιον umbellam, ſed et ſtrobilum Origani et capitulum notat. Quod quidem bene *Galenus* animadvertit (*ſimpl. facult.* 11, *p.* 144.), vocum ſignificatum Dioſcoridem ignoraſſe, et ipſe rogat (*praef.*) ne τὴν ἐν λόγοις δύναμιν lector ſpectet.

Eadem planta nonnunquam vel eodem nomine bis, ut Bromus, vel diverſis etiam, ut Lonicera Caprifolium, occurrit. Errores plurimos, quos incuria produxit, commiſiſſe palam eſt. Sic e ferulacea arbore euphorbium ſtillare (3, 96.), Onoſmam echioidem flore fructuque carere (3, 147.) ſemina filicum vermiculos eſſe (3, 121.) perhibet.

Inſignis tamen theſaurus plantarum italicarum et graecarum, nonnunquam bene obſervatarum, accuratam meretur enumerationem.

? *Amomum hirſutum* Lam. Tsjana Kua *Rheed. mal.* 11, *t.* 8. (κόστος). Tres facit Dioſcorides (1, 15.) ſpecies, quarum una *arabica* eſt, levis, alba, odorata; indica altera, craſſa, levis, nigra, ferulacea; ſyriaca tertia buxea, nigra, graveolens. Primus animadvertit Ant. Muſa *Braſſavolus* (*exam. ſimpl.* 238.) nullam coſti ſpeciem recentioribus cognitam eſſe. Sperat, Alphonſum Ferrariae Ducem verum coſtum apportari iuſſurum. At ſpes eum adeo fefellit, ut et noſtrae etiamnum of-

icinae nullum omnino verum coſtum poſſideant; coſtum dulcem enim, quem venditant, eumdem eſſe cum Canella alba iamdiu comperi. Indicus coſtus forte eſt radix *Amomi ſylveſtris*, quae, etſi ıtra non ſit, tamen obſcuri, fuſci eſt coloris et no-doſa (*Rumph. amboin.* 6. *t.* 63.). Quae ſyriaca ſit ſpecies, plane ignoro (Cf. *Lam. encycl.* 1, 136.). Zedoariae radicem eamdem eſſe cum Coſto, per-ıibet *Anguillara p.* 34. Cf. *Niclas ad Geopon.* 7, ı3. . . *? Amomum Zedoaria* (καρδάμωμον 1, 5.) . . *Amomum Zingiber* (ζιγγίβερι 2, 190.). Ex Ara-bia traglodytica apportabatur.

Phillyrea latifolia (φιλλυρέα 1, 125.). Fo-ia oleae ſimilia ſed latiora: fructum cum Lentiſco comparat. Cf. *Sibthorp. fl. graeca t.* 2. . . *Ros-narinus officinalis* (λιβανωτίς 3, 89.). . . *Sal-via Horminum* (ὅρμινον 3, 145.). Cf. *Sibthorp. fl. graec. t.* 20. . . *Salvia argentea* (αἰθιωπίς 4, ı05.). Cf. *Sibthorp. fl. graec. t.* 27. . . *Piper nigrum* (πέπερι 2, 189.).

Valeriana Dioſcoridis, *Sibthorp. fl. graec. t.* 33., foliis omnibus pinnatis, radicalium foliolis ovatis dentato-repandis, radice tuberoſa, quam ad Limyrum fluvium Lyciae Hawkins, Sibthorpii comes, invenit: eſt ſine dubio φοῦ *Dioſc.* 1, 10. Namque, naſci in Ponto, Smyrnio Oleri atro ſimi-lia habere folia, flores ex albo-purpuraſcentes, ra-dicem digiti minoris craſſitudine: quae omnia cum

Non deſunt plura, quae ſatis obſcura manent, ab ipſo auctore non cognita aut male deſcripta. Exemplo adducam Μαλάβαθρον, quod (1, 11.) aliqui pro nardi indicae folio habeant. Eſſe autem peculiare quoddam genus folii, quod paludibus innatet, nulla radice fultum. Id collectum, ſtatim filo traiectum, reconditum ſervari. Repetit id *Plinius* (12, 26.), novo addito errore, in Syria nempe gigni id malabathrum. *Galenus* duobus locis *(ſac. ſimpl.* 7, 98. 114.) μαλάβαθρον et φύλλον μαλαβάθρου recenſet, congruere virtutem cum vi nardi. Mox uſus increbuit, φύλλα cum μαλαβάθρῳ eadem putare, quum *Plutarchus (Gryll.* 990.) dicat νάρδους καὶ φύλλα καὶ καλάμους ἀραβικούς. At vero in *Digeſt. l.* 39. *tit.* 4. *de publican. et vectig. l.* 16. distinguitur malabathrum a folio barbarico. His aliisque argumentis victus primus fere *Anguillara (p.* 29.) bene distinxit folium barbaricum, quod idem cum *Pipere Betle*,

Malabathrum autem dici *Tembul*. Idem Tembul vero tanquam Piperis ſpeciem quoque deſcribit. Falli autem et eum *Garcias* (*Cluſ. exot.* 175 — 177.) perhibet, Malabathrum enim Caſſiae ligneae (*Laurus Caſſiae*) eſſe folium, *folium* vero κατ' ἐξοχήν eſſe Betle Indorum. Cf. *Trew. in nov. act. nat. cur. vol.* 2. *app. p.* 385. Coram habeo etiam iconem *folii*, quod manifeſto Lauri Caſſiae eſt, et Betle dicitur, apud *Ramuſium* (*viaggi* 1, 363.).

* * *

Praeter hanc in materiam medicam introductionem adſunt alii etiam tractatus θηριακῶν etc., ut et νόθα dicta, quae ad graecas plantarum voces latinas etiam continent, ferioris certo originis, ut a monacho quodam compilata eſſe videantur.

PLINIUS.

Duumviri hi imperio totum orbem literarium per ſedecim et quod excurrit ſaecula regentes praecipuam merentur in rei herbariae hiſtoria attentionem. Plinius enim iisdem fere verbis plerumque, quibus Dioſcorides, plantas deſcribens, medio aevo gratior fuit Dioſcoride, quod non latine ſolum ſcripſerat, ſed quod ſuperſtitiones etiam plures et fabulas admiſcuerat. Cum literae reſtituerentur, neceſſarium quidem fuit, ab horum duumvirorum

operibus proficiſci, ſed errores genuit plurimos nimia antiquitatis auctoritas: quae reiecit etiam omne aetatis, fontiumque, e quibus hauſerint auctores, examen. Noſtrorum autem temporum libertas ii examini vel maxime favet, id quod nobis doctrinae ambitum, quem in romano ſcriptore inveneris, clare exponet.

Caius *Plinius Secundus*, maior dictus, patria Veronenſis, non Novocomenſis fuit (*Voſſ. hiſtor. lat.* 1, 29.): natus Tiberio Caeſare, anno aerae noſtrae 23., patre Celere, matre Marcella. Sub Claudio ſtipendia fecit in Germania, ſub Nerone et Veſpaſiano augur fuit et procurator in Hiſpania, demum vero praefectus claſſis Miſenenſis. Vir omni literarum disciplina ornatiſſimus, lectionis uberrimae ſegetem ditiſſimam in libros ſuos recepit, quod magis miraberis, ſi ſcieris, illum aetatis ſuae tempus impeditum diſtentumque qua officiis maximis, qua principum favore egiſſe. Sed erat, ut cum nepote Plinio iuniori (*epiſt.* 3, 5.) loquar, acre ingenium, ſtudium incredibile, ſumma vigilantia. Lucubrare a Vulcanalibus (ab autumno inde) incipiebat: in itineribus, quaſi ſolutus ceteris curis, ſtudio ſoli et lectioni vacabat. Ad latus notarius cum pugillaribus, cuius manus hieme manicis muniebantur, ut ne coeli quidem aſperitas ullum ſtudii tempus eriperet. Nam perire omne tempus arbitrabatur, quod ſtudiis non im-

pertiretur. Hac intentione tot volumina peregit, quot fere nemo Romanorum ſui temporis.

Ipſi viri clariſſimi morti gloria immortalis propoſita eſt, quod avido naturae ſtudio eam ſponte ſubierit. Fuit enim ingens illud Veſuvii montis incendium anni 79, quum ille claſſem Miſeni imperio praeſens regeret, quod ipſum adeo excitavit, ut Pomponianum peteret, proſpiciendi cauſſa e proximo, ecquid iam mare admitteret. Ibi ſulfuris fumo craſſioreque caligine ſuffocatus ſtatim concidit.

E tanti viri ſcriptis numeroſis ad nos ſolum pervenit opus *hiſtoriae naturalis*, libris 37., quibus ex bis mille voluminibus ſcriptorum romanorum pariter ac graecorum univerſam naturae varietatem amplecti conatus eſt. A libro inde duodecimo ad vigeſimum usque ſeptimum omnia tractat vegetabilia, plantas, arbores, fruges, gramina totamque rem ruſticam.

Optima editio totius operis eſt *Io. Harduini*, quam tribus voluminibus formae maximae comprehenſis, Galliarum regis iuſſu anno 1723 abſolvit. Quindecim codicibus manuſcriptis uſus eſſe dicitur. Rariſſima autem eſt et pulcherrima editio *Bellocirii Daneſii*, Pariſ. 1532. fol. Bene quoque de Plinio meruit *Dalechampius* in editione Lugdunenſi 1587. fol.

Praeter has praeſtantiores noſtri auctoris edi-

tiones commentarii etiam memorandi sunt, inter quos eminent Claud. *Salmasii* Plinianae exercitationes Ultrai. 1687. fol., omni eae quidem doctrinae genere abundantes, sed et malo in Plinium animo et sine ordine scriptae. Maxime autem vitio vertendum, quod a rei herbariae cognitione fere alienus sibi tamen sumserit de plantis veterum iudicare. Veteres commentatores, *Hermolaus Barbarus*, Nicol. *Leonicenus* aliique textum quidem castigarunt, ad fontes Plinianos primi respexerunt, sed rei etiam herbariae non satis experti fuerunt, ut eorum vestigia tuto sequi possimus.

Diu autem iam acriter Plinium perstrinxerunt, quod sine iudicio, ac omnino saepius sine linguae graecae interiore cognitione, undique corraserit, quae curiosa scituque digna ipsi visa fuerint, quod nonnunquam penitus falso aut negligenter saltem interpretatus fuerit Graecos. Id autem perspicere non potuerunt, qui medio aevo coeci eum ducem solum sequebantur. Quae enim reprehendit in maioribus suis, quod notas ipsas herbarum velut vulgares strictim tantum et nominibus indicaverint (27, 8.) id et in ipsum cadit. Licet plures et diffitas quidem Romani imperii provincias viderit, plantas tamen perpaucas solummodo, et vero rariores minime cognovit.

Plurimas quidem fatetur plantas in hortulo Antonii Castoris semet observasse, qui tertius fere post

Theophraſtum et Mithridatem regem peculiarem plantis alendis hortum conſtituit (25, 2.). Neque tamen rari ſunt errores graviſſimi, e cognitione plantarum manca orti. Confundit e. g. (12, 20.) Caſiam Romanorum (*Daphnen Cneorum*) cum Lauro Caſſia: fabam Graecam appellat Celtim auſtralem (16, 30.): oryzae florem tribuit purpureum (18, 7.): Gypſophilae Struthio lanuginoſum caulem et ſpinoſum (19, 3., ubi tamen defenditur a Paulo *Boccone muſ.* 1, 172.): liguſtrum neſcit an idem ſit cum celebri cypro, ſeu Lawſonia inermi (24, 10.): Myriophyllum cum Achillea Millefolio componit (24. 16.): ad gramina numerat, quam *Anguillara* (*p.* 94.). Sedum eſſe ſtellatum docuit. *Macer* ſ. Macis ipſi (12, 8.) cortex radicis cuiusdam maguae eſt.

Graeca ſua exemplaria adeo negligenter legit et interpretatus eſt, ut hippacem Scytharum, quae caſeus fuit (*Hippocr. morb.* 4, 508.) plantam crederet (25, 8.); ut μήκωνος ἀφρώδους folia, quae Theophraſtus Struthii (*Gypſophilae*) aequales habet, ſpeciem paſſerum (στρουθῶν) praebere nugaretur (20, 19.); ut in media hederae deſcriptione de ciſto loquatur, commutatis κισσῷ et κιστῷ (16, 34.); ut, ubi Theophraſtus perhibet, platanos eſſe raras (σπανίας) in Italia, noſter interpretetur, alias platanos eſſe in Italia alias in Hiſpania (12, 1.); ut, ubi de marrubio (πρασίῳ)

Graeci loquuti essent, ipse semper πράσον legerit et *porrum* interpretatus fuerit (22, 25. 24, 15. 27, 8.). Taceo plura, quae ipsi obiecta sunt, ut animadvertam, paucis duntaxat plantis vastissimo hoc opere locupletatam esse rem herbariam. Quae studio summo investigans tanquam novas, aut Plinio saltem peculiares inveni, hae fere sunt:

Salvia Verbenaca una cum Verbena supina (25, 9.) tractatur, adeo frequens per totam Europam australem, et mirum fuisset, si Plinius eius non meminisset. . . *Valeriana italica* Lam. est Nardus cretica (12, 12.) quam *Galen. compos. medic. sec.* loca 9, 4. etiam citat: sed descriptio Plinii ex Dioscoride de Phu desumta. Cf. *Ponae mont. bald. p.* 49. 50.

Eriophorum sine dubio *angustifolium* est arundo ea (19, 1.) e qua vestes conficiantur. . . *Stipa tenacissima.* Sparti usus per Hispaniam Africamque Carthaginensem uberrime (19, 2.) describitur, ut gramen id ocreatis cruribus textisque manicis, ligneisque conamentis convolvatur, maceretur et ad innumera vitae desideria adhibeatur. Cf. *Fischers Gemälde von Valencia* 1, 164. . . *Panicum miliaceum* et *italicum* (18, 7.) ita distinguuntur, ut illud a paniculis dictum, cacumine languide nutante, paullatim extenuato culmo, paene in furculum praedensis acervetur granis, cum longissima pedali phoba: *milii* vero (panici italici) co-

mae granum complexae fimbriato capillo curventur. . . *Panicum Dactylon* hoc nomine (24, 17.) alioque loco (25, 8.) *Canaria* appellatur, quod canes eam mandant. Cf. *Lobel. hiſt.* 12. *Cluſ. hiſt.* 2, 217. . . *Panicum verticillatum* eſt Miliaria (22, 25.). . . *Hordeum murinum* dicitur (27, 9.). Holcus, quae in ſaxis naſcatur ſiccis: ariſtas habere in cacumine, tenui culmo, ob id a quibusdam appellari *ariſtidam.* Cf. *Anguillara p.* 210. *Lobel. obſ.* 18.

Dipſacus piloſus, Gallidraga Xenocratis (27, 9.). Eadem eſt *Virga paſtoris*, *ſimilis Acanthae* Nyc. *Myrepſic.* (1, 11.). Cf. *Anguillar.* 142. . . *Galium Aparine*, Philanthropos (24, 17.) quod veſtibus manibusque adhaereat. . . *Ilex Aquifolium* cum Quercu Ilice confunditur (16, 6.). . . *Potamogeton puſillus* (26, 8.). Caſtor aliam noverat ſpeciem tenui folio, velut equinis ſetis etc.

Myosotis Lappula (25, 8.). Eſt et alia, quae ferat lappas minutas. . . *Pulmonaria officinalis*, Conſiligo (25, 8.). . . *Aſperugo procumbens* eodem nomine vocatur (26, 10.). . . *Primula vulgaris*, Dodecatheon (25, 4.). *Lobel. obſ.* 317. . . *Azalea pontica* dicitur Aegolethron (21, 13.) cuius floribus mel venenatum fiat. Cf. *Tournefort. hiſt. acad. Pariſ.* 1704. 351. . . *Convolvulus Cantabrica* (25, 8.). Cf. *Cluſ. hiſt.* 2, 49. . . *Capſicum annuum* ſine dubio eſt ea Piperitis, quam et

Siliquaſtrum vocat (20, 17.). Cf. *Dodon.* 716. . . *Rhamnus Alaternus* (16, 26.). . . *Rhamnus infectorius* eſt Calabrice (17, 8.). . . *Chenopodium Scoparia*, Scopa regia (21, 6.). . . *Atriplex hortenſis*, Chryſolachanum (27, 8.). . . *Samolus Valerandi* eodem nomine generico occurrit (24, 12.). Sed *Anguillara* (179. credit Anemonen Pulſatillam, quae a Bononienſibus ſui temporis ita vocetur. . . *Plumbago europaea* eodem nomine (25, 13.) vocatur. Alio autem loco (26, 7.) Tripolium appellatur. . . *Theſium Linophyllum* eodem nomine (22, 22.). Cf. *Anguillara* 211. . . *Celoſia criſtata* eſt Amarantus (21, 8.). . . *Ribes nigrum* eſt ſine dubio Cynosbatos (24, 13.). Idem vult piperis arborem italicam (16, 32.) *Dalechampius*, ſed dubito. . . *Bupleurum baldenſe* intelligit *Anguillara* (169.) ſub Bupleuro (22, 22.) capite Anethi, foliis longis multisque. . . *Sium Siſarum* (19, 5.). Siſer et ipſum Tiberius princeps nobilitavit, flagitans omnibus annis e Germania. . . *Scandix Pecten* (24, 7.). . . *Peucedanum Silaus* (26, 8.). Cf. *Anguill.* 219. . . *Rhus Cotinus*, Coccygiae nomine (13, 22. 16, 18.). . . *Viburnum Tinus* (15, 30.). . . *Staphylea pinnata*, Staphylodendron (16, 16.). . . *Statice Armeria* (26, 8.).

Lilium chalcedonicum, rubens dicitur lilium (21, 5.). . . *Convallaria bifolia* bis occurrit, Cy-

claminos tertia dicta (25, 9.) et Ceratia uno folio (26, 8.). . . *Berberis vulgaris* (26, 13.). Spina, appendix appellata, quoniam baccae puniceo colore in ea appendices vocantur. . . *Iuncus maximus* eſt Combretum (21, 6.). Herba Luziolae Italis appellata (*Caeſalp.* 4, 58. *Anguill.* 179.).

Daphne Thymelaea (12, 7.). . . *Acer platanoides*, laciniatum Ait. et maculatum deſcribitur (16, 15.). . . *Polygonum Convolvulus* eſt Centunculus (24, 15.). Herba, quae, quia multa eſt, et ubique naſcitur, πολύγονον appellatur. *Scribon. Larg.* 46.

Caeſalpinia pulcherrima eſt Nyctegretum, quam Democritus narraverit in Gedroſia creſcere, colore hysgini, folio ſpinae (*acaciae*): eam et nyctalopa vocari, quod e longinquo noctibus fulgeat. (21, 11.). . . *Saponaria Vaccaria*, eſt Condurdum (26, 5.). . . *Silena baccifera* eſt Cuculus (*Cucubalus*) 27, 8. Cf. *Cluſ. hiſt.* 2, 183. . . *Oxalis ſtricta*, Oxys (27, 12.). Cf. *Lobel. obſ.* 495. . . *Lychnis ſylveſtris*, Malundrum ſ. Melandryon (26, 7.). Cf. *Cluſ.* 1, 394.

Reſeda alba, nomine eo generico occurrit (27, 12.). Cf. *Lobel. adverſ.* 76.

Pruni plures ſpecies nominantur, maxime vero *Chamaeceraſus* (15, 25.). *Mahaleb* etiam nomine Vaccinii (16, 18.). *Pyrus torminalis* (15, 21.). . . *Roſae* campana, praeneſtina et ala-

bandina (21, 4.). . . *Geum rivale* fere *Petilium* illud (21, 8.), quod circa vepres naſcatur, inflexo floris cacumine, flore roſeo: ſed autumno naſci dicit. . . *Geum urbanum* eo nomine (26, 7.) occurrit. *Fragaria veſca* (25, 9.) ſecundum codices antiquos eſt pentaphyllum illud fraga ferens, ſed exſtant aliae lectiones, ubi de *Trifolio fragifero* loqui videtur. Cf. *Leonicenum de Plinii error. f.* 3. 6. Antiquius, quam Plinii, eſt *Ovidii* teſtimonium de fragis aureae aetatis (*metamorph.* 1. *v.* 104.)

„Arbuteos fructus montanaque fraga legebant."

Spiraea Ulmaria eſt Rhodora (24, 17.). . .

Actaea ſpicata (27, 7.). Cf. *Lobel. obſ.* 389. . . *Caltha paluſtris*, Chamaeleuce 26, 6.). Cf. *Anguill.* 212. . . *Ranunculus Thora.* Limeum (27, 10.). Cf. *Anguill.* 213. . . *Ranunculus polyanthemos*, eodem nomine (27, 12.).

Lamium maculatum, Leuce (27, 11.). Cf. *Caeſalpin.* 11, 31. . . *Nepeta italica* (25, 15.). . . *Nepeta Scordotis* a Pompono Laeto, Pompeii liberto deſcripta (25, 6.). Bene delineavit Proſp. *Alpinus exot.* 283. . . *Teucrium Scorodonia* eſt alterum Scordium (25, 6.). Cf. *Lobel. obſ.* 262. . . *Vitex trifolia* eſt Caryophyllon (12, 7.) piperis grani ſimile: quod egregie deſcribit *Rumphius* (*herb. amboin. p.* 49. 50. *t.* 18. 19.). . . *Rhinanthus Criſta galli* eſt Alectorolophus (27, 5.).

Anguill. 219. . . *Euphraſia Odontites* eo nomine (27, 12.). . .

Dentaria enneaphylla (27, 9.). Cf. *Column. ecphraſ* 1, 307. . . *Braſſicae oleraceae* plures varietates recenſentur, Sabellica, Pompeiana etc. (25, 8.).

Ononis Natrix eo nomine (27, 12.). Cf. *Lobel. obſ.* 493. . . *Anthyllis Barba Iovis* eo nomine (16, 18.). . . *Cytiſus Laburnum* (16, 18.) eodem nomine bene deſcribitur. . . *Hedyſarum Alhagi* forte Occhi illud Oneſicriti eſt, e quo mel defluat, ſed ficis ſimilis frutex appellatur (12, 8.). . . *Trifolium italicum*, Oxytriphyllum (21, 9.). Cf. *Scribon. Larg.* 163.

Carduus leucographus (27, 11.). . . *Cnicus Eriſithales* (26, 13.). Cf. *Dalechamp.* 1094. . . *Gnaphalium gallicum* eſt Impia (24, 17.). Cartafilago *Anguill.* 203. . . *Bellis perennis* eodem nomine (26, 5.). . . *Chrysanthemum ſegetum*, Bellium (21, 8.). . . *Inula Bubonium* forte After (27, 4.). Cf. *Cluſ. hiſt.* 2, 24. *Scopol. carniol. t.* 58. *Galenus* βουβώνιον dicit (*facult. ſimpl.* 6, 79.). . . *Centaurea nigra*, Hyoſiris (27, 9.). Cf. *Anguill.* 216. . . *Calendula officinalis*, Caltha (21. 6.).

Ariſtolochia Piſtolochia (25, 8.). Cf. *Cluſ. hiſt.* 4, 72.

Ari plures ſpecies recenſentur (24, 16.).

Arum *Dracunculus*, *italicum*, *Ariſarum* et *tenuifolium*. Cf. *Lobel. adv.* 260. . . *Pinus Pinaſter*, Tibulus (16, 10.). . . *Pinus Cembra*, Taeda (16, 10.). . . *Fagus ſylvatica* (16, 6.). . . *Acacia latronum* forte eſt ſpina lacrimarum pretioſa in gente Ariana (12, 8.). . . *Amarantus tricolor* eſt Gromphaena (26, 7.). . . *Ephedra diſtachya*, Polygonum quartum (27, 12.). Cf. *Cluſ. hiſt.* 1, 91. . . *Myrica Gale*, Chamaeleagnus (24, 11.). Cf. *Dodon.* 780. . . *Humulus Lupulus*, Lupus ſalictarius (21, 15.).

Lycopodium Selago (24, 12.) eodem nomine. . . *Conferva glomerata* in alpinis fluminibus 27, 8.). . . *Boletus ſuaveolens* (16, 8.). Ceterae omnes e Theophraſto, Dioſcoride, Crateva aliisque ſaepe aliis nominibus excerptae.

GALENUS.

Vir, cuius ſummum ingenium, eruditio vaſtiſſima et uberrima fertilitas omnem antiquitatem maxima cepit admiratione, nec rem herbariam intactam reliquit. Patre natus Nicone, architecto Pergameno, a prima inde iuventute optimis praeceptoribus in literarum disciplinam traditus fuit: pater ipſe φιλογεωργὸς experimenta inſtituit, ut transmutationem frumentorum in lolium obſervaret. Ea omnino veritatem eius transmutationis confirmaſſe perhibet *Galenus:* triticum in lolium, hor-

deum in avenam ſterilem abiiſſe (*facult. alim.* 1, 318.). Galenus Aſiam minorem, Aegyptum, Graeciam totam Italiamque percurrens, Palaeſtinam ipſe adgreſſus ſt, ut balſami fruticem inveſtigaret, quum balſamum illud frequenter adulterari comperiſſet (*antidot.* 1, 424. 433.). Imperatoris Marci Aurelii medicus per aliquod tempus, in patria Pergamo ultimam aetatem degit.

Ipſius tempore Imperatores romani in Creta plantarum utilium feraciſſima botanicos aluerunt, qui herbas radicesque ſedulo lectas Romam transmitterent (*antidot.* 1, 424.). Neque tamen iis poſſe penitus confidere ipſe fatetur, ſed oportere medicum peregrinari, ut plantas officinales in locis natalibus obſervet, colligat et vere distinguere diſcat (*ib.* 428.). Taxat eos, qui medicamina omnia ſimplicia e Creta petant, ac reſpuant, quae a Cretenſibus botanicis lecta non fuerint: creſcere enim per Italiam aliasque regiones plurimas plantas, eademque virtute pollere, quam Cretenſes, quod ἀμαράκου et μάρου exemplis oſtendit (*ib.* 431.).

Cinnamomum cum caſſia ſatis congruere: ſemetipſum integram arborem Cinnamomi Romae viciſſe, e qua Marco Aurelio antidotum paraverit (*ib.* 433.). Crocum in antro Corycio optime creſcere, ut ipſe expertus fuerit (*ib.*).

Carpaſium praedicat Cinnamomo non multo in-

ferius, optimum creſcere circa Sidam Pamphiliae: cortex id vel radicis vel trunci eſſe debuit (*antidot.* 1, 434. *facult. ſimpl.* 7, 89.). Neque idem eſt cum Cubebis, ut *Amat. Luſit.* (*comm.* 13.) perhibet. Cf. *Cluſ. exot.* 185. Equidem, rite collatis omnibus, quae veteres de carpeſio tradiderunt, opinioni adſentior *Anguillarae* (150.), qui radicem eſſe *Ruſci Hypophylli* arbitratur. Ea enim amaro-aromatica eſt, et roborantium vice ab ipſo demum *Riverio* (*obſ. cent.* 3, 53.) adhibita fuit. Graeci ſeriorum ſaeculorum manifeſto Cubebas intellexerunt (*Nic. Myrepſic. antid.* 1, 133.).

Secalen vidit *Galen.* (*fac. alim.* 1, 312.) in Thracia frequenter cultam, ubi βρίζα ab incolis vocabatur. Panem tamen eſſe inferioris indolis, meliorem, qui e Spelta in Phrygia paretur: hordeum nudum (γυμνόκριθον) in Cappadocia coli (*fac. alim.* 1, 316.). Alexandriae ſemet vidiſſe iuvenem, qui per plures annos ſolis phaſeolis et ochris vixerit (*ib.* 316.).

Ἕλυμον vocat Panicum italicum, quod cum μελίνῃ ſ. Panico miliaceo componit (*fac. alim.* 1, 314. *fac. ſimpl.* 6, 83.). Cochleariam Drabam (θλάσπι) optimam in Cappadocia gigni (*antidot.* 1, 435.). Eodem loco Centauream Rhaponticam nomine ῥήου praedicat (*fac. ſimpl.* 8, 106.). Boletos eſculentos distinguit (*facult. alim.* 2, 335.). Ὀποκάλπασον habet, ſubſtantiam Myrrhae ad-

mixtam venenatam, quae enecaverit homines quosdam inſcitia eam ſumentes (*antidot.* 1, 425. *de compoſ. medic. ſec. loc.* 1, 154.). Idem videtur *Dioſcorides* intelligere, dum ὀπὸν καρπάσου tanquam venenum ſoporiferum adfert (*alexipharm. c.* 13.). Et *Paullus Aegineta* καρπησίας ὀπὸν dicit (*lib.* 5, 44.). Haec venenata ſubſtantia nec cum καρπησίῳ ſupra memorato, nec cum καρπησίῳ Byzantinorum confundenda eſt. Nobis fere ignota eſt, niſi quandoque et noſtrae myrrhae admixta quaedam ſubſtantia reperiatur, quam *Schulzius* ſapore igneo et venenata indole obſervavit (*toxicol. veter. p.* 52.).

Chryſobalanum, aroma roborans (*de compoſ. med. ſec. loc.* 8, 281.) commendat, cumque eo *Actuarius* et Nic. *Myrepſicus*, nomine ξανθοβαλάνου (349.). Non defuerunt, qui pro *nuce moſchata* habuerint, refutati a *Cluſio* (*exot.* 179.). Nonne potius nux eſt *Semecarpi Anacardii*, cuius deſcriptionem et uſum vide apud *Roxburghium* (*coromand.* 1, *p.* 13. *t.* 12.)?

Neque tamen raro *Gal.* verſatur in erroribus. Styracem in calamis gigni (*antid.* 1, 435.), Acaciam veram ſimilem eſſe τῇ λευκῇ ἀκάνθῳ, quae aut Carduus eſt leucographus aut Gnicus Caſabonae (*facult. ſimpl.* 5, 72.) perperam autumat.

Libellus περὶ ἀντιβαλλομένων, ſi modo genuinus, errorum plenus eſt. Ἐλένιον e. g. σελίνον di-

cit ἀρωματικὸν ac pro Gentiana ſumi perhibet: pro Rheo Centaurium maius, quod et ſuadet Nic. *Myrepſicus (antidot.* 1, 1.) Rheum enim Rhapontiſcum ſerioribus temporibus fere ignotum fuit, ut Centauream Rhaponticam aut Centaurium ii ſubſtituerent. Cetera omnia e Dioſcoride, quem ubique citat.

Optima operum editio, quam ſequor, eſt baſileenſis 1538. vol. 1—5. fol.

LIBER III.

REI HERBARIAE DECREMENTUM.

CAP. I.

ROMANA AC GRAECA BARBARIES.

Veterum Graecorum Romanorumque res herbaria 1200 circiter ſpecies complexa, in iis fere ſubſtitit, quae vel in medicina aliisque artibus adhibentur, vel curioſa ac mirabilia videbantur. Unicus fere *Theophraſtus* naturam vegetabilium vitaeque rationes paullo curatius inveſtigans, haud tamen ultra prima rudimenta progreſſus fuit. Nomenclatura veterum vaga, nulli legi ſubiecta: deſcriptiones mancae, plurimae aliorum fide traditae, poſteritatis ſtudium inſigniter impediverunt.

Dioſcoridis tamen et *Plinii* auctoritas per ſaecula inconcuſſa fuit, temporum labe et hominum deſidia potius ſtabilita, quam ipſarum rerum veritate.

Generis humani ruina ſaeculo tertio et quarto aerae noſtrae e luxurie et mollitie incredibili, e tyrannide crudeliſſima imperatorum Romanorum, e

turpiſſima illa orientali pſeudoſophia totum terrarum orbem infeſtante, profecta praecipites ſecum traxit omnes ſcientias. A tertio inde ſaeculo per univerſum Romanorum imperium doctrina vera nulla, nulla ingenii libertas, nulla ſtudiorum ingenuitas. Servilis hominum deſidia, ab arbitrario tyrannorum imperio oppreſſa, in eo tota fuit, ut veteres transſcriberet et in epitomen rèdigeret. Artes omnes atroci tyrannidi inſervierunt: orientali ſuperſtitione ſeductum humanum genus eas duntaxat artes coluit, quae deſidiae, avaritiae, ſervili genio et luxuriei faverent.

Acceſſit inſanus ille ac ſtupidus furor indignorum hominum, qui Chriſti nomen uſurpabant, in omnes paganiſmi reliquias: bibliothecarum incendia et librorum cuiusvis generis dilapidatio: atrociſſimae demum perſecutiones eorum, qui ethnicorum cognitiones et eruditionem ſervare ſtuderent.

Nota haec omnia ac centies repetita, uberius demum a me expoſita ſunt in *vol. 2. hiſtoriae medicae*. Ex iis vero miſera rei herbariae ſors per ſe iam patet. Per plurima enim ſaecula ſoli fere medici, ignarum illud et ignavum vulgus, fuerunt, qui ſuo, i. e. barbaro et rudi modo rem herbariam colerent. Simplicia ſic dicta e plantis petita, nominibus vagis ſaepiusque falſis aut barbaris ſaltem praedita, adhibuerunt, ac in levibus futilibusque libris conſignarunt.

Taedet paene, pauca tantummodo e foeda illa farragine adducere.

Scribonius Largus, Claudii Caef. medicus, opusculum de compoſitione medicaminum ſatis barbare conſcripſit, quod immenſo Io. *Rhodii* ſtudio Patavii 1655. 4. editum, pauca continet, quibus Plinii coaevi ſcripta illuſtranda ſunt. . . Herbam (12.) quam πολύνευρον, ipſe *nervalem* appellat, aliam non arbitror, quam *Plantaginem maiorem*. . . Herba *urceolaris* (39.) quam *Plinius Valerianus* (2, 18.) *Vitraginem* dicit, eſt *Parietaria officinalis*. . . *Cotyledona Umbilicum* eo nomine vocat, folia habere cymbalis ſimilia et in parietibus humidis creſcere (55.). . . *Symphytum officinale* ſatis perverſe et Inulam ruſticam et gallice *Alum* nominari (83.) *Teucrium Polium*, niſi potius pro πολίῳ legendum ſit πολυγόνῳ, *tiniariam*. . . *Loniceram Periclymenum* vocat *Matrem ſylvae* (129.) *Scolopendrium officinale*, Calcifragam (150.). Hypociſtidem male dicit ſuccum Roſae caninae (85.). Hyoscyamum album *Apollinarem herbam* (90.) *Rhoëm coriariam, ſyriacam*.

Marcellus Burdigalenſis, Theodoſii I. archiater, inſcitia, an ſuperſtitione maior neſcio, compoſitorum immenſam corraſit farraginem, ab *Henrico Stephano* collectioni ſuae inſertam, et a

Thoma *Reineſio* eruditiſſimo in variis lectionibus paſſim illuſtratam.

Quum Burdigalenſis eſſet, gallica ſaepe nomina plantis ſuis adſcripſit: *Viſumarum* vocat Menyanthen trifoliatam (3.), *Burdunculum* Borraginem (5.), *Odocos* Sambucum Ebulum (7.), *Gilarum* Serpyllum (11.), *Tiniariam* Polygonum Convolvulum (17.), *Halum* Symphytum (31.), *Baditin* Nymphaeam (33.).

Palladius *Rutilius Taurus Aemilianus*, ſaeculo, ut videtur, quinto florens: citatur enim ab *Iſidoro (orig.* 17, 1.) et *Caſſiodoro (div. lect.* 28.): fundos in Sardinia et ad Neapolin poſſediſſe ipſe teſtatur (4, 10.). Opus de re ruſtica ad menſes, e Graecorum ſcriptis potiſſimum, compoſuit, a doctiſſimo *Schneidero* nuper egregie editum ac illuſtratum.

Pauciſſima in eo tanguntur, quae ad rem ipſam herbariam pertinent. Triticum credit in loco uliginoſo transire in ſiliginem ſ. ſecale (1, 6.). Hordeum galaticum dicit (2, 4.), quod diſtichon *Iſidoro* (17, 3.) et cantherinum, quod huic hexaſtichon. Canneta colit (3, 23.) ex Arundine Donace. Satureiam colit (3, 24.), Cepullas *(Cepas)* Colocaſiae bulbos et Allium ulpicum *(ſativi varietatem)* Cannabum (4, 5.), Armoraciam (4, 9.), Gith quod Nigella ſativa (10, 13.) et Ciceram, quam a Cicercula *(Cicer arietinum)*

distinguit (4, 6.). Hypomelidas habet (13, 4.) poma ſorbo ſimilia, quae fructus ſunt vel Unedonis vel Azaroli.

Isidorus Hiſpalenſis, e ſtirpe Gothica, epiſcopus Hiſpalenſis († 636.) in opere magno etymologico (*Origines, ed. Vulcan.* Baſil. 1577. fol.) plantas et arbores varias ex Plinio potiſſimum recenſet, nominibus fere inhaerens, pauca tamen memoratu digniora adlegans. Sic primus, ni fallor, *Rheum Rhabarbarum (nomine Rhei barbari)* habet (17, 9. *col.* 426.) licet et *Alexander Trallianus* (8, 3.) idem iam commendet. Poſteri eam ſpeciem, ab Arabibus praeprimis commendatam et Rheo Rhapontico ſine dubio praeferendam, *Rhei indici* paſſim nomine citant (*Actuar. meth. med.* 515. *Nic. Myrepſ.* 1, 21. 209. 22, 5.).

Mellam dicit Iſidorus lotum cyrenaicum (*Zizyphi ſpeciem.*) (17, 7.). Fagum et eſculum, utramque fructibus eſculentis inſignem credit, licet errore veteris φηγοῦ ſeductus. Aſplenium vocat Saxifragiam, Inulam ruſtico nomine *Alant.* Electrum in *inſulis* Germaniae (*nonne Rugia?*) e pinubus ſtillare. *Melofon* vocat arborem, quae ammoniacam gummin largiatur.

Conſtantini VII. iuſſu veterum monumenta a variis ſcholaſticis viris excerpta veſtigia induſtriae ſaltem nobis ſiſtunt Conſtantinopoli ſaeculo X. ad-

huc ſuperſtitis. Sicut *Theophanes Nonus* epitomen medicam, alii hippiatricam, ita et CASSIANUS BASSUS Bithynus, compilationem edidit Geoponicorum veterum, e quibus pauca duntaxat huc pertinent.

In ipſis quidem Geoponicorum fragmentis, non ſemel ſedulo a me perlectis, nihil fere ad rem herbariam inveni; ſuperſtitionibus et puerilibus conſiliis omnia plena. Memoratu tamen dignum mihi viſum fuit Caſſiani Baſſi ipſius conſilium, quid Conſtantinopoli ſingulis menſibus ſerendum ſit (12, 1.). Ianuario ſerit θαλασσοκράμβην, quae Convolvulus Imperati, Februario κοδιμέντον (*Petroſelinum*), τευτλόῤῥιζον (*Betam Ciclam*), θρύμβην (*Satureiam capitatam*), μαρούλια (*Lactucae ſativae varietates: vox haec deflexa a* μαιουλίῳ, *quod Maio vigeant. Bochart. hieroz.* 1, 696.), Φρυγιατικὴν (?) ἐγγιτανὸν,• κωμωδιανὸν (*quae forte varietates Lactucae*), Aprili σευτλομόλοχον (*Spinachia forte oleracea. Bod. a Stapel ad Theophr. p.* 778.).

Novas quasdam plantas ab Arabibus feriores Graeculi hauſerunt, quod e SYMEONIS SETHI, opuſculo de cibariis (*ed. Gyrald. Baſil.* 1538. 8.) elucet. Auctor πρωτοβεστάρχης palatii Antiocheni, Michaële Duca, Imperatore Conſtantinopolitano, fuit, excerpſit autem potius *Pſelli* maioris

molis librum περὶ ἐδεστῶν. Cucumeres dicit ἀγγούρια aut τετραγγούρια, Ocimum primus βασιλικὸν. Primus, ni fallor, calyces Eugeniae caryophyllatae, καρυόφυλλα nominat, primus etiam Myriſticae moſchatae fructum, καρύα ἀρωματικὰ (Cf. et *Actuar. meth. med.* 5, 4.). Καρνάβαδιν Cuminum Cyminum eſt. (Cf. *Actuar. l. c. Nic. Myrepſ.* 1, 380. 406.). Ταρχὸν Artemiſia Dracunculus.

Primus inter Graecos Καφουρὰν nominat, quam dicit gummi eſſe aut lacrimam arboris Indicae, quae tantae ſit molis, ut centum homines eius umbra frui poſſint. Naſci in montibus maritimis, lignum eſſe leve et ferulaceum. Xylaloën dicit, quam veteres Agallochum, cuius plures differentias citat. Μαζιζάνιον vocat Solanum Melongenam.

Ultimus fere Graecorum medicorum, Nicolaus Myrepsicus, longe plura medicamina ex Arabibus potiſſimum corraſit, quam maiores ipſius cognoverant, barbaris ea nominibus paſſim conſpurcata. Vixiſſe autem ſaeculo decimo tertio alibi (*hiſt. med.* 2, 321.) docui.

Salviam Horminum vocat ζεντογάλην (3, 62.): ζάρναβι cum Actuario (*meth. med.* 5, 8.) Cyperum rotundum: Rorem marinum δενδρολίβανον (1, 64.). Piper Malagetam et Cubebam nominibus ſpecificis commendat (1, 22.) *Phalarin* canarien-

ſem, ἀνεμοχόρτον dicit (3, 46.) quali nomine etiam hodie a Graecis inſignitur (*Forsk. fl. conſtant. p.* XIX.).

Primus ὀξυφοίνικα *Tamarindum* (1, 24.); γλυκοκάλαμον *Caſſiam Fiſtulam* (1, 449.); *Caſſiam Sennam*, et fructus quidem (1, 465. 472.) cum *Actuario* (*meth. med.* 5, 8.); μυροβαλάνους ἔμπλετς *Phyllanthum Emblicam* (1, 24.) cum eodem *Actuario* (*ib.*) vocat. Primus *Fraga veſca* φραγοῦλι nomine (3, 46.) citat. *Erodium moſchatum* nominat μοσχοβότανον (3, 46.), *Betonicam orientalem* δροσιοβότανον (1, 1.), *Centauream Benedictam* καρδιοβότανον (3, 60.), *Agroſtemma Githaginem* κοκάλιδα τοῦ σίτου (4, 2.), *Bubon macedonicum* μακεδωνίσιον σπέρμα (1, 1.). *Aſclepias Vincetoxicum* nomine ſpecifico occurrit (89.), Goſſypii ſemina nomine βαμβακίου (1, 425.), Artemiſia camforata, καφουρᾶς βοτανῆς. . . Iridis tuberoſae uſum a *Paullo* Aegineta primo memoratae nomine ἑρμοδακτύλου (*lib.* 7, *p.* 236.) hi ſeriores Graeci ab Arabibus probabiliter acceperunt, licet iam Theophraſto cognita fuerit.

Succinum, quod ἤλεκτρον veteres nominarant, noſter βερονίκην (*vernicem*) appellat (1, 327.) unde deceptus Fuchſius credit eum de Veronica officinali loqui. (Cf. *Geſner. epiſt.* 2. *f.* 61. a.).

CAP. II.

CAROLI MAGNI CAPITULARIA.

Summa medii aevi caligo fulgentiſſimo Caroli Magni ſplendori ceſſiſſet, niſi, qui eum ſequuti ſunt, imperatores eccleſiaſtico ſtupore ac aevi ſui deſidia iterum obdormuiſſent. Is enim, auctor immortalis dynaſtiae, quae imperio maximam Europae partem regere debebat, ſapientiſſime omnibus proſpexit, quae ad regendas imperii partes et adminiſtrandas pertinerent.

In *capitularibus de villis ſuis*, quae *Eckhardus (commentar. de reb. franc. orient. vol. 2.)* optime edidit, et *Antonius (hiſt. oeconom. germanic. vol. 1.)* praeclare interpretatus eſt, plura occurrunt, quae, non vulgarem fuiſſe ipſius cognitionem rei herbariae, oſtendunt.

Quae in hortis villarum (§. 70.) coli iuſſit, digna iudico hic recenſeantur. Sunt autem

Roſae,
Lilia,
Foenum graecum,
Coſtum *(Balſamita vulgaris* Willd. Haec enim Coſti hortenſis nomine in pleriſque botanicis operibus, e. g. *Lobelii (adverſ.* 136.*)*, *Dodonaei (*295.*)* etc. occurrit.*)*,
Salvia,
Ruta,
Abrotanum,
Cucumeres *(Melones)*,
Pepones,
Cucurbitae,
Phaſeoli,
Ciminum *(Cuminum Cyminum.* Dubito id hiemes Aquisgrani perferre. Videtur Imp. e Romanorum ſcriptorum libris eam plantam ſumſiſſe.*)*,
Rosmarinus,

Careium *(Carum Carvi)*,
Cicera,
Squilla, (?)
Gladiolus,
Dragontea *(Artemisia Dracunculus:* nulli veterum dicta: *Sethus* enim iunior est*)*,
Coloquintida *(Cucumeres)*,
Solsequia *(Heliotropium europaeum)*,
Ameum *(Ammi maius)*,
Silum *(Sium angustifolium*, bonum iumentis pabulum*)*,
Lactuca,
Gith *(Nigella sativa)*,
Eruca alba *(Brassica Eruca)*,
Nasturtium,
Parduna *(Rumex acutus)*,
Olisatum *(Smyrnium Olusatrum)*,
Petresilinum,
Apium,
Savina,
Feniculum,
Diptamnum *(?Origanum Dictamnus)*,
Sisymbrium *(Mentha sylvestris)*,
Mentastrum *(Mentha aquatica)*,
Nepeta *(Nepeta Cataria)*,
Febrifugia *(Chironia Centaurium)*,
Beta,
Ibischa Mismalva *(Althaea off.)*,
Carruca *(Daucus Carota)*,
Adripia *(Atriplex hortensis)*,
Ravacaulus *(Brassica Napobrassica)*,
Allium Porrum var. margaritacea *(Uniones)*,
Radix *(Raphanus sativus)*,
Cepa,
Warentia *(Rubia tinctorum)*,
Faba maior *(Vicia Faba)*,
Cerfolium,
Sclareia *(Salvia Sclarea)*
Levisticum,
Anetum,
Intubus,
Sinapi,
Satureia,
Menta,
Tanarita *(Tanacetum vulgare)*,
Papaver,
Vulgigina *(Asarum europaeum)*,
Malva *(Althaea rosea)*,
Pastenaca,
Blida *(Amarantus Blitum)*,
Caulus *(Brassica oleracea)*,
Britta *(Allium Schoenoprasum)*,
Porrus *(Allium Porrum)*,
Ascalonitas *(Allium ascalonicum)*,

Allium,
Cardones (*Dipſacus fullonum*),
Piſus maurifcus (*Piſum ſat.*),
Lacteridae (*Euphorbia Lathyris*),
Iovis barba (*Sempervivum tectorum*).

Specimen etiam *breviarii rerum fiſcalium Caroli M.* ab *Eckhardo* primum publicatum, dein ab *Antonio* optimo verſum et illuſtratum in horto villae cuiusdam Imperiali nominat Coliandrum (*Coriandrum*), Vittonicam (*Betonicam*), Acrimoniam (*Agrimoniam*).

Varias arbores manſuetas iubet Imperator *per ariciis ſervatoria* coli aut ſaltem conſervari, unde primus doctiſſimus et humaniſſimus *Brunſius* Helmſtadienſis, coniectura probabili conſequutus eſt, tepidaria hybernacula ſubintelligi, cui et *Antonius* (*hiſt. oeconom. germ.* 1, 445.) adſentitur. Melones ſaltem a Romanis iam in pulvillis vaporariis, quae lapide ſpeculari tegebantur, cultos fuiſſe, *Columella* (11, 3.) docet. Cf. *Voſſium noſtrum ad Virgil. georg.* 4, 122.

Eckhardus (*comment. rer. franc. or.* 2, 980.) edidit etiam farraginem compoſitam variis medicaminibus, tempore Caroli M. maxime commendatam, quae praeter adlegatas plantas ſequentes continet:

Pipinellam (*Pimpinella Saxifraga*),
Acer Gunderebam, (*Acer campeſtre*),
Centauriam (*Centaurea Centaurium*),
Camipiteum (*Aiuga Chamaepitys*),

Fraſſifoliam Erobrama (*Rubus caeſius*),
Cauli ſemi Cholſamo (*Braſſica Napus*),
Bislinguam (*Ruſcus Hypogloſſum*),
Aitiotidem Chraneunito (*Erodium moſchatum*),
Quinquefolium (*Potentilla reptans*),
Vincatoſſicam (*Aſclepias Vincetoxicum*),
Benedictum (*Geum rivale*),
Baſiliſcam (*Ocimum Baſilicum*),
Reopontinum (*Rheum Rhaponticum*),
Artemiſiam,
Nymphaeam,
Gariofilas (*Caryophyllos aromat.*),
Turnellam (*Tormentilla*),
Gamandream (*Teucrium Chamaedrys*),
Centonodiam (*Polygonum aviculare*),
Origanum vulgare,
Iva (*Aiuga Iva*),
Plantaginem,
Sparga (*Sparganium ramoſum Anton.*),
Saxifragam Steinpreha (*Aſplenium Trichomanes*)
Canape (*Cannabis ſativa*),
Alleluia (*Oxalis Acetoſella*),
Abſinthium,
Millefolium,
Gentianam,
Marrubium.

CAP. III.

MONASTICA RES HERBARIA.

Ut temporis ſui ignorantiae ſuccurreret et monachorum deſidiam tolleret, ſapientiſſimus Imp. Carolus ſcholas coenobiorum inſtituit, totumque ſcientiarum utilium orbem circumſcripſit ita, ut *trivio* comprehenderet Grammaticam, Arithmeticam et Muſicam, *quadrivio* vero Rhetoricam, Dialecticam, Geometriam et Phyſicam (*Launoy de ſcho-*

lis celebr. a Carolo M. inſtaur. in Opp. tom. 4. P. 1. Ruhkopf. hiſt. ſcholarum p. 22 f.*)*. His addidit in capitulari ad Theotonam villam dato ann. 805. *(Baluz. capitul. reg. franc.* 1, 295. ed. Venet. 1772.*)* *artem medicinalem*, cuius cum praecipua pars herbarum cognitio putaretur, a monachis etiam herbae collectae fuerunt, quae uſu medico inclaruerunt.

Inſcitia autem temporum, monachorum ignavia, linguarum cultus neglectus et ſervilis animus hominum eorum impedimenta innumera obtulerunt, quin ullo quidem modo augeri, ne ſervari quidem herbarum cognitiones poſſent. Plinii codices male transſcripti, Caelius Aurelianus, Scribonius Largus et Marcellus Empiricus turbidi fontes fuerunt, e quibus et ii haurirent, qui conſcribere quaedam de herbarum uſu auderant.

Non defuerunt enim miſerrimo illo aevo monachi, qui, celebria antiquitatis nomina adfectantes, corraderent opuscula de herbarum virtutibus. Eorum duo praeprimis dubiae aetatis ſunt: Apuleii et Plinii Valeriani nominibus lata. Utrumque ſimul Argentor. 1533. fol. editum, Apuleii etiam cum commentario Gabr. Humelberg 1537. Tigur. 4. Probabile ſaltem eſt, hoc Apuleii opusculum ante annum 1200. conſcriptum fuiſſe, quum Iſaac *Voſſius* codicem figuris ornatum ante id ſaeculum ſe poſſidere teſtetur. *(Fabric. bibl. lat.* 3,

526.). Nihilominus monachi certe credüli et inſcii labor eſt: tot barbara nomina, tot ſuperſtitiones, tot lectionum Plinii ſenioris corruptarum veſtigia occurrunt. Nomina inepta Prophetarum, Aegyptiorum, Dacorum, Gallorum ubique citat. Ariſtolochiam Graecos *Ararizam*, alios Ephaſion, Dardanon, Picionicen, Tauxinon, Leſtitin, Opetin, Italos Malum terrae, Dacos Abſinthium ruſticum appellare. Betonicam a Prophetis Hierathiorinen, ab aliis Ruſzmarinam vocari: maleficiis eam reſiſtere. Nymphaeam, thyrſo nigro foliis cichoraceis, in Ompenico *(Orchomenio)* lacu creſcere. Sed quorſum excipiam has ineptias? . .

Placidus *Actor*, qui citat Iſidorum, citatur autem a Vincentio Bellovacenſi, monachus ſine dubio fuit. Compilavit materiem medicam, quae nunquam prodiit. *(Fabric. bibl. med. et infim. latin. I, p. 12.)*.

Walafridus Strabus, Suevus, primum Decanus Coenobii Sangallenſis, dein Abbas Augiae divitis ſaeculo IX., ad Grimoaldum Abbatem Sangallenſem ſcripſit poëma, quod *Hortuli* nomine edidit Io. Atrocianus Friburgi 1530. 8. Verſus, pro ea ſaltem aetate ſatis boni: florum ipſa ac plantarum pauperrima meſſis. *Elelifagus (Salvia)*, Ruta, Abrotanum, Cucurbitae, Pepones, Marrubium, Abſynthium, Foeniculum, Gladiolus, Lybiſticum, *(Li-*

guſticum), Caerefolium, Lilium, Papaver, Sclarea, Mentha, Pulegium, Apium, Bettonica, Agrimonia, Ambroſia (neſcit tamen, an vera ſit veterum planta), Nepeta, Raphanus, Roſa. Deſcriptiones non malae, vires ubique fabuloſae.

Hic citatur a miſerrimo monacho, qui Aemilii Macri, Plinio et Ovidio aequalis, nomen affectavit. Poëma de *herbarum virtutibus* ab eodem Io. Atrociano cum Strabo Friburg. 1530. 8. editum. Peſſimi verſus: e. g.

„Illius herbae vis frigida dicitur eſſe",

et rurſus:

„Artemis graece quae dicitur, indeque nomen."

Ignorantia, in monacho ſaltem excuſanda:

f. 24. „Alteamque vocant illam, quod creſcat in altum"

f. 61. „Caulis romana, Graecorum braſſica lingua"
„dicitur."

f. 90. „Frumentis nocuam lolium graecus vocat herbam,"
„quam noſtri dicunt vulgari modo nigellam."

Barbaries nominum alemannicorum: Iſatin *(f. 86.) Gaisdam*, lapathum *(f. 89.) paratellam*, chamaedryn *(f. 86.) Gamandream* vocat. Auctores denique, praeter Strabum, citat, quos nemo cognoſcit, Aſclepium, Iuſtum, Melineum et Meniacum, monachos ſine dubio.

Cum Strabum citet, citetur ipſe a Vincentio Bellovacenſi *(ſpec. natur. l. lib. 9. c. 104. f. 104. l.)* aetas ipſius in ſaec. X — XII. cadit.

Saeculo X. vixiſſe *Alfredus*, Epiſcopus Cridi-

enſis in Weſtſexia Deuonia Angliae dicitur (*Act. erud.* 1702. *p.* 282.). *De naturis rerum* ſcripſit libros, quos citat Bartholomaeus de Glanville (*propriet. rer.* 17, 1.) ubi phyſicam vegetabilium exponit. Nihil praeterea de Alfredo innoteſcit.

Supereſt etiam *Hildegardis* abbatiſſae Bingenſis, († 1180. *Trithem. annal. Hirſaug.* 1, 416.) ſanctiſſimae virginis, *phyſica*, ſeu collectio medicaminum ad varios corporis adfectus, a Io. Schotto Argent. 1544. fól. edita.

Inſignis plantarum utilium meſſis, ſed barbaris utplurimum nominibus vocatarum.

Vichbona (*Phaſeolus* 2, 9.)

Wichim (*Ervum Ervilia* 2, 12.)

Liquiricium (*Glycyrrhiza* 2, 22.)

Pfeffertruch (*Lepidium latifolium* 2, 23.)

Bachminza (*Mentha aquatica* 2, 41.)

Wegras (*Statice Armeria* 2, 52.)

Borith (2, 72.) Borrago officinalis.

Gerla (2, 62.) Sium Siſarum (Cf. *Trag. p.* 440.)

Stur (2, 54.)

Conium maculatum (2, 85.) iam ut medicamentum reſolvens externe commendatur.

Humela (2, 94.)? Humulus.

Herba Aaron (*Arum maculatum* 2, 96.)

Cardus niger (*Crotera corymboſa* 2, 98.). Bona Abbatiſſa, quae nunquam plantam viderat, exſcribit alios transſcriptores.

Apiago (2, 104.)?

Wehdyſtel (2, 106.). Centaurea Calcitrapa.

Venich (*Panicum ſanguineum.*)

Zytver (*Artemiſia Santonica* 2, 18.)

Chriſtiana (*Helleborus niger* 2, 25.)

Brunnecraſſum (*Siſymbrium Naſturtium* 2, 39.)

Römiſche Mentha (*Mentha criſpa* 2, 44.)

Stutgras (*Triticum repens* 2, 53.)

Zizania (*Lolium temulentum* 2, 75.)

Lungwurtz (*Pulmonaria off.* 2, 80.)

Fraſica (*Ranunculus Thora* 2, 89.)

Haſelvurz (*Aſarum* 2, 95.)

Stignus (*Solanum inſanum* 2, 97.)

De Vurz (*Rheum Rhapontiicum* 2, 99.)

Winda (*Convolvulus arvenſis* 2, 103.)

Lylim (2, 106.)? *Lilium candidum.*

Menva (2, 113.) Menwel. *Rumex acutus. Trag.* 318.

Ringella (2, 130.). *Calendula officinalis.*

Blandonia (2, 131.)?

Alentidium (2, 132.)?

Pandonia (2, 135.). *Chelidonium maius. Tabernaem.* 1, 102.)

Baſiliſca (2, 138.). *Ocimum Baſilicum.*

Acoleia (2, 140.). *Aquilegia vulgaris.*

Saxifrica (2, 143.). *Aſplenium Trichomanes.*

Denemarcha (2, 148.). *Valeriana celtica Trag. p.* 63.

Geliſia (2, 153.). *Amarantus tricolor.* Eſt nomen *Celoſiae* corruptum. Cf. *Trag.* 917.

Dornella (2, 158.). *Dorella Caeſalp. Alyſſum ſaxivum.*

Storckenſchnabel (2, 160.). *Geranium Robertianum.*

Birchvurtz (2, 167.). *Tormentilla erecta.*

Erdpfefer (2, 168.) ? *Capſicum annuum.*

Plionia (2, 171.). *Poeonia officinalis.*

Scamphonia (2, 172.). *Convolvulus Scammonia.*

Hunesdarm (2, 173.). *Stellaria media.*

Razela (2, 174.). *Polygonum Perſicaria. Trag. p.* 91.

Dorth (2, 175.). *Avena fatua. Trag.* 672.

Simez (2, 180.)?

Dactiloſa (2, 134.). *Panicum Dactylon.*

Cittervurtz (2, 136.). *Zedoaria.*

Citocatia (2, 141.). *Solanum Dulcamara.* (*Cito* et *caca-*

re;) ſed *Dodonaeus p.* 363. Cneorum tricoccon ita vocat.

Bervurtz (2, 142.). *Aethuſa Meum.*

Ugera (2, 144.). *Colchium autumnale.*

Ebech (2, 146.). *Sambucus Ebulus.*

Kranchſchnabel (2, 150.). *Erodium moſchatum.*

Megilana (2, 157.). *Solanum Melongena.*

Cicula (2, 159.). *Cicuta viroſa.*

Weich (2, 165.). *Holcus lanatus.*

Himmelsſchluzela (2, 166.) *Primula vulgaris.*

Huofladtheda maior (2, 169.). *Tuſſilago Petaſites.*

Huoflatheda minor (2, 170.). *Tuſſilago Farfara.*

Herba Brambere (2, 174.). *Rubus fruticoſus.*

Herba in qua Walbere (2, 179.). *VacciniumMyrtillus.*

Arbores tertio libro recenſet, inter quas plures rariores et novae occurrunt:

Arbor Camforae (3, 9.).

Quotanus (3, 22.). *Pyrus Cydonia.*

Vibex (3, 42.). *Vitex Agnus.*

Meltzboum (3, 49.). *Pyrus Aria.*

Yffa (3, 50.). *Taxus baccata.*

Boncitherus (3, 18.)?

Mulberboum (3, 27.). *Morus nigra.*

Fuſarius (3, 43.). *Evonymus europaeus.*

Hartboum (3, 51.). *Cornus maſcula.*

Sed oblivioni tradenda eſt haec barbaries, cuius nunquam meminiſſem, niſi e collatis nominibus iſtis cum Dodonaei, Tragi, Tabernaemontani et Brunsfelſii appellationibus barbaris et originem et prima herbarum quarumdam veſtigia divinare poſſemus.

CAP. IV.

ARABUM RES HERBARIA.

Populo bellicoſo, qui furore quodam religioſo cultum a Mohammede ſuo inventum orbi terrarum gladio igneque obtrudere ſatagebat, qui inſcitiam ipſam et ſervile obſequium erga prophetae praecepta omnibus huic cultui addictis iniungebat, tali populo ſcientiae Graecorum et Romanorum placere per ſe non potuerunt. Neque iis unquam imbuti eſſent, ni providentiae divinae beneficio Neſtoriani, tyrannide orthodoxa Theodoſii II. et Zenonis Iſaurii e byzantino imperio pulſi, ad Euphratem ſcholas inſtituiſſent, quibus praeter dialecticam et rhetoricam et ars medica doceretur, dignitates academicae distribuerentur, et veterum Graecorum libri dialectici et philoſophici in Syriacum idioma verterentur *(Aſſemani bibl. orient.* 4, 940 f.*)*.

Neſtoriani medici, et eruditione et uſu tantopere ſuperiores rudibus Arabibus videbantur, ut ipſius prophetae laudem mererentur *(Abulferag. hiſt. dynaſt. p.* 158.*)*. Summus vero eorum fautor fuit Almanſor Califa, qui, protinus ut urbem pacis Bagdadum condidiſſet, pacis etiam artes populo ſuo amabiles reddere conatus eſt *(Elmacin. hiſt. Saracen.* 2, 4.*)*. Qui Almanſorem ſequuti ſunt, Harrum-Arraſchid et ſummus Almamun, eodem ardore ſcholas, imo Academias per totum

Arabum imperium inſtituerunt, advocatis Neſtorianorum celeberrimis doctoribus, qui veterum libros e Syriaco in Arabicum idioma vertere iuſſi, novam plane facem doctrinae ac ſcientiae populo literarum alioquin rudi accenderunt. Baktiſchwarum et Hhonaini familia inprimis inclaruit Plinii, Galeni, Dioſcoridis aliorumque Graecorum interpretationibus (*Caſiri bibl. eſcurial.* 1, 240.). Hinc etiam veteribus arabicis codicibus Dioſcoridis notae marginales ſyriacae adſcriptae inveniuntur.

Singulari ſtudio agitare Neſtoriani medicaminum compoſitionem conſuerunt. In ſcholis ſuis, teſte *Aſſemano*, primi officinas legibus et praeceptis ſubiectas collocarunt, quarum praefecti dispenſatoria ſequi debebant. Primum exemplum enim aromatarii quem صيدلاني appellarunt, ſiſtit Gregorius, epiſcopus Niſibenus, ſaeculi ſeptimi initio (*Aſſemani* 3, 472.). Sequenti ſaeculo nomitur *Abu Koreiſch*, Iſa dictus صيدلاني i. e. *ſeplaſiarius* (*Abulfarag. hiſt. dynaſt. p.* 228.). Sabor, Sahelis filius, noſodochii Neſtorianorum Dſchondiſaborenſis praefectus, ſaeculo nono, primum *dispenſatorium*, كتاب اقرابدين conſcripſit. (*Abulfarag. p.* 269.). Laudabilis ille mos et ad Arabas transiit, ut a ſaeculo inde octavo ſeplaſiarios et dispenſatoria in ſcholis eorum inveniamus (*Hiſt. mea med.* 2, 360 f.).

Acceſſit, quod ad noſtram rem magnopere refert, Abbaſſidarum et Almoravidarum Califarum glorioſa cupido, orbis terrarum cognitionem promovendi et commercium populorum augendi ac amplificandi. Illuſtre exemplum Almamunis, qui latitudinis gradum in deſertis Africae primus metiri iuſſit (*Abulfed. annal. moslem.* 2, 241.) ſequebantur plures, qui itineribus in remotiſſimas terrae partes ſuſceptis geographica opera ſuperſtruerent (*Sprengelii* collegae olim meritiſſimi, *hiſtor. geograph.* 160 ſ.). His itineribus et commercio Arabum florentiſſimo plurima debemus nova ſimplicia, Graecis plane ignota, officinis autem ſcholarum Arabicarum uſum eorum. Iure miramur inprimis Chinae geographiam optimam, quam *Bakui*, Ibn *Alvardi*, Scherifus *Edriſi*, aliique ſcriptores Arabici produnt; adſiduum enim erat et laetiſſimum commercium inter Baſſoram et Cantonem Chinae, ubi ipſi Arabes iudicem alebant (*Anciennes relations des Indes et de la Chine, p.* 9. Paris 1718. 8.).

Quodſi paullo curatius in originem itinerum eorum ac navigationum, e quibus tot tantaque emolumenta in univerſam hiſtoriam naturalem manarunt, inquirimus, ſola videtur imitatio Neſtorianorum Arabas incitaſſe, ut ſimili ardore remotiſſimas adirent Orientis provincias. Certum enim habemus atque exploratum, Neſtorianos iam

a ſeptimo inde ſaeculo eccleſias et colonias in Chinae imperio ſtabiliviſſe. (*Aſſemani bibl. orient.* 3, 533.) quas in Mogolorum regionibus et in ipſo Cathay, fratres Minoritae, Ioannes de *Plano Carpini* et Gulielmus *Rubruquis* ſaec. XIII. frequentiſſimas invenerunt (*Hakluyt voyages* 1, *p.* 28. 41. 84.). Quid quod Arabum Abuzaidi et Wahabi temporibus aderant iam Chriſtiani in metropoli China (*Ancienn. relat. de la Chine*, *p.* 51. 68. 261. Cf. de Ioanne ſacerdote earum regionum praecipue doctiſſimi *Hydii adnotationes ad Perizol. p.* 153 ſ. et *Marianum Sanutum* Torſellam in *Bongarſ. geſt. Dei per Francos* 2, 185.). Quum autem a Neſtorianis totus cognitionum ambitus ad Arabas transierit, hoc etiam commercium cum Aſia orientali, vel terreſtri peregrinatione per regionem Transoxanam et deſertum Kaptſchack inſtituta, vel navigationibus frequentioribus a Baſſora ad Cantonem, immenſas ipſis attulit Indiae ultra Gangem ſitae et Chinae ipſius divitias.

Primi fere Arabes, qui haec Neſtorianorum veſtigia perſequerentur, Wahabus et Abuzeidus ſaec. IX. fuerunt, quorum iter in orientales Aſiae ditiones egregiam protulit hiſtoriam, a *Renaudotio* verſam (*Anciennes relations des Indes et de la Chine*, 1718. Pariſ.) quam immerito nonnulli ſuppoſititiam habuerunt (*Deguigues* in *Notices et ex-*

traits des manuſcrits du Roi, 1, 157.). Poſterior his eſt Abu'l Haſſan Aly *Maſſudi*, ſaec. X. (*Herbelot. bibl. orient.* 564.) cuius *aureum pratum* coſmographiam ſiſtit, quam *Deguignius* in epitomen redegit (*Notices et extraits* 1, 1 ſ.). Tertius Arabum coſmographus eſt *Scherifus Edriſienſis* Aegyptius, apud Rogerium, Normannorum regem, Neapoli degens, ſaec. XII. (*Herbelot bibl. orient.* 786.). In opere ſuo coſmographico copioſe de plantis egerat (*Caſiri bibl. eſcurial.* 2, 12.); unde dolendum, quod epitome, quae tum arabice Romae 1592. tum latine a Maronitis, Gabriele Sionita et Ioanne Heſronita Pariſ. 1617. edita fuit, tam pauca de plantis contineat. Quartus coſmographus *Ebn Alvardi* Halepenſis ſaec. XIII. operi ſuo coſmographico plantarum copiam uberrimam inſeruit. Editum id fuit a Beronio Lundinenſi 1790 ſ., gallice autem verſum a *Deguignio* (*Notices et extraits* 2, 20 ſ.). Quintus coſmographus eſt celeberrimus Syriae princeps *Abulfeda* ſaec. XIV. quem *Reiskius* latine interpretatus eſt (*Büſchings Magazin* 4, 121 ſ. 5, 301 ſ.). Sextus *Abdorraſchid Bakui* Perſa, ſaec. XV., dedit coſmographiam gallice verſam (*Notices et extraits* 2, 388.), ſed errorum et fabularum plenam: ſic Sanbul (*Nardum*) et Aoud (*Agallochum*) et Coſtum in Andaluſia creſcere perhibet. Ultimus de-

nique eſt *Leo Africanus*, qui Romae 1526. Africae deſcriptionem edidit, impreſſam Lugduni Batavorum 1632. 16.

De re autem herbaria ipſa non pauci egerunt Arabes, plerique vero tanquam aliud agentes, ut, vel materiam medicam vel rem ruſticam tractantes, obiter tamen deſcriptionem herbarum adderent. Eorum quidem primi et incertae aetatis et nationis, a poſterioribus duntaxat citantur. Videntur autem plures eorum Neſtoriani aut Perſae fuiſſe.

Coſſaeus primus eſt, quem interpretes latino barbari *Alcuzi*, *Alcanzi* dicunt, a patria Coſſaea (*Khuſiſtan*) nominatus, quum a Rhazeo citetur et Serapione ſeniori, ante nonum ſaeculum vixiſſe videtur.

Badigorius, forte corruptum Pythagorae et ſuppoſititium nomen, ni fuerit Neſtorianus, Rhazeo ſaepius dictus.

Scharak Indus, a Rhazeo citatus, plane ignotus.

Abu Saher ſaec. VIII. de plantis ſcripſit, figuris additis iuxta Dioſcoridem, peregrinator curioſus, qui plurimas orbis regiones vidiſſe dicitur (*Bibl. pariſin. n.* 968.).

Iahiah ebn Maſawaih, Meſues ſenior, Neſtorii adſecla, Khalifae Harun-Arraſchid (*ſaec. VIII.*) medicus (*Abulfarag hiſt. dynaſt. p.* 237. 255. *Aſſemani* 2, 435.). Rhazeo ſaepius dictus, a quo etiam ſolo fragmenta ſervata ſunt.

Hhonainus, Iſaaci filius, Neſtorii ſectam pariter amplexus, celeberrimus interpres, Khalifarum Bagdadenſium ſaeculi IX. initio medicus (*Aſſemani* 4, 706. *Abulfarag.* 264. *Caſiri* 1, 286 f.) in ſynonymis maxime plantarum graecis, ſyriacis et arabicis deſudavit (*Rhaz. contin.* 21, 97.).

Abu-Merig, monachus dictus et *Iſaac ebn Amram* plane ignoti auctores a Rhazeo laudati .. *Maſeriawaihus* Iudaeus Baſſorenſis, interpres pandectarum Aharonis (*Abulfarag. p.* 158. 198.). *Hobaiſch*, Honaini e ſorore nepos (*Barhebr. p.* 170.). Rhazeo et Serapioni laudatus.

Abu Haniſa el Dainuri, Aſſyrius, de re ruſtica ſcripſit ſaec. X. ineunte, Serapioni ſaepius dictus (*Caſiri* 1, 323.).

Muhammed Abu Bekr Rhazeus, e Rai Irakenſi urbe natus, noſocomii Bagdadenſis director, ingens volumen reliquit, quod discipulorum auditiones, male ſaepius ſcriptas continet (*Barhebr. chron. ſyr.* 172.). Titulo El-Hhawi ſ. Continentis interpretatio latino-barbara prodiit Boneto Locatello curante, Venetiis 1506. fol. Eius liber XXI. complectitur plantas officinales, plerasque e Dioſcoride arabico, plusculis novis additis, quae melius explicari poſſent, ni nomina barbare ſcripta et nimia deſcriptionis brevitas obſtarent. Pauca inſunt botanica tractatui ceteroquin egregio *de vario-*

lis et morbillis, quem Io. Channing arabice et latine Oxon. 1766. 8. edidit.

Abu'l Fadli Schiierziita, ſaec. X. ſcriptor utiliſſimus, cuius codicem manuſcriptum de re herbaria et medica Ol. *Celſius* e Golii bibliotheca emtum egregie adhibuit ad plantas biblicas aliasque illuſtrandas.

Aly Abbatis filius, Perſa, Emiri Bagdadenſis medicus ſaec. X., ingens volumen, quod *regium* dicitur, reliquit, nonniſi latino-barbara interpretatione nobis notum, quam Bernardinus *Ricius de Novaria* Venetiis 1492. fol. edidit.

Al-Huſſain Abu-Ali Ebn Sina, vulgo *Avicenna*, Bokharenſis, Emiri Raienſis medicus, dein Veſirus provinciae Hamdan, denique miniſter imperii Iſpahanici, ſaec. XI. (*Abulfed. annal. moslem.* 3, 92 f. *Abulfarag.* 350. *Caſiri* 1, 269.). Celeberrimus ipſius Canon arabice Romae 1593. fol. editus, libro 2. plantas medicas et notas Perſis fere omnes continet. Editione hac praeſtantiſſima et nitidiſſima, quam iuvenis orientalium linguarum omnium peritiſſimus *Klaprothius* mihi dono dedit, frequenter uſus ſum. Differt tamen magnopere haec editio ab aliis codicibus, ab Hebraica verſione, qua Plempius uſus fuit et ab interpretatione vulgari latino-barbara, quae plerumque ditior eſt. *Plempius* edidit Lovanii 1658. fol. commentarium in librum 1. et 2., adhibitis codicibus plurimis.

Ioannes Serapion, incertae aetatis, egregium opus de materia medica reliquit, cuius interpretatione latino-barbara Gerardii Carmonenſis Lugd. 1525. 4. utor. Multo magis hic auctor ad hiſtoriam naturalem plantarum et patriam reſpicit, quam priores.

Ioannes Meſuach ſ. Meſue iunior, Kahirenſis Khalifae medicus fuiſſe dicitur *(Leo Afric. p. 273.)*. Pauperem reliquit de ſimplicibus tractatum, cuius interpretatione latino-barbara, quam *Marinus* Venet. 1562. fol. edidit, utor.

Migravit cum imperio Muhammedanorum ſcientiarum etiam ambitus ad Hiſpaniam, ubi ſub mitiſſimo et ſaluberrimo Khalifarum Cordubenſium regno quaevis ſcientia omnesque artes laetiſſime floruerunt.

De re ruſtica doctiſſimum opus conſcripſit ſaec. XII. Abu Zacharjah *Ebn Alvam* Hiſpalenſis, cuius in bibliotheca Eſcurialenſi latentis capita prima XVII. in Hiſpanum ſermonem a Rodrigo *Campomanes* verſa Matriti 1751. edita ſunt. Totius operis epitomen dedit *Caſirius (bibl. eſcurial. 1, 326 f.)*.

Muhammed Abu'l Walid *Ebn Roſchd*, vulgo *Averrhoës* Cardubenſis, iudex Andaluſiae, ob contemtam Muhammedis religionem acriter punitus, Marocci 1217 obiit *(Caſiri 1, 185.)*. Opus ipſius medicum, titulo *Colliget*, latino-barbare ver-

ſum a *Suriano* Venet. 1496. fol., pauca continet et parum utilia de herbis officinalibus.

Sed praeſtantiſſimus omnium auctorum Arabum eſt Abdallah ebn Achmed Dhiaëddiu *Ebn Beithar*, Malaga-Hiſpanus. Is ardore incredibili pulſus, totum orientem, herbarum colligendarum cauſſa, permigravit. Veſirus dein Kahirenſis fuit ſaec. XIII. Opus ipſius, collectionem ſiſtens ampliſſimam ſimplicium, latet etiamnum in bibl. Eſcurialenſi (*Caſiri* 1, 275.). Ipſe quidem auctor nihil deſcripſit, niſi quod ipſe viderit, ultra duo millia plantarum addidit iis, quas Dioſcorides cognoverat, citatis tamen ubique maioribus et adiunctis nominibus hiſpanicis. Nihil magis doleo, quam quod haec rei herbariae hiſtoria conſcribenda ſit absque ullo Beitharidae adiumento.

Agmen claudat *Abdollatifus* Bagdadenſis, cuius memorabilia Aegypti a *Whitio* arabice Oxon. 1788. et a *Wahlio* germanice 1790. edita, non paucas continent plantas egregie illuſtratas.

En totum fontium ambitum, e quibus ſequens ſyllabus plantarum ab Arabibus inprimis aut primo memoratarum conſcriptus eſt. Olim quidem credidi, *Forskolei* et *Niebuhrii* opera ſummum poſſe auxilium adferre, ſiquidem arabica nomina ipſa plantarum indici copioſo addiderint. Curatius autem examen docuit, non magna inde ſperanda eſſe, quum nomina plantarum fere ubique alia ſint, ac ab ara-

bicis ſcriptoribus uſurpantur. Sic Forskoleus nomine *Beneſſedſch*, quod *Violam odoratum* apud Avicennam ſignat, quinque valde diverſas plantas ornat: Ocimum Baſilicum Forskoleo *Höbok*, Ebn Alvam, Serapioni et Avicennae eſt *Baderadſch*: Thymus Serpyllum *Satar* Forskoleo, Abu'l Fadli vero et Ebn Alvam ita Origanum vocat aegyptiacum: Punica Granatum *Kelkel* dicitur Rhazeo et Serapioni, *Megatſch* Ebn Alvardi, et *Rimon* Ebn Alvam ipſique Forskoleo: *Kelkel* iterum Caſſia Tora Avicennae.

Nec ſola haec eſt aut unica difficultas. Gravior complectitur raritatem codicum Arabicorum, qui in bibliothecis maximis Pariſinis, Eſcurialenſi, Leidenſi, Oxonienſi latentes, a nobis nunquam ne viſi quidem ſunt. Serapionis itaque utiliſſimi, Meſuae et Rhazei libros legimus peſſime et latino-barbare verſos. Interpretes ii, vel malis codicibus uſi, vel deſidia aut negligentia aut ipſa ignorantia ducti, longe aliud ſaepe dicunt, quam quod auctor. Id quaevis fere pagina Avicennae luculenter docet. Unde felices ſaepe praedicavimus *Bochartum*, *Plempium*, *Celſium*, *Hydium*, *Caſirium*, quibus uſus codicum Arabicorum conceſſus erat.

Accedit tamen et codicum mira varietas. Quos *Plempius* comparavit, eam differentiam habuerunt: et ipſe noſter Avicenna Romae impreſſus in-

numeris ſcatet locis, quae nec ab interpretibus medii aevi, nec ab aliis lecta fuerunt.

Ipſi Arabes, ſolo fere Beitharide excepto, ἀβοτανολόγητοι, praeceptoribus ſuis, Neſtorianis, confidentes, Graecorum deſcriptiones, nonnunquam ita perverterunt, ut Oedipo opus ſit, dum, quid intellexerint, ſcire voluerimus. Unicum huius rei exemplum adferam. Dioſcorides (3, 58.) Αἰγυστικὸν ſuum creſcere in Apennino, monte Alpibus confini, perhibet. *Avicenna* (*lib.* 2. *p.* 169. *Rom.*) de زوفرا loquens, addit, iuxta Dioſcoridis ſententiam creſcere in monte Acabis (اقابيس), qui conterminus ſit provinciae Aegypti. Acabis illud ſine dubio corruptum eſt ex افنين (*Apenin*).

Nihilominus audaces fortuna iuvat! Nos quidem, difficultate laborum tantum abeſt, ut unquam deterriti ut potius et iam magis adlecti ac excitati fuerimus. Tamdiu enim ac toties deſudavimus in hoc ſtudiorum genere, ut longe plura maioribus noſtris clara ac perſpicua, videamus. Audacter itaque adgrediamur

FLORAM ARABUM.

Omittenda autem ſunt, quae nimis nota Graecis, ab Arabibus haud amplius illuſtrata fuerunt, adductis duntaxat iis, quae Arabum ſtudio uberius patefacta ſunt.

Amomum Zingiber زنجبيل *Avic.* 166. e Dio-

ſcoride plura adducit, quam noſter continet, totumque caput ſequens de Hydropipere huc trahit, quod alio loco rurſus occurrit. In Hiſpania videntur Arabes id coluiſſe, namque *Ebn Alvam* culturam tangit (*Caſiri* 1, 336.). Culturam, qualem in Calicut viderit, bene deſcribit Lud. *Barthema* (*Ramuſio*, 1, *f.* 174. b.). . . *Am. Zerumbet* زرنبد *Maſerdſchawaiho* et *Meſui* ſeniori iam dictum (*Rhaz. contin.* 22, *c.* 362.). *Avicenna* 166. radicem plantae dicit, ſimilem cypero, ſed maiorem, et minus aromaticam, colore pulveraceo, adferri autem e Sin, quae peninſula eſt ultra Gangem et ipſa China. Apud Scrapionem (*c.* 172.) Iſaac ebn Amram radicem hanc cum Ariſtolochia rotunda comparat, ſed colorem et ſaporem eſſe Zingiberis. *Garcias* (*Cluſ. exot.* 213.) in Malabaria primus eam ſpeciem invenit, et ſylveſtris Zingiberis nomine notam eſſe incolis perhibet. Folia latiora eſſe foliis Zingiberis bene *Murrayus* (*nov. comm. gött.* 6, 26.) animadvertit. . . *Am. Zedoaria* جدوار. *Maſerdſchawaihus* virtutem debiliorem Doronico iudicaverat, quem refutat *Avicenna* 155. eo potiſſimum argumento, quod Zedoaria prope a Napello (بيبش) creſcere ſoleat, et ipſius antidotum ſit. Haec vero fidem ſuperant, ni بيبش illud indica fuerit planta venenata, quam commutarunt Arabes cum Aconito veterum. Cf. *Angelum de S. Ioſepho ad Pharmacop. perſ. p.* 369.

Fructus huius ſpeciei Cardamomum fiſtunt, قاقلط *Avic.* 243., cuius maiorem et minorem varietatem cognorunt, priorem Iſaac ebn Amram (*Serap. c.* 64.) praefert. Locum natalem Scherifus *Edriſi* (*geogr. nub.* 65.) indicat, nempe Fandarinam Indiae: ſimilem autem eſſe fructum ſemini cannabis. . . *Alpinia Galanga* خولنجان *Avic.* 270. f. خالونجان 272. et diverſo capite خسرودارو 270. quam iuxta *Maſerdſchawaihum* habet ſpeciem viliorem. Primam deferri e Sina, manifeſto Iſaac ebn Amram perhibet (*Serap. c.* 332.). Haec eſt minor odorata, quam egregie *Garcias* (*Cluſ. exot.* 211.) illuſtravit. Altera maior, e Iava et Sumatra proveniens, erit *Kämpfera Galanga*. . . *Curcuma rotunda* خاليدوسنون *Avic.* 275. Sed duas ſimul appellationes habet ماهيران et نرديوش. E priore Khalidumenun fecerunt latinobarbari *Chelidonium.* Inveniri autem in Malabaria *Garcias* (*Cluſ. exot.* 210.) in regno Conchae *Marcus Paulus* (*Ramuſio* 2. *f.* 48. b.). . . *Iaſminum Sambac* زنبق; *Abulfadli* apud *Celſ. hierob.* 1, 384. Neque tamen alii flores odorati ab hac denominatione excluduntur. . . *Iaſm. fruticans* ياسمين *Ebn Alvam* apud *Caſir.* 1, 329., ubi et aliae ſpecies intelliguntur. Citrinos enim (*Iaſminum humile*) ut et *Meſue* ſenior (*Rhaz. contin.* 22. *c.* 838.) ab aliis floribus diſtinguit. Iſaac ebn Amram (*Serap. c.* 176.) manifeſto etiam diſtinguit albos a citrinis et hos a

coeleſtibus floribus: idem autem eſſe Sambac et Iaſminum. Et hodie in Arabia coli tum I. Sambac (nomine فل) et *I. officinale*, Forskoleus adfirmat (*flor. arab. p.* 56. 102.). . . *Salvia haematodes* forte eſt Behen rubrum بهمن الاحمر *Abulfadli* apud *Hyde* (*relig. vet. Perſ. p* 510.) Folium enim latum, ſicut folium خبازي Malvaceae, in quo reperiantur maculae fuſcae, radicem longam et craſſam. Breviter eam cum albo Behen tangit *Avic.* 141. Ex Armenia provenire Meſue apud *Serap. c.* 223. *Rauwolfius it.* 288. de ſolo albo loquitur, quod Centaurea Behen eſt. . . *Fraxinus Ornus* لسان العصافير *Avic.* 200. *Serap.* 226. Lingua avis omnibus fere Arabiſtis dicta. Cf. *Matth. Sylvat. c.* 511. . . *Piper Betle* تنبل *Avic.* 263. Prima certe et optima deſcriptio. Eſſe folium ſimile Limonio (ليمون) ab Indis maſticatum cum calce et nuce Arecae (*Faufel*) unde dentes rubrum adſumant colorem, odoris autem optimi eſſe. Bene id illuſtravit *Garcias* (*Cluſ. exot.* 175.), uberius etiam *Angelus de S. Ioſepho* (*Pharmacop. perſ. p.* 368.). Tembul nomine deſcribit ipſe *Marcus Paulus ſaec. XIII.* (*Ramuſio* 2. *f.* 56. a.). . . *Pip. Cubeba* كبابة *Avic.* 191. E Sin apportari, quod *Garcias* (*Cluſ. exot.* 184.) ita explicat, ut e Sumatra et Iava, ubi frequenter naſcatur, in Sinam apportari dicat. *Serapion* quidem (*c.* 288.) Dioſcoridis Ruſcum aculeatum huc trahit, ipſe tamen

ad finem capitis fatetur, hanc deſcriptionem ſatis male quadrare. . . *Pip. nigrum* فلفل *Serap. c.* 367. *Avic.* 236. *Bakui (Notices et extraits* 2, 418.) in Malabaria creſcere in locis humidis, fructus a foliis obumbrari, alioquin enim a ſolis calore corrumpi. *Abulfeda (Büſchings Mag.* 4, 270.) ibidem arbores ſcandere ait. . . *Pip. longum* دار فلفل *Avic.* 159. Cf. *Garc.* apud *Cluſ. exot.* 182.

Iris tuberoſa سوسن جان *Avic.* 220. Ferre flores albos et citrinos, folia terrae proxima, creſcere ad montes. Distinxerunt Arabes rubram ab alba radice, illam eſſe venenatam, hanc calidam et ſiccam. Sed Serapion applicat ad hanc herbam, quae de Colchico dixerat Dioſcorides (*Serap. c.* 194.). Hinc *Hermodactylorum* non una ſpecies: noſtra venenata, fuſco colore florum distinguitur; alba et citrina videtur cum Iride florentina quadrare. Cf. *Io. Bauhin. hiſt.* 2, 730. 731. . . *Ficus Beniamina* Nux Mechel ſ. Rachaba *Serap. c.* 164. Arborem eſſe ficui ſimillimam, fructus parvos ferre pendulos ad baſin foliorum, comedi etiam a paſtoribus. Varingae parvifoliae nomine *Rumphius amboin.* 3, 139. hanc ſpeciem illuſtravit. . . *Fic. Sycomorus* جميز. Optima deſcriptio apud *Abdollatifum p.* 11. Fructus uberrimos ferre, ut per quatuor menſes iis Aegyptii nutriantur, ſed prius incidi debere, ut acre lac effluat. Cf. *Abulfadli* apud *Celſ. hierob.* 1, 311. . . *Ficus religioſa* eſt ea ſpe-

cies, quam *Abu Hanifa* apud *Abdollatifum p.* 13. deſcribit, fructibus ſeſſilibus. Ex India in Arabiam et Aegyptum migravit. . . *Fic. bengalenſis* دلب *Avic.* 158. Cf. *Forsk. p.* 179. Sed Avic. commutat cum Platano Graecorum. . . *Saccharum officinarum* سكر. Prima certe huius graminis mentio fit in itinerario *Abuſaidi*, quod *Renaudotius* vertit *(Anciennes relat. p.* 101.) ubi id ad Siraf creſcere perhibet. In Almanſura Indiae (urbs ab Almanſore condita, *Bakui notices* 2, 419.) ſponte provenire *Abulfeda (Büſchings Mag.* 4, 269.), ad Gondiſaporam prope Euphratem *Moſes* Chorenenſis *(geogr. p.* 364.). Coli autem in Andaluſia Scherifus *Edriſi (Geogr. nub.* 149.). Unde et Ebn *Alvam* modum colendi et ſuccum eliciendi deſcribit *(Caſiri* 1, 330.). Culturam in Aegypto docet *Schemſedin (Notices et extraits* 1, 266.) optimum creſcere ad Aſjut docet *Abu Obeid* Cordubenſis *(Caſir.* 2, 2.). Bene distinguitur hoc ſaccharum a melle bambuſae: huius optima et puriſſima ſpecies vocatur سليماني ſ. regia, vilior, quam ſaccharum farinae appellamus فنيد (fenid). Cf. *Rhaz. c.* 593. *Serap c.* 50. Durum ſaccharum candum ſecuri percutiendum, vocabatur طبرزد. De Fenid loquitur *Avic.* 255. in provincia Mekhran, quam Indus perfluit, e coctis arundinibus elici eum ſuccum, e quo paretur id groſſum ſaccharum. Ab Arabibus ſine dubio ſac-

charum per plures regiones propagatum, Chriſtianis tandem occidentalibus innotuit. *Albertus Aquenſis (Bongars geſta Dei per Francos*, 1, 270.) in agro tripolitano zucram coli, calamellum (cannamelum): *Fulcherus* Carnotenſis a. 1099. circa Laodiceam *cannamellos* hos invenit *(Bongars*, 1, 401.) *Gulielmus Tyrius* in Idumaea *(ib.* 835.). *Marinus Sanutus* 1306. in Cypro ſumma quantitate: „et in Sicilia naſceretur ſi hoc procuraretur" *(Bongars* 2, 24.). . . *Andropogon Nardus* سنبل *Abulfadli* apud *Celſ. hier.* 2, 2. manifeſto dicit idem eſſe سنبل cum Graecorum νάρδῳ. E Iava praeprimis provenire teſtatur *Bakui (Notices et extr.* 2, 397.). Bene distinguit *Avicenna (225.)* romanam ab indica et ſyriaca. Illam multo viliorem eſſe: eſt enim Valeriana celtica. Cf. *Serap. c.* 52. *Cluſ. exot. p.* 201. 202. . . *Androp. Schoenanthus* أذخر *Avic.* 127. Duas ſpecies facit, arabicam et اجاني, quae Nabataea forte eſt: namque Adſcham eſt mons in Hedſchas *(Bakui l. c.* 409.). Optime ſpicas deſcribit Abu Hanifa apud *Serap. c.* 19. . . *Sorghum vulgare* ذرة, دخن vel etiam *bicolor*, a priſtinis inde temporibus per totum Orientem cultum, a *Forskoleo* ſub nomine *Holci Durrae* et *Dochnae (flor. arab.* 174.) deſcribitur. *Niebuhrius (Beſchreib. von Arabien* 154.) tres per annua meſſes praebere et quadringenties multiplicari adſerit. *Ebn Alvam (Caſiri* 1, 332.) etiam in Hiſpania ab

Arabibus cultum fuiſſe, Scherifus *Eddriſi* (*geogr. nub.* 9.) vinum etiam, ſeu potius cereviſiam inde confici teſtatur.

Fagara Avicenna Juſſ. *Lam. encycl.* 2, 445. فاغرة *Avic.* 236. breviter tantummodo tangit, femina cum cannabis feminibus comparat, apportari autem e Sofala. Similia habet *Serapion* (*c.* 200.) e Meſue et ebn Amram. Bene illuſtravit et delineavit fructum *Cluſius* (*exot.* 185.). Ex India transgangetica et Sina fine dubio Arabibus apportabatur: e Sina quoque Incarvillius Juſſieuo miſit. . . *Ciſſus vitiginea* حماما (ἄμωμον veterum). Supra iam probabili coniectura adſequutus ſum, Amomum veterum huc pertinere. Id vero nunc ad certitudinis ſpeciem quamdam evehendum eſt, quum Arabes uberius ſuum Hamama deſcribant quam Graeci ἄμωμον. Incipiam autem ab *Avicenna*, qui *p.* 175. fruticem nominat, vitis modo arboribus circumplicatum, foliis Bryoniae, floribus Cheiranthi colore, ligno odorato hyacinthino (بنفسجي). Optimam ſpeciem eſſe, quae fulvo colore ſit, e montibus Armeniae veniat et odore ſuavi polleat: peiorem viridem, odore rutaceo, e locis humidis provenientem. His addit *Honainus* apud *Serap.* *c.* 279. ingredi et lignum et baccas medicamenta odorifera atque adeo inebriare. Rubellum autem florem indicat Davides Antiochenus apud *Hydium* (*ad Perizol. p.* 103.) aliique, quos idem citat, aorem aromati-

cum ſaporem baccarum praedicant. Summa confuſio orta fuit medio aevo ex incuria eius, qui Serapionem interpretatus erat. Vertit enim *Hamama* pedem columbinum, unde ſeplaſiarii fere omnes Geranium columbinum aut molle pro eo habuerunt. Primus fere refutavit eum errorem *Ruellius (nat. ſtirp.* 1, 232.). His omnibus rite perpenſis, Anguillaraeque ſupra citato loco adſumto, non poſſum quin huic ſpeciei adiudicem, quidquid Arabes de حبابا ſuo perhibuerunt. Folia enim cordato-ſubrotunda lobata utrinque villoſa, ſemper fulva, flores pallidi, baccae acri aromate praegnantes coeruleſcentes, lignum odoratum ſubrubens in hac planta conveniunt. *Rauwolfius p.* 128. ipſe ex Armenia acceperat. Primus delineavit *Pluknetius (mantiſſ. t.* 337. *f.* 4.) uberius deſcripſerunt *Lamarkius (encycl.* 1, 30.) et *Vahlius (ſymbol.* 3, 18.). . . *Ciſſus rotundifolia* ريحان السليمن *Avic.* 252. Fruticem deſcribit arbores ſcandentem, umbellis flavidis, quale Anethum habeat, floribus exiguis, folio, quali gaudeant Malvaceae (الخطمي forte Sida cordifolia, quae per Arabiam creſcit). Hanc ſpeciem primus Forskoleus *Saelanthi* nomine *p.* 35. deſcripſit et *tab.* 4. delineavit: uberius illuſtravit ſummus *Vahlius (ſymbol.* 3, 19.). . . *Santalum album* صندل *Avic.* 241. Ubi Santalum rubrum citat, album etiam adducit, Macaſſarenſe vocari, e Sin autem

(India transgangetica) advehi et praeſtantiſſimam ſpeciem eſſe. Cf. *Serap. c.* 346. In ea Indiae parte, maxime vero in Timor inſula quoque invenerunt *Garcias (Cluſ. exot.* 173.) et Ant. *Pigafetta (Ramuſio* 1, *f.* 396. a.): mirum, quod, quid ſibi velit Macaſſar, Garcias neſciverit. Eſt autem Celebis inſulae ſynonymon *(Barros decada* 4. *da Aſia, p.* 628.).

Cyclamen perſicum فقيلاسوس *Avic.* 240. Eſſe ſpeciem perſicam Arthanitae. . . *Convolvulus Turpethum* تربد *Avic.* 264. Ex India adferri. *Meſue (Rhaz. c.* 173.) primus fere eſt, qui id draſticum purgans adhibuerit. Cf. *Serap. c.* 330. *Meſue iun. f.* 67. commutat cum planta ferulacea, quam Linnaeus dixit *Seſeli Turbith.* Egregie *Garcias (Cluſ. exot.* 206.) hiſtoriam verae ſpeciei illuſtrat, qualem in India cisgangetica invenit. Figuram dat *Hermannus lugdb. t.* 178. 179. . . *Coffea arabica.* Primum ac optimum huius potus veſtigium reperiſſe mihi videor apud *Avicennam p.* 261. titulo شراب, ubi قهوة manifeſto dicitur. Nomine enim بن, quali nunc inſigniunt Arabes arborem, haudquaquam occurrit. . . *Muſſaenda frondoſa* لاعبة *Avic.* 199. Arbor apibus gratiſſima, folio colorato, flore rubro in paniculam diſpoſito. . . *Ophiorrhiza Mungos* لحية *Avic.* 199. Bona deſcriptio apud *Kämpfer amoen. exot.* 577. . . *Datura Metel* جاوز ماذل *Avic.* 156. Eſſe venenum

narcoticum in capſulis ſpinoſis. Cf. *Serap. c.* 375. . . *Hyoscyamus puſillus, muticus* et *reticulatus* بنج *Avic.* 145. Primus flavo, ſecundus albo, tertius purpureo (ارجوان) colore. Cf. *Serap. c.* 340. . . *Atropa Mandragora* لوفحا *Avic.* 198. et يبروح 187. Fabulas multas de hac planta ſuperſtitioſa circumtulerunt Arabes et Perſae, praeſertim *Luthfallah*, auctor lexici perſici *(Caſiri* 2, 351.) quas citat *Herbelot (bibl. orient. p.* 17.) et repetit Iac. *de Vitriaco (Bongars geſta Dei per Francos*, 1, 1099.). In vetuſto codice Dioſcoridis Cantacuzeno icon eſt Dioſcoridis et εὑρέσεως, ut feminae. Canis intereſt, a Mandragora ἀνθρωπομόρφῳ, quam femina tenet, erectus *(Lambec. bibl. vindob. lib.* 2. *p.* 566.). . . *Solanum* forte *aethiopicum* ممريص quod *Serapion c.* 343. ut ſpeciem Atropae deſcribit. . . *Sol. Melongena* بادنجان *Avic.* 144. . . *Sol. inſanum* حدق *Abulfadli* apud *Celſ. hierob.* 2, 44. . . *Strychnos Nux vomica* جاوز القي *Serap. c.* 164. *Hobeiſchus* primus commendaſſe id remedium, ut vomitus cieatur, deſcripſiſſe etiam videtur. Non in India ſola, ſed in Perſia etiam creſcit *(Chardin voy. en Perſe* 3, 14. . . *Strychnos colubrinus* بندق الصيني *Avic.* 2, 125. ob venenatam ligni qualitatem memorabilis. Ad purgandum tamen uſurpant Abugerig et alii apud *Serap. c.* 358. Cf. *Garc.* apud *Cluſ. exot.* 215. Neſcio ſitne aliud lignum colubrinum, quod Ibn

Alvardi (notices 2, 37.) in Karkar ad ripas Nili indicat. Videtur saltem, quum Scherifus Eddrifi *(geogr. nub.* 14.) nigrum colorem ipfi tribuat. . . *?Ignatia amara* نارمشک *Avic.* 1, 215. Conveniunt saltem patria (insulae maximae orientales) flores odorati, semina angulata aromatica acria. . . *Ardisia humilis* موردزقوم *Avic.* 1, 211. Comparatio cum Rufco et patria (Sina) me induxit ut huc traherem: sed de viribus roborantibus, quas Arabes praedicant, nil innotescit. . . *Cordia Myxa* لبخ *Avic.* 136. *Abdollat.* 9—11, qui praesertim amplam descriptionem, partim ex Abu-Hanifa et Daïnari adfert; edulem esse fructum, in Persia autem venenatum, nucleum valde amarum. Cf. *Alpin. aegypt.* 30. . . *Cordia Sebestena* غبريا et سبستان *Ebn Alvam* apud *Casir.* 1, 329. 337. Colebatur in Hispania arabica: drupae edules. Bona descriptio Isaaci *ebn Amram* apud *Serap. c.* 8. . . *Zizyphus Lotus* سدر *Avic.* 220. et fructus نبق. Hunc adeo gratissimum Arabes fere omnes invenerunt, maxime eam varietatem, quae in provincia Adel crescat, cuius drupae incredibili gaudeant suavitate et odore gratissimo, ut et regibus offeratur, et in paradiso a feminis coelicolis, quas Hury vocant, defunctis tradantur *(Serap. c.* 120. *Herbelot bibl. orient. p.* 796.). In Hispania colebatur, teste Ebn Alvam *(Casiri* 1, 328.). Patriam peculiarem tamen habet Tunetanum regnum Scherifus

Edrisi *(geogr. nub. 77.)*. Dici etiam سلم testatur *Abulfadli (Celsi. hierob. 2, 191.)*. Cf *Shaws travels, app. p. 47. n. 632. . . Zizyphus vulgaris* ضال *Abulfadli l. c. . . Ziz. Paliurus* سدر Ebn Alvam apud Casir. 1, 330. *Abulfadli* apud *Celsi. hierob.*, 20. male Lotum graece nominari dicit. . . *Ziz. Spina Christi* عوسج *Avic.* 232. Cf. *Alpin aegypt.* 43. *Rauwolf* 381. qui manifesto adfirmat, coronam Christi servatoris e spinis huius arboris plexam fuisse, quippe quae circa Hierosolymas satis frequens sit.. *?Cerbera Manghas* جبلاهنكى *Avic.* 152. Arbor venenata lactescens indica, flore luteo: cuius succus inspissatus cum Turbith congruat. . . *Gardenia gummifera Thunb. diss.* 2, 16. 20. Gummi praebet cum Elemi Indiae occidentalis satis congruum. Describunt autem Arabes قنقولم suum (*κάγκαμον* Graecorum) ita, ut ad Elemi hoc, quod vel ex Amyride zeylanica vel e Gardenia nostra elicitur, transeant. Cf. *Antiqu. bot. p.* 84 f. . . *Nerium Oleander* دفلي Manifesto Beitharides hanc intelligit *(Bochart. hieroz.* 1, 699.). Sed *Avic. p.* 158. distinguit duas species, quarum fluviatilis est nostra, sed sylvestris est spinosa, foliis salicinis, forte *N. salicinum* Vahl. . . *Cynanchum viminale* مرخ *Hyde relig. Pers.* 335. Est fomes ad excipiendum ignem. *Forskoleus p.* 53. peculiarem habet speciem, sed immerito. . . *Asclepias gigantea* s. *procera* Ait. عشر *Avic.* 233. Venenatissimam lacte-

ſcentem habet, in Arabia yemenica creſcentem. Sed ſaccharum tamen in Yemen et Hedſchas, velut ſalis fruſta, in eius foliis produci, quod nigrum et vilioris indolis ſit. Abu Hanifa apud *Serap. c.* 50. et lac et ſaccharum ipſum laudat adverſus hydropes. Eſſe autem id ſaccharum amaricans ſimul et acre, vocari arborem etiam *Scherzehre*. Hanc Perſarum Scherzehre illuſtravit et icone e Thevenoto *Hydius (relig. vet. Perſ.* 335.). Aliam iconem habet *Alpinus aegypt. p.* 86. qui Beidaloſar vocat. Optime deſcribit, qualem arborem hanc ad oras Perſici ſinus ſaepe viderit, *Angelus de S. Joſepho (ad Pharmac. perſ. p.* 361.). Letiferum eſſe ſuccum lacteum adfirmat et ipſam umbram pecoribus: quod confirmat *Chardinus (voy. en Perſe* 3, 13.). Cf. et *Niebuhrii Arabiam* 150. et *Salmaſ. hyl. iatr. p.* 109. Eſt ceteroquin ſaccharum illud productum vegeto-animale ex aphidibus et cynipum genere, quod nidulans in foliis ea contrahit atque glomera haec ſaccharina aut mellea efficit. . . *Atriplex hortenſis* سرمق Ebn Alvam apud *Caſir.* 1, 333. . . *Atriplex Halimus* ملوخ *Avic.* 211. Manifeſto enim *Beitharides* (*Bochart hieroz.* 2, 225.) ad hanc ſpeciem trahit. . . *Salſola fruticoſa* ſ. *Anubaſis aphylla* فلي vel etiam اسنان *Avic.* 248. *Serap. c.* 25. *Rauwolf.* 3. . . . *Ferula perſica* et *Aſa foetida* انجدان *Avic.* 130. ſuccus حلتيت et radix محروث *ib. p.* 211. *Serap. c.* 251. Cf.

Hyde ad Perizol. p. 163. In Segeſtana Perſiae praeprimis copioſam eſſe hanc ferulam *Abulfed. (Büſchings Mag.* 4, 263.). E Coraſan Indiam advehi, *Garcias* apud Cluſ. exot. 152, prae omnibus autem *Kämpfer amoen. exot.* 540 — 552. . . *Daucus lucidus* intelligi videtur, ubi Arabes *(Avic.* 206.) de bdellio ſiculo loquuntur, aut ubi ſtoracem liquidam in Calabria reperiri aiunt *(Platear. circa inſtans, f.* 248 *c.)*. Namque gummi emanat odoriferum *(Boccone muſ.* 1, 30. . . *Paſtinaca Secacul Ruſſel Alepp. p.* 157. Tordylium Secacul *Mill. dict. ic. t.* 268. شقاقل *Avic.* 257. Radix ſaccharo condita aphrodiſiaca putatur. *Rauwolf p.* 74. cum ic. *Averrhoës* tamen *(Coll. lib.* 5. *f.* 85 *a.)* Hiſpanorum Panical *(Panicaut* Gallorum*) Eryngium* huc trahit. . . *Semecarpus Anacardium* بلاذر *Avic.* 141. Fructum cum nucleo dactylorum, *Serap. c.* 356. cum corde avis conferunt, rubro colore praeditum eſſe, adferri e Sin, ſed etiam ex ignivomo monte Siciliae, in quo bonus Arabs vehementer fallitur. In Cananor et Calicut Indiae invenit *Garcias (Cluſ. exot.* 198.). . . *Tamarix orientalis* ſ. *articulata* كشت *Avic.* 192. vel قسط 2, 212. Melleus humor in foliis redundat, de quo *Angelus a S. Ioſepho ad pharmac. perſ. p.* 360. *Beitharides* apud Channing ad *Rhaz. de variol. p.* 179. vocat شيرخشك. Cf. *Garc.* apud *Cluſ. exot.* 164. . . *Muſa paradiſiaca* موز, quam Graeci obiter tantum

et per traditionem cognoverant, Arabes, ex India transplantatam adeo adamarunt, ut *Abdollatifus p.* 20 ſ. eximiam et graphicam omnino deſcriptionem dederit. Credidit autem cum Colocaſia et Phoenice aeque cognatam eſſe; radicis propaginibus multiplicari, folia elegantiſſima et ampliſſima, florem ſpathaceum, plerumque albidum: fructus continere ſeminum rudimenta abortientia. Apud eumdem *Abu Hanifa:* patriam eſſe Oman Arabiae felicis, ubi duorum duntaxat menſium opus ſit, ut planta fructum ferat: e foliis etiam elegantiſſimos parari tapetes. Scherifus Edriſi *(geogr. nub. p.* 28.) quinque habet varietates, quae in terra Zingitana creſcant. Hunc eſſe fructum, quem primis parentibus interdixit Deus, narrat *Leo Africanus (p.* 771.) unde et Jac. de *Vitriaco* arborem paradiſi vocat. *(Bongars geſta Dei per Francos*, 1, 1099.).

Narciſſus orientalis نرجس et *Ionquilla* نسرين *Avic.* 214. Ex utroque oleum parabatur, ex hac ſpecie debilius. Colebatur utraque in Hiſpania. Ebn Alvam apud *Caſir.* 1, 334. Hic credit Neſrin eſſe Roſam moſchatam, ſed *Avic.* manifeſto dicit, 242. Narciſſi ſpeciem eſſe. . . *Aloë perfoliata* صبر *Avic.* Multo melius eam cognoſcere debuerunt Arabes, quum in patria creſceret. Distinguunt autem tres varietates, *Juccotrinam* optimam, *arabicam* et *ſemandſchanaeam.* Cf. *Geogr. nub. p.* 23. Succotoram inſulam fabulantur Ariſtotelem discipulo

Alexandro praeprimis commendaſſe, ut pretioſum id medicamentum inde obtineret (*Ancienn. relat. p.* 113.). . . *Lilium candidum* سوسن *Avic.* 220. Sed plura notat, quae et in *Iridem* forte *ſuſianam* quadrant. E bulbis parantur faeculae, quae fucum candidiſſimum praebent, كتم forte, quo cum Henna uſus fuit Mohammedes (*Abulfed. vit. Muhamm. p.* 65.). Cf. *Murhard.* in *elegant. Zeit.* 1807. *N.* 31. . . *Bambuſa arundinacea* قصب, unde *mel arundinis* عسل القصب *Avic.* 225. Id in Khesran, urbe perſica, maxime parabatur (*Bakui in Notices*, 2, 452.) et apud Mandurkham Indiae e ſucco ſacchari *Tebaſchir* dictum (*ib.* 419.) طباشير *Avic.* 189. Claſſicus eſt locus Beitharidis apud *Channing.* in edit. Rhazei *de variol. p.* 63 ſ. Cf. *Salmaſ. hyl. iatr. p.* 255. *Ruſſel* et *Macie* in *philoſ. transact. vol.* 80, 273. 81, 368. *Lüdgers diſſ. de Tabaſchir*, Gott. 1791. 8. *Humboldtius* (*plant. aequinoct. p.* 70.) ſimilem concretionem et in nodis Bambuſae Guaduae, quae in monte Quindiu Americae meridionalis creſcit, obſervavit. . . *Calamus rudentum* eſt forte كيزرن illud, quod in India vulgare dicitur (*Bakui* in *Notices* 2, 416. *Abulfed. Büſchings Magaz.* 4, 272.). Cf. *Salmaſ. l. c.* . . *Calamus Zalacca* ديودام *Avic.* 159. forte etiam بل 144. Sed dubius haereo. *I. Bauhinus* ſaltem (*hiſt.* 1, 403.) huc trahit. . . *Calamus Rotang*, unde *Sanguis draconis* دم الثعبان

aut حرنغ perſ. *(Hyde ad Perizol. p.* 111. *Kämpfer. amoen. exot.* 552.). *Avicenna* dicit دم الاخوين *ſanguinem duorum fratrum*, *p.* 160. Vehementer fallitur *Serapion c.* 331. dum deſcriptionem Phellandrii Mutellinae apud *Dioſcor.* 4, 35. huc trahit.

Amyris gileadenſis بلسان *Avic.* 140. Hunc fruticem licet Graeci et Romani iam cognoverint, Arabes tamen multo frequentius coluerunt. Avicenna aegyptiacum habet fruticem, ſtaturae Lycii europaei, odore Rutae. Creſcere autem praecipue ad Heliopolin (عين شمس) quod confirmat *Abdollatifus p.* 13. Is addit etiam, e radicum propaginibus ſpurium oriri in aliis regionibus fruticem, qui oleum non largiatur, vocari البشم, et provenire per Arabiam et Perſiam. In ſola Heliopoli coli, Ebn *Alvardi*, *Bakui (Notices et extraits* 2, 29. 445.), *Marianus Sanutus* Torſella *(Bongars geſta Dei per Francos*, 2, 260.) et Iacobus de *Vitriaco (ib.* 1, 1128.) adfirmant. . . *Amyris Opobalſamum* ſine dubio eſt illud البشم, de quo *Abdollatifus* loquitur, vocatur enim haec ſpecies ita in Arabia *(Forskol. p.* 79, 80.). *Abulfadli* tamen nomine بكا etiam hanc distinguit. Ferre enim folia longiora quam Baſcham et fructus maiores *(Celſ. hierob.* 1, 339.). Cf. *Alpin. aegypt.* 60. . . *Amyris Kataf* Forsk., ut ſupra iam monuimus, arbor eſſe turifera videtur, quam Arabes كندر et لبن vocant. *Abulfadli* apud *Celſ.* 1, 231.

244. In Caramania vidiſſe ſemet hanc arborem teſtatur *Chardinus (itin.* 3, 13.). *Marcus Paulus αὐτόπτης* teſtatur copioſe provenire in Eſcher *(Adſchar)* Arabiae felicis ad ſinum perſicum *(Ramuſio* 2, *f.* 59. *a.)*. . . *Lawſonia inermis* حنا *Abulfadli* apud *Celſ.* 1, 224. *Avic.* 173. Ebn Alvam apud *Caſir.* 1, 332. *Rauwolf p.* 60. cum ic. . . *Memecylon tinctorium* ورس *Avic.* 165. *Serap. c.* 170. In Yemen creſcere et in India, tingi autem flavo colore. . . *Laurus Camfora* كافور. Primi fere, qui huius arboris meminerint, ſunt Arabes duo, quos *Renaudotius* edidit *(Ancienn. relat. p.* 4.). Creſcere autem in inſula Ramni *(Sumatra)*: Bakui in Java *(Notices* 2, 397.): Scherifus Edriſi in inſula Soborma (alias Sumabar, Borneo) *(Geogr. nub.* 36.). Optimam eſſe ſpeciem, quae e Fanſura, regno inſulae Sumatrae, evehatur *(Abulfed. Büſchings Mag.* 4, 277.). *Marcus Paulus (Ramuſio* 2, *f.* 52. *b.)* Fanſuram facit regnum ſumatrenſe, quod optimam largiatur camforam. Iſaac Ebn Amram *(Serap. c.* 344.) amplam deſcriptionem adiungit. Eſſe gummi arboris, quod e fruſtulis ligni ebulliat; Fanſorenſem eſſe optimam, hanc primum fuſcam, ſublimatam vero candidam reddi. Talia etiam habet *Avic.* 189., ſed textus ita corruptus eſt, ut nullo modo eum intelligere poſſim. . . *Laurus Caſſia* سليخة *Avic.* 226. Diſertis verbis ait, Caſſiae corticem una cum cortice

Cinnamomi inveniri et ad eamdem forte ſpeciem pertinere: cetero exiſtere plures varietates, optimam eſſe rubram, peſſimam nigram. Folium hujus arboris vocatur سانج 218., quo trahit *Avic.*, quae Graeci de malabathro praedicaverant. Cf. *Garc.* apud *Cluſ. exot.* 177. . . *Rheum palmatum* ſ. *undulatum* ريوند *Avic.* 252. *Serap. c.* 206. *Meſue iun. p.* 50. Manifeſto docet *Avic.*, e Sina advehi hanc radicem, quae longe differat a Graecorum Rheo, quod Rhaponticum fuerat. In provincia Koukam Indiae Sinae contermina praecipue creſcere, *Bakui (Notices* 2, 4. 16.). Veriſſimam patriam habet *Marcus Paulus (Ramuſio* 2, *f.* 13. *a.)*, Tanguthi montes, ab occidente Chinae, et montium iuga ad urbem Singui chinenſem *(ib. f.* 45.). . . *Rheum Ribes* ريباس *Avic.* 254. *Serap. c.* 24. Naſci hanc plantam in locis montoſis Syriae et Perſiae, foliis ampliſſimis rotundis gaudere et baccis acido-dulcibus: conferre maxime in morbis acutis. Plura loca *Hydius (de relig. vet. Perſ. p.* 512. 513.) e codicibus arabicis et perſicis adducit, e quibus liquet, plantam hanc nonniſi in rupibus creſcere, distingui etiam ſolere ſyriacam et bactrianam, capreolos ad rubedinem vergentes comedi, folia betae ſimilia eſſe. Male olim cum Ribe noſtro commutata fuit planta, donec Angelus de S. Ioſepho *(ad Pharmac. perſ. p.* 364.) primus doceret, veram eſſe Rhei ſpeciem. Invenit eam,

et *Chardinus* in Perſia *(itin.* 3, 14.) et in montibus Syriae *Rauwolfius (itin. p.* 266. cum ic.). Optima deſcriptio *Fontaneſii in annal. muſ. gall.* 1, *t.* 49.

Caſſia Fiſtula خيار جنبر *Avic.* 271. *Serap.* 12. Neſtoriani iam pulpam leguminum in materiam medicam introduxerunt: namque *Meſuis* ſenioris deſcriptio apud Serapionem optima eſt: leguminum diſſepimenta transverſa, ſaporem et colorem pulpae egregie indicat. Ex Arabia felici et ipſa Aegypto advehebatur. Avicenna aliam venire e Baſsrah, aliam e Kabul, utramque vero haud ibi ſponte creſcere, ſed ex India advehi. *Abdollatifus (p.* 33.) copioſe in Aegypto eam inveniens, florem ſpecioſum luteum et ſimilitudinem arboris cum Ceratonia Siliqua (خروب) exprimit. Mercem eſſe Saracenorum egregiam teſtatur *Marinus Sanutus* Torſella *(Bongars geſta Dei per Francos*, 2, 24.). Cf. *Garc.* apud *Cluſ. exot.* 197. *Alpin. aeg.* 7. . . *Caſſia Senna* سنا *Serap. c.* 58. Ab hoc fere ſolo commemoratur et a *Meſue iun. p.* 77. . . *? Caſſia Tora.* Neſcio, hucne pertineat حب القلقل *Avic.* 179. granum Kelkel, quod citrinum in medulla unctuoſa boni ſaporis haeret. *Forskoleus (p.* 86.) ſaltem id nomen huic ſpeciei tribuit. . . *Caeſalpinia Sappan* بقم *Abulfadli* apud *Celſ.* 1, 176. Rubrum lignum tinctorium, in inſulis Indiae orientalibus et Zingitana provincia *(Zan-*

guebar) provenire: Scherifus Eddrifi ex infula Ramana Indiae *(Sumatra: geogr. nub. 3.)* advehi, Bakui e Ceilona *(Notices 2, 411.)* Abulfeda e Colona Malebarica *(Büſchings Mag. 4, 274.)*. *Marcus Paulus* in regno Lambri Sumatrae creſcere adfirmat: ipſe ſemina Venetiam apportaverat, ſed non germinarunt *(Ramuſio 2. f. 52. b.)*. Deinde et in Ceylona invenit *(f. 53. a.)*. Quorum quum nemo arborem ipſam viderit, haud miraberis, deſcriptiones minus congruere. Folia enim Scherifus cum foliis Oleandri, Abulfeda cum foliis Zizyphi componit. Ab utrisque differunt. Cf. *Rumph. amboin. 4. t. 21. Roxburgh. coromand. t. 16.* Maxime memorabile eſt, tinctorium hoc lignum *braſilium* a Rabbinis appellari CCC annis ante Braſiliam detectam *(Celſ. l. c.)* unde effici fere poteſt, Braſiliam potius ab hoc ligno, quam lignum a provincia nomen accepiſſe. . . *Hyperanthera Moringa* بان *Avic.* 139. Cf. *Belon.* 2, 61. *Burm. zeyl. t.* 75. . . *Guilandina Bonduc* بندق *Avic.* 147. Quum ſatis notam habeat, ſuſpicor, et in Perſia eam creſcere. . . *Melia Azedarach* ازادرخت *Avic.* 132. Magnam eſſe arborem, cuius fructus Zizypho Loto ſimilis ſit, in Turkeſtan provenire et in Syria. Colebatur et in Hiſpania. Ebn Alvam apud *Caſir.* 1, 330. . . *Zygophyllum Fabago* Andirian *Rhaz. c.* 24. اردفياي (Ardafiani) *Avic.* 137. *Rauwolf. p.* 113. . . *Aquilaria ovata* اغالوحي

Avic. 132. *Agallochum ſecundarium* maculis et venis variis, odoratum, cuius optima varietas ad Tſchampacam creſcit. Cf. *Rumph. amboin.* 2, 34. 35. *Cavan. diſſ.* 7, 377. . . *Terminalia Chebula* بليلج *Avic.* 144. Alterum nomen هليلج, non huic ſoli ſpeciei, ſed et Phyllantho Emblicae et ipſi Meliae Azedarach convenit: hinc vagum eſt. Sed distinxerunt cum Avicenna Arabes fere omnes citrinum fructum a kebalenſi, ſubnigro hoc et ſubrubro. Eſſe autem utrumque eiusdem arboris, primam enim meſſim illum, ſecundam hunc largiri. Conſuerunt medio aevo quinque ſpecies numerare, ad verſum illum:

„Myrobalanorum ſpecies ſunt quinque bonorum:
„Citrinus, Chebulus, Belliricus, Emblicus, Indus."

(Muſ. Braſav. exam. ſimpl. p. 222. Vox *kebalenſis*, quae a Latinobarbaris in *Belliricos kebuli* mutata fuit, originem habet ab urbe Kabol in Zableſtan, non, quod ibi proveniant, ſed quod mercatores eo deferant *(Abulfed. Büſchings Mag.* 5, 352.). Ab eadem arbore varios hos fructus venire, *Adanſonius* etiam nuperis temporibus teſtatus eſt *(Famill. des plantes* 2, 447.). Qui Myrobalanorum ſpecies illuſtrarunt, Garcias et Coſta, in ſolo fere Phyllantho ſubſtiterunt, Terminaliam noſtram nemo ante *Königium (Retz. obſerv.* 5, 31.) cognovit. In Calicut et Cananor praecipue invenit my-

robalanos kebalenſes Odoard. *Barbeſſa* (*Ramuſio* 1, 359. *a.*) *Gärtnerus* (*de fruct. et ſem.* 2, 90. 91.) optime kebulos et citrinos myrobalanos ad eamdem ſpeciem pertinere, belliricos autem ſpecie differre. Cf. *antiquit. bot.* 100. . . *Peganum Harmala* حرمل *Avic.* 174. *Serap. c.* 285. Bona deſcriptio apud hunc, ad capſulam usque trivalvem. Adhibebatur ut purgans. Sed male interpres *Averrhoïs* (*lib.* 5. *f.* 87. *b.*) *Cicutam* reddit. . . *?Aegle Marmelos* Correae de Serra (*Crataeva* Linn.) سل *Serap. c.* 261. Fructus eſt Indicus cydoniae ſimilis aureus et calefaciens. Cf. *Rumph. amboin.* 1. *t.* 81. . . *Garcinia Mangoſtana* جاوز حندم *Avic.* 152. Eſt fructus mellei ſaporis, magnopere delectans. In Malacca praeprimis frequens *Rumph. amboin.* 1, *t.* 43. *Le Gentil* (*itiner.* 1, 608.). Hicne eſt fructus, quem *Philoſtratus* (*vit. Apollon.* 3, 6.) deſcribit? . . *Euphorbia nereiſolia* سهودنا *Avic.* 210. Lacteſcentem et ſubvenenoſam eſſe plantam, cuius folia rariora Nerio ſimilia ſint.

Eugenia caryophyllea قرنفل *Avic.* 243. *Serap. c.* 319. Caryophylli aromatici ab Arabibus primis ex India advecti fuerunt. Bakui patriam Sandabil appellat (*Notices* 2, 401.). *Marcus Paulus* regnum Caindu tibetanum (*Ramuſio* 2, 35. *a.*) ubi egregie deſcribit arborem; Ant. *Pigafetta* bene delineat, ut viderit frequentiſſime in inſula Gilolo (*Ramuſio* 1, 394. *a.*). . . *Prunus Maha-*

leb صحلب *Avic.* 210. *Serap. c.* 44. Ex Hiſpania adferebatur. . . *Corchorus olitorius* ملوخية *Avic.* 212. *Abdollat.* 8. Planta edulis, ſed ſtomacho nocens. *Moſes* Maimonides etiam ſpeciem cognoverat, quae forte eſt *C. aeſtuans* (Cf. *Wahl. ad Abdollat. p.* 40.). . . *Glaucium luteum* ماميثا *Avic.* 210. Beitharides apud *Channing. ad Rhaz. de variol.* 110. Succus defaecatus in globulos formatus ad collyria adhibebatur. . . *Thea viridis* ثه (Tſah.). Prima eius mentio occurrit in itinerario Arabum ſaeculi IX., quod *Renaudotius* edidit *(Ancienn. relat. p.* 31.) ubi frutex appellatur, foliis punicae ſed ſuaveolentibus; haec infundia qua bulliente et remedium adverſus omnes morbos putari. . . *?Aconitum album* ſ. *ochroleucum* بيبش *Avic.* 147. Recens radix venenata, ſiccata innocua. *Angelus* a S. Joſepho *(ad pharmac. perſ. p.* 359.) adſerit, a Perſis hanc radicem obſoniis miſceri. Credebatur olim, ipſi Napelli toxico eodem modo obſtare ac Aconitum Anthoram. Sed hariolantur Arabes etiam circa noſtrum Napellum, quem بيبش موش بوحا vocant *(Avic.* 150.), ignotum ipſis, quum in Arabia et Perſia creſcere non videatur. Fallitur Avicenna, dum ad Napellum hiſtoriam Cicutae apud *Galen. facult. ſimpl.* 3, 38. traducit. Nonne itaque cum *Fuchſio (paradox. f.* 17. *a.)* contendamus, Arabibus ignotum fuiſſe Aconitum? Defendere ſtudet *Matthiolus (comm. p.*

769.) Avicennam, dum ſibi miſſam fuiſſe ex Oriente radicem Anthorae, Zedoariae nomine, quae cum Napello Moyſi Avic. *(Biſch muſch)* congruat, teſtatur. Sed fateor, me haec omnia clare non perſpicere.

Ocimum monachorum فلنجبشكى *Avic.* 236. *Serap. c.* 156. . . *Oc. baſilicum* بادرج *Avic.* 146. *Serap. c.* 157. . . *Thymbra ſpicata* زوفا *Avic.* 166. Iſaac ebn Amram apud *Bochart. hieroz.* 1, 674. *Celſ. hierob.* 1, 421. . . *Thymbra verticillata* سراج القطرب *Avic.* 200. . . *Cakile maritima* قاقلة *Avic.* 243. *Serap. c.* 65. Eſſe plantam ſalſuginoſam velut Kali, ſed comedi, folia eſſe Naſturtii ſimilia. *Bochart. hieroz.* 2, 224.

Tamarindus indica تمر هندي *Avic.* 262. *Serap. c.* 348. Deferri e Khaiſaran, Yemen et India: pulpam leguminum recentem eſſe optimam. . . *Bombax goſſypinum* كرفس *Abulfarag. hiſt. dyn.* 433. *Serap. c.* 66. alio nomine *Horon.* Cf. *Tavernier itin. p.* 21. . . *Goſſypium herbaceum* قطن Ebn Alvam apud *Caſir.* 1, 332. Satis frequenter cultum in Hiſpania. . . *Malva rotundifolia* خباز *Abdollat. p.* 8. *Avic.* 274. . . *Althaea ſicifolia* حطمي *Avic. l. c. Abdoll. l. c.* Ebn Alvam apud *Caſir.* 1, 335. Hinc nomen Ketmiae. . . *Hibiſcus ſiculneus* بامية *Abdoll. p.* 7. *Alpin. aeg. p.* 91. *Forsk. p.* 70. 125. Huc et *H. eſculentus.*

Spartium ſpinoſum خار شبشغان *Avic.* 157. . . *Spart. iunceum* بادشغان *Avic.* 150., alio loco بادشغان 192., e quo paretur کشت بر کشت *textilia monilia.* Cf. *Matth. Sylvat. c.* 182. *Cot.* . . *Pterocarpus Santalinus* صندل *Avic.* 241. *Serap. c.* 346. Ebn Alvardi, Abulfadli et Scherifus Edrifi patriam habent inſulas Indiae orientales (*Geogr. nub.* 35. *Celſ. hierob.* 1, 180 — 182.). In inſulis Noceris (Nicobarenſibus) invenit *Marcus Paulus* (*Ramuſio* 2, *f.* 52. *b.*). . . *Phaſeolus vulgaris* et *multiflorus* لوبية *Avic.* 201. *Serap. c.* 81. . . *Phaſ. Mungo* ماش *Avic.* 212. *Abdollat.* 32. Decoctum febricitantibus propinabatur. In Guzurate et Decan provenit. *Garc.* apud *Cluſ. exot.* 236. . . *Dolichos Lablab* لبلب *Avic.* 202. *Serap. c.* 41. Sed confunditur cum Hedera aut Ciſſo. Cf. *Alpin. aeg.* 75. . . *Indigofera tinctoria* نيل *Avic.* 214. *Serap. c.* 47. Sed vereor, utrumque commutaſſe cum Iſatide aliisve plantis. . . *Hedyſarum Alhagi* الحاج *Avic.* 262. Frutex in Khoraſan et regione ماوراء النهر (transoxana, inter Oxum et Iaxarten) frequens, in quo mellea ſubſtantia ترنجبين (Terendſchabin) inveniatur. Id Hedyſarum etiam vocari عاقول *Rauwolf.* 89. *Tournef.* 1, 123. *Kämpfer amoen.* 725. *Faber de manna Ebr. in Reiſke opuſc. med. arab. p.* 121. Notatu dignum eſt, quod, cum *Dioſc.* 1, 83. mannam etiam memoret, ſed turis micas, *Meſuen* hallucinari,

lum hanc mannam Arabum cum illa Graecorum confundat. . . *Aſtragalus emarginatus* سوقوطون *Avic.* 223. . . *Trifolium indicum* اكليل الملك *Avic.* 124. *Serap. c.* 18. Ebn Alvam apud *Caſir.* 1, 536. *Alpin. aeg.* 124. حندقوق etiam dictum: *Antiqu. bot. p.* 62. *Hyde de relig. vet. Perſ. p.* 492.

Artemiſia iudaica شيح *Avic.* 256. *Serap. c.* 14. *Rauwolf. p.* 456. *Abulſadli* apud *Celſ.* 1, 456. . . *Artem.* forte *indica* eſt, quam *Honainus* primus apud *Avic.* 125. laudat. Ex hac enim ſpecie *Moxa* Chinenſium paratur (*Kämpf. amoen.* 897. *Rumph. amboin.* 5, *t.* 91. *f.* 2.). . . *Centaurea Behen* بهمن الابيض *Avic.* 141. Behen album. Cf. *Hyde relig. vet. Perſ.* 510. *Rauwolf. p.* 288. . . *Echinops ſpinoſus* باذورد *Avic.* 140. . . *Orchis Morio:* Vana Bakui, quod in Schirwan creſcat (*Notices* 2, 518.) بوزيدان *Buzeidan Avic.* 144. Cf. *Matth. Sylvat. h. v.*

Phyllanthus Emblica املج *Avic.* 128. Parari docet e fructibus edulium, quod *Such* سكى appellatur (*p.* 219.). *Serap. c.* 95. *Garc.* apud *Cluſ. exot.* 197. Cf. *Antiquit. bot. p.* 98. . . *Quercus Ballota* بلوط *Avic.* 148. Edulis enim glans, cum ſaccharo bonum nutrimentum praebebat. . . *Iuglans regia* جوز et خسف *Abulſadli* apud *Celſ.* 1, 82. Sponte creſcere in Diarbekr et Kom et Zableſtan (*Abulfed. Büſchings Mag.* 4, 257. 5, 326. 350.). . . *Pinus Cedrus* شربين *Celſ. hie-*

rob. 1, 80. Cf. *Niebuhr. Arab.* 149. . . *Pin. Cembra* صغار *Avic.* 179. nucibus duris ſubtriquetris cuneiformibus. . . *Pin. halepenſis* صنوبر الكبار *Avic.* 152., cuius ſtrobilus جلوز appellebatur. . . *Pin. orientalis* تنوب *Avic.* 262., quae picem liquidam dat; ſtrobilus قصم قريش dicitur. . . *Pin. Pinea* صنوبر *Avic.* 242., cuius nux edulis حب dicitur *(p.* 179.*)*. . . *Altingia excelſa Noronna in Annal. bot. angl. n.* 5. *p.* 325. Haec arbor altiſſima Iavae, Cochinchinae et inſularum maris rubri indigena, Pinui maxime adfinis, distinguitur ſolo numero binario ſeminum ſub quavis ſquama ſtrobili latentium. Haec eſt arbor *Raſamala*, quae *ſtoracem liquidam* largitur, e rimis corticis emanantem. Cognoverunt autem eam Arabes nomine مبعة *Miah Avic.* 211. *Serap. c.* 46. Hanc iam Hobeiſchus e cortice arboris excelſae effluere, et ex inſulis Indiae orientalibus advehi bene ſcivit. . . *Stillingia ſebifera* اوملي *Avic.* 131. Eſſe oleum ſpiſſum, quod fructum arboris ambeat et e Sin auſtrali advehatur. Cf. *Lamarck. encycl.* 2, 290. *Tomex ſebifera* vix huc pertinet. . . *Croton Tiglium* فل *Serap. c.* 261. Cum pineae nucleis comparatur: unde nomen pineorum nucleorum *Acoſtae (Cluſ. exot. p.* 292.*)*. . . *Cocos nucifera* نرجيل (Nerdſchil). Primum teſtimonium occurrit in itinerario Abuzeidi et Wahebi *(Ancienn. relat. p.* 2, 111.*)* et praecipue de uſus mira varietate, quem haec palma

praebeat. *Avicenna* de fructu, titulo الهندي *(nucis indicae) p.* 153. loquitur. Cf. Lud. *Barthema (Ramusio* 1, *f.* 175. a. b.). . . *Areca Catechu* عدة et فوفل *Avic.* 236. *Serap. c.* 345. Arborem esse Coco similem, nucem deferri e Sin. Cf. *Garc.* apud *Clus. exot.* 187. . . *Aleurites moluccana* دند *Avic.* 160. Comparat cum Ricini seminibus, praedicat virtutem emeticam. . . *Momordica Elaterium* vel *Cucumis prophetarum* حنظل *Avic.* 175. Alvardaeus apud *Cels.* 1, 368. Cucumerum et Cucurbitarum plurimae species Arabibus gratae, frequenter ab iisdem cultae et satis accurate distinctae fuerunt. *Cucumeres* primum generico nomine جبار veniunt *(Abdollatif. p.* 30.). *Cucumis Melo* est بطيخ *(ib. Avic.* 241.) et persice خربزه *(Cels.* 1, 374.). Huius varietas est النغاج (Ebn Alvam apud *Casir.* 1, 333.) cortice tenero striato. *Cuc. Chate* est عبدلاوي *(Abdollat. l. c.)* cortice hirsuto, pomo fusiformi. *Cuc. sativus* فقوص *(Abdollat. l. c.) C. Dudaim* ضغبوش *Abdollatif. l. c. Cuc. anguinus* forte دبا *Abdollat.* longissimus. Namque *Cucurbita lagenaria* ex America venit. . . *Cucurb. Pepo* قثا *Avic.* 249. . . *Cucurb. Citrullus* قثا الحمار *ib.* بطيخ رقي et زيش *Abulfadli* apud *Cels.* 1, 371. . . *Cucurb. Melopepo* شلنق *Abdollat. l. c.* et *Abulfadli* apud *Cels.* 1, 365. (Distinctiones et nomina Forskolei neglexi, utpote parum certa.). . . *Aca-*

cia vera قرظ et سنط *Abdollat.* 28. Optima deſcriptio. . . *Ac. gummifera* Brouſſonet apud Willd. طلح *Abdollat. p.* 29. *Leo Afric. p.* 773. Maſtichis ſimile gummi largiri. Bene deſcribit *Höſtius* (*Marocc.* 306.).

Pandanus odoratiſſimus كادي *Serap. c.* 40. Ex Arabia felici adferri flores odoratiſſimos, cum quibus oleum paretur. Cf. *Forsk. p.* 172. . . *Salix aegyptiaca* زرنب *Avic.* 168. صفصف *Abulfadli* apud *Celſ.* 2, 108. حلاف *Alpin. aegypt.* 62. *Rauwolf.* 111. 112. Deſtillari e gemmis aquam odoratiſſimam. . . *Sal. babylonica* غرب *Avic.* 279. *Rauwolf.* 160. A florum odore vocatur in Perſia بيد مشك *Hyde relig. vet. perſ. p.* 336. Angelus a S. Joſepho ad *pharmac. perſ. p.* 360. . . *Canarium commune* مبسم *Avic.* 212. Fructum eſſe nucem trigonam, patriam Macaſſaram (Celebes), panem inde confici. Delicatum Amboinenſium panem ex his fructibus parari, teſtatur *Rumph. amboin.* 2, 148. . . *Spinacia oleracea* اسفانخ Ebn Alvam apud *Caſir.* 1, 332. *Avic.* 131. A Meſues inde temporibus nota. *Rhaz. c.* 52. . . *Cannabis ſativa* قنب Ebn Alvam apud *Caſir.* 1, 332. *Avic.* 248. Semen شهدنج *Avic.* 256. Paratur ſubſtantia inebrians حشيش e contuſis foliis. Cf. *Alpin. de medic. aegypt. f.* 121. b. *Kämpfer amoen.* 645., qui etiam e farina ſeminum pultem parari imbriantem tradit. *Chardin. itin.*

4, 207. et *Falk. topogr. Kenntn. des ruſſ. Reichs*, 2, 265. per totum Orientem dominari hunc uſum teſtantur. . . *Meniſpermum Cocculus* ماحرج *Avic.* 211. *Serap. c.* 365. E lacteſcentibus eſſe, feminibus piſces inebriari. . . *Cycas circinalis* eſt ſine dubio ea arbor, quae farinam praebere in inſulis orientalibus dicitur *(Ancienn. relat. p.* 17.*)*. Optimum et fere primum teſtimonium Chriſtianum reperies apud *Marcum Paulum (Ramuſio* 2. *f.* 52. b.*)*. Ipſo Sagu nomine citat *Pigafetta (Ramuſio* 1, 394.*)*. . . *Excoecaria Agallocha.* Praeſtantiſſimum lignum *agallochon*, quod toties ab Arabibus celebratur. عود *Avic.* 231. Afferri e Sin et India et Arabia per Sofalam: optimas ſpecies eſſe Mondeliam et Kakeliam et Kadmurinum et Semandurinam. Alio nomine اغالوخي 132. Cf. commentarium doctiſſimum *Celſ. hierob.* 1, 140—150. Fructus dicitur هرنوه *(Avic.* 163.*)* ſimilis piperi, ſed colore ſubflavo et odore praeſtantiſſimo. E Comaria, inſula Iavae propinqua, praecipue venire id lignum, peregrinatores priſtini arabes *(Ancienn. relat. p.* 78.*)* Scherifus Eddriſi *(geogr. nub.* 72.*)*, Abulfeda *(Büſchings Mag.* 4, 277.*)* et Ebn Alvardi *(apud Celſ.* 1, 148.*)* e Iava autem Bakui *(Notices* 2, 397.*)* et Ebn Alvardi *(Celſ.* 1, 153.*)* teſtantur. E Sumatra optimam Agallochi ſpeciem, Calampat dictam, evehi, vendi autem omnem fere Chinenſi-

bus, utpote ditioribus auro, refert Ludov. *Barthema* (*Ramuſio* 1, 181. a.) viliores ſpecies Bochor appellat et Loban. Cf. *Garc.* apud *Cluſ. exot.* 173. . . *Myriſtica moſchata.* Fructus ſatis cognitus Arabibus nomine بسابسا *Avic.* 148. et calix ſ. Macis, nomine طالسفر *Avic.* 183. *Serap. c.* 2. E Iava advehi Bakui (*Notices* 2, 397.) teſtatur. Bene deſcribit *αὐτόπτης* Ludov. *Barthema* (*Ramuſio* 1. *f.* 181. b.), ut viderit arborem in inſula Banda; ut in inſula Gilolo, Ant. *Pigafetta* (*Ramuſio* 1, 394.). . . *Boraſſus flabelliformis* ſ. Lontarus domeſtica Juſſ. et Gärtn. Avicennae 206. dicitur دوم, quod nomen etiam hodie ſervatur teſte *Forskoleo* 126. Ex hac palma paratur, teſtibus *Kämpfere* (*amoen.* 668.) et *Rumphio* (*amboin.* 1, 50.), Bdellium, quod مقل *Avic.* dicit. Distinguit autem in mechenſe et iudaicum. Rumphius *Punatam* dicit id ſuffumigium et totam parandi rationem indicat. Accedit, quod probabilitatem auget, *Abulfedam* (*Büſchings Mag.* 4, 203.) مقل palmam dicere humilem Tuneti frequentem: quo ſine dubio *Chamaerops humilis* intelligitur, cum Boraſſo flabelliformi facillime confundenda. Ipſe *Matthiolus p.* 92. teſtatur ſe Neapoli palmam hanc humilem bdelliferam vidiſſe. . . *Clutia lanceolata* علوه Planta harranica, contra ſerpentum morſus commendata (*geogr. nub.* 81.). Cf. *Forsk. p.* 122.

Superſunt Gaſtromycetes duo, quorum Avicenna meminit: alter كمنج (*p.* 194.) dictus. *Tuber* certe eſt, ſub terra proveniens, magnum, reniforme, edule, album, cortice inciſo, quod in patria, regione transoxana, et in Khoraſan obſervavit. . . Alter eſt *Cyathus* غوشلة *Avic.* 2 9. tuber cartilagineum, figura cyathi, exilis, epiphragmate tectus. Eſtne *Cyathus Olla* Perſ.?

* * *

Neque abſolutus hic index neque certiſſimus manifeſto tamen docet, haud parvam plantarum utilium, aut perſicarum aut indicarum ac chinenſium ſuppellectilem, Graecis Romanisque haud cognitarum, ab Arabibus introductam fuiſſe. Centum et quinquaginta fere plantas numeravi, quarum cognitionem Arabibus debemus, quae ſi prius notis MCC. adduntur, numerus fere MCD. eruitur plantarum, quas media aetas e fontibus cognoſcere potuit: quinquaginta enim fere ab ipſis monachis aut medicis medii aevi, ceu ſpontaneae per Galliam et Germaniam inventae fuerunt. Unde, quantopere aberret Halleri iudicium a veritate patet, qui ante C. Geſnerum (1550.) octingentas tantummodo ſpecies notas fuiſſe perhibet (*Bibl. bot.* 1, 285.).

CAP. V.

LATINOBARBARA AETAS.

Qui medio aevo rem herbariam attigerunt, Arabes fere solos (eosque pessime versos), aut Plinii farraginem aut Dioscoridis miserrimam interpretationem sequuti fuerunt. Naturalium rerum descriptores antiqui quum nusquam fere clare satis et distincte semet expresserint, neque nisi obiter duntaxat plantarum formas et colores indicaverint, Latinobarbarorum desidia exemplaribus etiam caruit, quorum vestigia sequeretur. Nullus ordo, nisi alphabeticus; nulla veritas, quum male intellecta Arabum et Graecorum loca solummodo transscribere consuescerent; nulla doctrinae ratio, quum haud nova docere, sed, quae centies dicta essent, iterum repetere sui ducerent officii.

SAECULUM XII.

Arabum florentissimum et mitissimum in Hispania imperium, scholarum arabicarum celebritas et doctrinae gloria, ab undecimo inde saeculo plures adlexit Christianos e Germania, Italia, Gallia ipsaque Anglia, qui, liberaliter excepti a scholarum arabicarum praefectis, totum doctrinarum ambitum cum linguarum orientalium cognitione in patriam retulerunt. Interpretati sunt hi Arabum discipuli eorum libros, ut *Hermannus* Comes Veringensis (*Trithem. annal. hirsaug.* 1, 148.), *Ge-*

rardus Cremonenſis (*Pipin.* in *Muratori ſcript. rer. ital.* 9, 587.), Daniel *Morlaeus* Oxonienſis (*Wood. antiqu. oxon.* 1, 56.) et, qui ceteros omnes eruditione antecelluit, CONSTANTINUS AFRICANUS, Carthaginenſis. Is, poſtquam quadraginta fere annos in ſcholis Arabum degiſſet, in Montis tandem Caſſini coenobium receſſit, ubi et Arabum ſcripta latine interpretabatur et totum eruditionis arabicae cyclum in compendium redigebat (*Leo Oſtienſ.* in *Muratori ſcript. rer. ital.* 4, 455.).

Conſtantini opera (*ed. Baſil.* 1536. fol.) et librum amplectuntur *de gradibus*, in quo medicamenta omnia, ab Arabibus adhibita, licet ſatis negligenter, tractantur. Myrobalanos credit indos et citrinos ex eadem arbore venire, illos eſſe maturos fructus, hos immaturos: emblicos cum prunis componit (*p.* 345.). Paſtinacam Secacul; *Oculceam* dictam, cum Carduo mariano confundit (*p.* 352.).

Saeculo ſequente, duodecimo nimirum, monachi Salernitani, tum regione herbarum utilium feraciſſima, tum exemplo Arabum moti, qui Siciliae et Calabriae potiti erant, ſuperſtitioni antiquae doctrinam, ſanctaeque ruditati Arabum eruditionem ſubſtituere coeperunt (*Orderic. Vital.* in *Ducheſne ſcript. normann.* 477.).

Supereſt *regimen ſanitatis Salerni*, quod ſaucio regis Angliae filio Roberto verſibus leoninis di-

carunt monachi (*ed. Ackerm. Stendal* 1790. 8.). Id praeter vulgatiſſimas Italiae plantas nil fere continet, quod paullo interiorem rei herbariae cognitionem proderat. *Eſcula* (*c.* 44.) *Ackermannus* legit, quae melius *meſpila* ſunt: namque eſculus nusquam in Italia creſcit. *Athanoſa* (*c.* 66.) eſt Tanacetum vulgare: *Enula campana* (*c.* 68.) toties praedicata, Inula Helenium.

Iidem ſcholae Salernitanae adhaeſit Io. f. Matth. *Platearius ſenior*, a iuniori Piſano, ſaeculi XV. ſcriptore, bene distinguendus: quem ſaeculo XII. vixiſſe e manifeſto Aegidii Corbolienſis teſtimonio efficitur, qui ab ore huius doctoris Salernitani ſeſe pependiſſe adfirmat (*Leyſſer. hiſt. poët. med. aev. p.* 499.). Frequenter etiam noſter citatur a ſcriptoribus ſaeculi XIII., Vincentio Bellovacenſi, Alberto Magno et Petro de Creſcentiis: ipſe autem tanquam recentem memoria adlegat Conſtantinum Afrum.

Liber Platearii, qui ſupereſt, *Circa inſtans* dictus (*ed. Lugd.* 1525. 4.), ſaeculum ſapit: alphabetico ordine medicamina cuiusvis generis nominat, additis pauciſſimis novis. *Acaciam* habet ſuccum prunellarum (*Pruni ſpinoſae*): *Bauciam* dicit Paſtinacam (*f.* 228. d.). *Cretanum*, Crithmum maritimum (*f.* 233. b.). Storacem liquidam credit in Calabria reperiri (*f.* 248. c.), quo ſine dubio Dauci lucidi ſuccus ſuaveolens reſinoſo-

gummoſus intelligitur. Pro Spica celtica *Saliuncam* nonnunquam poni (*f.* 248. b.).

Primus ceteroquin *Spiraeam Filipendulam* (*f.* 237. a.), *Clematida Flammulam* (*f.* 236. d.) et *Galeopſin Tetrahit* (*f.* 251. c.) nominat.

Huius aevi ſine dubio HERBARIUS eſſe videtur, cuius nusquam mentionem invenio, niſi apud Vincentium Bellovacenſem. Arbitror autem, monachum quemdam compilaſſe ex Arabum ſcriptis et Plinio, quidquid de plantis innoteſceret. Huic autem operi eadem fere autoritas, quam Plateario et Conſtantino, tributa fuiſſe videtur.

SAECULUM XIII.

Melioris paullo conditionis ſpes adfulſit, quum civitatum italicarum, Amalfi, Genuae, Venetiarum, Piſae et Florentiae commercium adeo augeretur ac extenderetur, ut et rerum naturalium cognitioni vim et imperium proſperare videretur, et ſuperſtitionis dominium et antiquorum praeiudiciorum labefactari. Memorabilem locum invenio apud *Petrum Aponenſem*, celeberrimum vergentis ſaeculi auctorem. Is (*diff.* 67. *Concil. differenc.* Venet. 1520. fol.) de habitabili aequatoris zona diſceptans, refert, ſemet noviſſe hominem, qui in regione Çinçorum (Zanguebar) viderit ſaccum loco ſtellae polaris auſtralis: de ipſa ſibi quoque retuliſſe Marcum Venetum (Paulum), omnium, quorum

meminerit orbis, maximum circuitorem et diligentiſſimum indagatorem, et inde apportari Venetianis lignum aloës et camforam et verci (indigoferam). Fratris etiam Cordelarii e Malabaria teſtimonium adducit, quod ſol bis transeat verticem, ut nusquam umbram videre poſſis, neque ſtellam polarem borealem, niſi in ipſo horizonte.

Tantum itaque efficere ea itinera, commercii cauſſa ſuscepta, potuerunt, ut priſtina praeiudicia de terrae forma abrogarentur, meliores autem opiniones divulgarentur. Quae quidem emolumenta neſcio an ex alio quodam itinere tam copioſe manifeſtoque redundaverint, quam e longiſſima *Marci Paulli* peregrinatione. Totam enim fere Aſiam, Tatariam et Chinam et inſulas Oceani indici ab anno 1270—1295. pervagatus, carceri tandem a Genuenſibus traditus, memoriae tradidit totam itineris longiſſimi hiſtoriam (*Ramuſii coll.* 2. *Purchaſii coll.* 3.). De Curcuma, Pipere Betle, arbore turifera, camforifera, Rheo palmato, Caeſalpinia Sappan, Eugenia caryophyllata, Pterocarpo ſantalino aliisque plantis primam reliquit et optimam inter Chriſtianos relationem.

Praecefferant eum iam ordinis Minorum fratres Ioannes de *Plano Carpini* et *Gulielmus Rubruquis*, qui per borealem maris caſpii regionem Tatariam ipſamque Chinam tetenderunt (*Ramuſio coll.* 2. *Purchaſii coll.* 3. *Hakluyt coll.* 1.). Eam

itineris orientalis viam, quam primi muniverant Neſtoriani, legerunt mercatores plerique Europae borealis (*Sartorii hiſtor. civit. hanſeat.* 198. *Sprengelii hiſt. invent. geograph.* 252.). Ipſae autem merces hac via apportatae melioris indolis iudicabantur quam quae navigiis Alexandriam adferrentur (*Samut. Torſella in Bongars geſt. Dei per Francos*, 2, 24.).

Sequuti ſunt *Odericus de Porta Naonis* et Ioannes *Mandevillius* ſaeculo XIV. (*Ramuſio coll.* 2. *Hakluyt.* 2. *Reiſen und Wanderſchafften des hocherfahrnen Ioh. v. Montavilla*, Frcf. 1580. 8.), qui pauca tamen hiſtoriam naturalem illuſtrantia reportarunt. Mandevillius tamen balſami fruticem deſcribit et modum, quo verum a ſpurio distinguatur, admiſtis ubique fabulis abſurdis. Praeſtrinxit enim animum miraculorum amor, inſcitia eius aevi nutritus, ut, qui redirent a peregrinatione, *mirabilia mundi* recitare cogerentur, in coenobiis legunda et ſcholis (*Sprengelii hiſt. geograph.* 219.). His mundi mirabilibus adnumerandae *oves vegetabiles*, quarum Odericus et Mandevillius primi meminerunt (*Ramuſio* 2, 251. *b.*) quaeque ab herbariorum conſcriptoribus indubitate repetuntur. Eſſe autem, referunt Odericus et Mandevillius, in regione *Chadiſſa* fructum ingentem, quem maturum ſi diſcideris, agnum intus inveniri ſine lana, eum una cum fructu comedi. Eam

plantam, *Barometz* dictam, in Savolzenſi regione, inter Volgam et Iaik, inveniri, fabulatur Hierón. *Cardanus (variet. rer. lib.* 6. *c.* 22. *p.* 63.).

Mirabilia ea plantarum fabuloſa maxime invenies in Alberti Magni, Lauingenſis, poſt epiſcopi Ratisbonenſis, libello de virtutibus herbarum, animalium et lapidum (*Opp. ed. Jammy*, Lugd. 1651. *vol.* 5.). Adiungam optimi Conr. *Gesneri* (*praef. ad Trag.*) iudicium: „In libro de mira„bilibus mundi diverſa herbarum vocabula nomi„nantur, ſed corruptiſſima. Haec legat, qui bo„nas horas male collocare volet.“ Quam aequum ſit id iudicium, ex initio ſtatim libelli elucet. Ibi enim de *Elitropia* praecipiens, ſic nugatur auctor: „Apud Chaldaeos vocatur *Ireos*, „apud Graecos *Mantuchiol*, apud Latinos *Eli„tropia*. Huius autem virtus mirabilis eſt, quod, „ſi colligatur ſole exiſtente in leone in Augu„ſto, et involvatur in lauri folio et ſimul adda„tur dens lupi, nullus poterit contra ferentem habe„re vocem loquendi, niſi verba pacifica.“ Et paul„lo poſt: „*Calidonia* vocatur a Chaldaeis *Aquila„ris*, a Graecis *Valis*. *Provinca* a Latinis proven„çalibus dicta, vocatur a Chaldaeis *Iteriſi*, a Grae„cis *Vorax*. *Nepta* Latinis, *Greith* Chaldaeis, „Graecis *Retus*.“ Citat ineptus homo ſolum *Ma„crum* et Alexandrum Imperatorem (?) de influentia planetarum in herbas. „Affodillus herba Sa-

„turni; Poligonia herba Solis; Chynoſtates (?) Lu-
„nae; Arnogloſſa Martis; Pentaphilon mercurii;
„Acharonia, quae et Juſquiamus, Iovis; Piſterion
„(περιστερεὼν) Veneris.

Credidit *Lambecius (bibl. Vindob.* 6, 844.) antiquum librum: *Puch der Natur*, dictum nil eſſe niſi germanice redditum Albertum, ſed fallitur. Manifeſta enim adſunt indicia, eum librum anno 1349. Ratisbonae ſcriptum eſſe *(Panzeri annales german. typogr.* 83.). Albertus autem iam 1280 vivere deſiit *(Martene collect. ampliſſ.* 5, 128.).

Eodem ſaeculo vixit *Alfredus*, Philoſophus dictus, qui commentaria ſcripſit in Ariſtotelem *(Fabric. bibl. med. et inf. lat.* 1, 180.) a Bartholomaeo *Glanville (propr. rer.* 17, 1.) ita citata, ut haeream, huncne velit, an ſeniorem Alfredum, quem ſupra citavimus.

Paullo melioris indolis eſt liber ruralis, quem ſenator bononienſis, Petrus de Crescentiis, vergente ad finem hoc ſaeculo, reliquit *(Opus ruralium commodorum.* Baſil. 1548. fol.). Verſione utor, quam frater Franciſcus Argentinenſis 1493. edidit, iconibus deturpatam adeo foedis adſpectuque horrendis, ut artis progreſſus nullibi luculentius ſub ſenſus cadere poſſint, quam comparatis his figuris cum iis, quas *Humboldtius*, *Ventenatius* et *Roxburghius* nobis largiuntur.

Ceteroquin auctor non maiores ſolos legerat,

ſed uſu ipſo et experientia doctus fuit. Semetipſum menſe Auguſto inſeruiſſe ramulos mali eiusdem anni proſperrime, teſtatur. Toto libro ſecundo leges vegetationis pro more ſaeculi, at non male, exponit. Neceſſariam eſſe certam quamdam adfinitatem inter arbores inſerendas et eas, quibus inferitur: miras tamen inſitionis et fabuloſas recenſet artes. E praeſectis quercubus oriri ſalices aut populos. Bene autem de abſorbtione plantarum, quae per poros fit, de neceſſitate gemmae ad multiplicandam aut propagandam ſpeciem. Libro tertio enumerat plantas utiles, inter quas quaedam obſcurae, e. g. *Verſig*, quae Berberis *Tabernaemontano* 3, 471. dicitur, poteſt etiam Crataegus Azarolus eſſe. *Avornus* eſt ſine dubio Cytiſus Laburnum (Io. *Bauhin. hiſt.* 1, 2. 362. . . *Zizulus* (Giuggiole Ital.) *Zizyphus vulgaris*. . . *Sicomorus*, quae in Germaniae montibus creſcat. . . *Muniacus*, pruno adfinis, quae Io. *Bauhino* 1, 169. *Armeniaca* eſſe videtur. Aliae plurimae notatu dignae: Spinachiam, ab Arabibus introductam, noſter primus inter Chriſtianos occident. Memorat: ſic *Fraxinellam* (Dictamnum album), *Flammulam* (Clematida), *Tetrahit* (Galeopſin), *Zuberum* (Quercum Suber), *Sanguinum* (Cornum ſanguineam), *Acer Opalum*, *Rincum marinum* (Crithmum). Glycyrrhizae cultum et Pineae uberrime liet bene deſcribit.

VINCENTIUS BELLOVACENSIS, medii aevi Plinius, ampliſſimi operis, *Speculi quadripartiti* (ed. Lugd. 1494. fol.) tomo ſecundo hiſtoriam naturae univerſam complectitur; ſed ſcholaſticus vir et ἐκ βιβλίων κυβερνήτης nihil agit niſi Ariſtotelem, Dioſcoridem (ſic) Gallienum, Yſidorum, Macrum, Plinium, Avicennam, Platearium, Actorem, Caſſium Felicem (qualis fuerit, neſcio) citare et de oppoſitis argutiſſime diſceptare. Pauciſſima, aut nulla fere, notatu digna occurrunt. De *Bernice* arbore *(Terminalia Vernice)* primus fere loquitur, ſequens peregrinatores ſui aevi *(lib.* 13. *c.* 85. *f.* 166. d.*)* Myrobalanos tamen Graecorum *(Hyperantheram Moringam)* cum myrobalanis Arabum confundit *(lib.* 12. *c.* 79. *f.* 154. d.*)*.

SAECULUM XIV. ET XV.

Commercium Italorum florentiſſimum et itinera frequentia in remotiſſimas regiones ſimplicium cognitionem augere et amplificare debuerunt: ſed impeditum etiamnum id ſtudium fuit inſcitia vulgari linguarum. Pauciſſimi docti Arabicam linguam coluerunt, nulli fere Graecam, ut et ipſe Franc. *Petrarcha*, decus ſui aevi, queri conſueſceret, ſe, licet in Barlaami Graeci disciplinam ſemet tradiderit, a lingua tamen antiquorum Graecorum rudem eſſe *(Mém. ſur la vie de Pétrarque,* 1, 670.*)*. Maius obſtaculum fuit ſervile doctorum ingenium,

quod, exhauſtos eſſe ab Arabibus theſauros, neque novi quidquam inveniri poſſe autumaret. Arabum imperia, quam noxia ſint humano ingenio, quam turpe ſit, coecis oculis eos ſequi, qui ipſi nil ſciverint, niſi a Graecis male accepta, nemo luculentius monſtravit, fortius contendit conviciisque ipſis defendit, quam *Petrarcha (rer. ſenil.* 12, 910. 913.). Qui, doctiſſimus ſui aevi, quum ipſe Graecarum literarum rudis fuerit, facile inde efficitur, quanta fontium Graecorum fuerit inſcitia. Nihilominus quivis ſcriptorum adeo adfectavit hanc eruditionis partem, ut riſui etiam ſe exponeret. Eius rei innumera paene teſtimonia celeberrimus *Matthaeus* ſiſtit *Sylvaticus*. Sic *(c.* 300.) *Guadam* vel *Fabuciam* graece appellari millepedes: *(c.* 42.) *Amariſmam (Aneuryſma)* interpretatur Matrem ſanguinis etc. Sic *Vincentius Bellovacenſis (f.* 93. b.) *aroma* ab aris vel ab aëre derivat.

Ipſi enim fontes Graeci, Neſtorianorum et Arabum interpretationibus mutati, monachorum denique inſcitia contaminati, longe alii legebantur ab eius aevi hominibus, quam veri, textu reſtituto, ad nos pervenerunt. *Bartholomaeus Glanville* Anglicus alium habuit Dioſcoridem ac nos, ſiquidem Caſſiae Fiſtulae deſcriptionem ex eo petiit *(c.* 28:), quam haudquaquam Anazarbeus cognovit. Adſcriptum erat Dioſcoridi medii aevi integrum caput de Jaſmino, quod deeſſe in codice Cantacuzeno demum

vidit Matthiolus. Aristotelis scripta a Ioanne Damasceno exposita, in epitomen redacta, quam *summae* nomine citare solebant, longe aliena fuerunt a veris Stagiritae libris.

Pseudonymos multos citare consuerunt, *Cassium Felicem* et *Possidonium* Matthaeus Sylvaticus, *Democritum* et *Aesculapium* alii. Nomina autem haec illustria a monachis sine dubio adfectata, insciitiae eorum saeculorum adeo imposuerunt, ut oraculorum vice eorum auctoritas haberetur.

Ad hanc aevi illius labem accessit scholastica inquirendi, disserendi, scribendi ratio. In contrarias semper partes disputaturi, nullum finem alium cognoverunt illorum saeculorum homines, quam ingenii vim, ratiociniorum aciem et dialecticae exercitium ostentare: auctoritate sola celeberrimorum nominum vincti ac detenti, veritatem minus quam gloriam quaesiverunt. De plantarum anima, de rationibus earum seminalibus, et sensualitate disputantes, neglexerunt omnino naturae observationem. Hinc iure *Leonicenus (de Plinii error. lib. 2. f. 16. a.)* taxat *Petrum Aponensem*, quod, qui centaurii maioris radice continuo usus fuerit, ignorare se id tamen fateretur *(concil. differ. 100.)*.

Simon de Cordo Ianuensis et Matthaeus Sylvaticus celeberrimi sine dubio sunt scriptores huius saeculi. Ille, medicus Papae Nicolai IV. et sacerdos palatinus Bonifacii VIII., gloriatur, se

peregrinatum esse per orientem, ut plantas in loco natali observaret, quas veteres descripserint. Ea autem iactatio adeo communis est omnibus fere scriptoribus barbarorum saeculorum, ut fidere iis nullo modo possimus. Conatus est nomina plantarum et medicaminum graeca, arabica et latina cum vulgaribus comparare eoque modo exponere. Male vero id tentamen plerumque cessit, cum expers literarum, rudis etiam a rerum ipsarum cognitione esset. Edidit „*clavem sanationis*, simplicia me„dicinalia, latina, graeca et arabica, alphabetico „ordine elucidata. Venet. 1514. fol.“ cuius praecipua pars rediit cum Matthaei Sylvatici opere.

Is *(Matthaeus Sylvaticus)* Mantuanus, Salerni commoratus erat, ubi „Colocasiam colere in vi„ridario suo secus spectabilem fontem“ adfirmat *(c. 197.)*. Ipse etiam semina *Cantalidis (? Athamantae cretensis)* e Graecia adferri curavit et in horto suo coluit *(c. 133.)*. Sardiniam etiam viderat et Montem pessulanum *(c. 181. 528.)*. Dein Milani artem medicam exercuisse dicitur, anno autem 1317 conscripsit opus „Pandectarum medici„nae Lugd. 1534. fol.“ in quo explicantur nomina graeca, arabica et latina plantarum aliorumque simplicium, quae tunc temporis adhiberentur. Id opus licet *Reinesius* laudibus immeritis extollat *(var. lect. 3, 18.)*, equidem nil nisi inscitiam auctoris pauciſſimasque coniecturas video, quibus ad expli-

canda arabica plantarum nomina uti poſſimus. Simon lauuenſis Algam paluſtrem vocat Nenufar (*Nymphaeam*) et alio nomine Caccabum Veneris et Papaver paluſtre. Noſter ingenue fatetur, „Ara„bes non multum curare in omnibus iſtis herbis, „unumque pro alio ponere, ſi easdem virtutes ha„bere credant“ (*c.* 122.). Ipſe tamen omnem operam impendit, ut confuſionem vitaret pernicioſam. Quaeſivit ab Hiſpanis, Arabibus et Graecis, quaenam intelligerentur plantae ſub receptis nominibus (*c.* 180. 521.). Neque tamen, qui ipſe careret rerum et linguarum cognitione, finem ſuum attingere potuit.

Agrifolium (*c.* 21.) commutat cum Loto Graecorum, latine vero dici *Ciceraſo*. *Thoram* habere flores violaceos et *Anthoram* ſubrubeos (*c.* 45.). *Apii* duodecim ſpecies numerat, inter quas et Ranunculus ſardous (*hirſutus c.* 48.). Caballum marinum (*c.* 117.) inveniri nugatur in Ypotamo, fluvio Meſopotamiae, quae media regio ſit inter Scirtim et Euphratem. Tormentillam differre arbitratur *Simon* a Quinquefolio, quod illa habeat folia ſeptena, intelligit itaque *Potentillam rectam*. Mire confundit (*c.* 167. 168.) Ciſtum, Hederam et Lablab: Caprifolium, Oxyacanthum et Lycium (*c.* 259.): Iſatidem et Rubiam tinctorum (*c.* 366.): Inulam et Laſerpitium Chironium (*c.* 375.).

Meliora pauciſſima ſunt. Ad Amalfi oppidum

ſophiſticari Agallochum radice Chamaeleae, quae vero laxet, cum Agallochum adſtringat (*c.* 30.). Bacham Arabum (*Caeſalpiniam Sappan*) manifeſto *Preſillum* lignum, longe ante detectam Americam vocat (*c.* 82.) Buzeidem eſſe Satyrii bulbum (*c.* 116.) Saliuncam non raro pro Spica celtica poni (*c.* 616.). Bene Simon ſaccharum Arabum a Graecorum ſimili ſubſtantia differre arbitratur, immerito ob id taxatus a *Leoniceno* (*de Plinii error. lib.* 4. *f.* 55. a.).

Editor Baptiſta *Sardus*, Papienſis, addidit nonnulla nova. Sic de Fragariae uſu (*f.* 170. d.) loquitur: Carduum ſtellatum, Lyſimachiam Nummulariam (*Graſſula lunaria*), Gratiolam officinalem, Thapſiam garganicam deſcribit.

Bartholomaeus Glanville, comes Suffolciae, ordinis Minorum monachus, *de proprietatibus rerum* volumen conſcripſit (Argent. 1491. fol.), quod Caroli V., Galliarum regis, iuſſu ſacerdos ipſius palatinus Io. *Corbichon* gallice interpretatus eſt (Lyon 1482. fol.). Hinc, quam immerito compilator quidam (*Mélanges, tirés d'une grande biblioth.* 10, 202.), Corbichonem ipſum faciat auctorem, patet.

Noſter totum librum XVII. plantis dicavit, iis autem ſolis, quae vel in ſacra ſcriptura vel in gloſſis occurrunt, non neglectis tamen aliis vulgaribus. Auctores citat Ariſtotelem, Dioſcoridem, Pli-

nium, Iſidorum, Alfredum, Platearium et Albertum: illos vero alios, ac nunc leguntur. „Calami „ſcripturales“ ex Arundine Donace iam tum diu obſoleverant (1, 31. Cf. *Beckmanni hiſt. invent.* 3, 56. 4, 297.). Sexuum coniunctionem in plantis haud agnoſcit, cum rationem in ſe feminalem contineant, per quam ex ſe producendi ſpeciem ſuam habeant potentiam. Allium bene a cepa et a lilii bulbis discriminat: bene cyprum Cant. 1, 14. deſcribit. Dudaim Leae fuiſſe Mandragoram. Primum (Quercum Ilicem), prunum et lentiſcum confundit.

Iacobus DE DONDIS, Ioannis, Petrarchae amici *(rer. ſenil.* 6, 897. 15, 1053.) filius, Patavinus, *aggregator* dictus, librum de ſimplicibus conſcripſit, quod ſine loco et anno editum habuit *Trewius (praef. ad Blackwell. herb.* §. 16, 7.).

Coram eſt editio Veneta 1499. 4., quae foliis CL et aliquot non numeratis conſtat. In praefatione dicitur ipſe liber: *Aggregator practicus de ſimplicibus*, ad finem vero: *Herbolarium de virtutibus herbarum.* Alphabetico ordine plantae nominantur, adiunctis virtutibus medicis, ex Arabibus et Plateario etc. Adſunt icones, rudes eae quidem et ligno inciſae, ſed praeſtantiores omnibus illis, quae in aliis herbariis occurrunt. Pro Acoro eſt *Iris Pſeudacorus*, quae repetitur etiam ſub Ireos. Ariſtolochiae longa et rotunda ſunt ve-

rae, nec quas Germanici habent herbarii, Fumaria. Branca urſina eſt Heracleum Sphondylium. Capillus Veneris eſt Aſplenium Ruta muraria. Coriandrum, Cyperus, Lavandula, Siler montanum (*Laſerpitium ſilaifolium f.* 124.), Serpentaria (*Arum Dracunculus f.* 127.) oſtendunt, auctorem fuiſſe Italum et plantas vivas delineaſſe. Optimae etiam figurae Fragariae et Gentianae luteae. Hedera terreſtris forte Veronica eſt hederaefolia: Hermodactylus, Colchicum: Naſturtium aquaticum, Sium anguſtifolium. Peſſimae tamen figurae Dauci cretici, Menthae, Granorum Solis, Mandragorae (tamen non fabuloſa, ut in herbariis aliis), Paeoniae, Sinapis, Spicae celticae et nardi. Adiecta eſt enumeratio laxantium, ubi Bartholomaeus Anglicus ſaepius citatur.

Alia editio multo vetuſtior ſ. l. et a. exſtat in bibl. Göttingenſi, ubi et titulus et praefatio deeſt, icones etiam multo peiores.

In eadem etiam bibliotheca ſervatur belgica interpretatio ſine titulo, anno 1484 impreſſa, multo abſolutior aliis, quas vidi editionibus. Continet enim praeter laxantium etiam aliorum ſimplicium enumerationem. Icones fere eaedem ſunt, quas antiqua latina continet, pauculis aliis adiectis.

Solent nonnulli (ut *Mittarelli Biblioth. cod. cc. p.* 28.) Arnaldo Villanovano tribuere, cum prooemium eius nomen ferat. Sed citata Arnaldi

verba ſequuntur. Plures editiones, 1520. 4. 1522. 4. italice mihi in literis humaniſſimis indicavit Cl. collega Patavinus, Ioſ. Ant. *Bonatus*.

Amicitiae humaniſſimi *Schrankii*, collegae Landshutenſis, acceptam refero editionem fere antiquiſſimam: „Aggregator compilatione clariſſimi phi„ſici Iacobi de Dondis civis.“ Venet. 1481. fol. In praefatione ipſe fatetur, ſe anno 1355 hunc librum conſcripſiſſe. Alphabetico ordine perſequitur ſimplicia, ſine ulla deſcriptione: vires et uſus ex Arabibus et Latinobarbaris, ad ipſum usque Simonem Ianuenſem exſcribit, nullo adiecto iudicio: dispoſitio operis ſecundum uſus medicos.

Alium longe tenorem habet, quam e Trewiana bibliotheca mecum benigne communicavit Vogelius Altorfinus, editio Veneta 1543. fol. Ad ſolas qualitates primarias et ſecundarias et ad virtutes contra morbos index medicaminum ſecundum Arabas et Arabiſtas inſtitutus eſt.

Eodem ſaeculo Conradus quidam *de Megenberg*, Canonicus Ratisbonenſis, interpretatus eſt *librum naturae (Puch der Natur)*, quem eumdem eſſe cum Alberti Magni tractatu ſupra citato, *Lambecius* falſo autumat (*bibl. Vindob.* 6, 844. Cf. *Panzer. Annal. der deutſch. Liter.* 1, 83.). Edita autem eſt haec interpretatio 1475. Auguſtae Vindelicorum et 1482. bis eodem anno.

Initio saeculi XV. vixisse videtur *Christoph. de Honestis*, Florentinus, prof. Bononiensis; cum *(expos. in Mesuen, f.* 98. a.*)* Thomam de *Garbo* praeceptorem suum vocet, qui obiit 1370 *(Petrarc. senil.* 12, 2. *p.* 1007.*)*. Commentaria Christophori in antidotarium Mesues cum Marini editione Venet. 1562. fol. impressa pauca continent notatu digna. Loco Secacul Arabum sumebant aevi eius officinae Sigillum Salomonis.

Huius libri ad exemplar conscriptae sunt numerosae editiones *horti sanitatis*, quae saeculo XV. prodierunt. Editionem latinam Moguntinam, a Iac. *Meydenbach* curatam 1491. fol., aliam vulgari sermone Saxoniae inferioris conscriptam Lübec. 1492. fol., tertiam teutonicam, Io. *Schönspergeri* opera Augsburgi 1488. 4. typis impressam, coram habeo. Alphabetico ordine plantas recenset, in praefatione peregrinationes iactantur, per Graeciam et Orientem, socio pictore, susceptas, quas de se ipso gloriatur auctor Lübecensis, Magister Io. *van Cube (c.* 568.*)*, de alio quodam „domino no„bili" Moguntina editio. Ioannem *Cubam* autem medicum Francofurtanum fuisse, editio Francofurtana Egenolfii 1533. testatur. *Arndes*, civis Lubecensis impulsu editionem nostram factam esse, ipse auctor fatetur. Icones ligno incisae pleraeque eaedem, nonnullae tamen penitus diversae, passim meliores Lübecenses. Ipse textus nonnunquam pe-

nitus alienus, quod ut luculentius pateat, ſigillatim perluſtranda eſt utraque priori loco citata editio.

Moguntina.	Lübecenſis.
c. 14. De Allio citatur Vincent. Bellovac.	c. 4. nil de eo.
c. 34. Apium ſylveſtre eſſe Hippoſelinum (Smyrnium Olus atrum.).	c. 7. confunditur cum Ranunculo hirſuto.
c. 36. Apium haemorrhoïdarum videtur Ranunc. Ficaria.	c. 9. idem.
c. 40. Ariſtolochia rotunda eſt Fumaria bulboſa.	c. 10. idem.
c. 7. Aſſodillus eſt Iris florentina, citantur Dioſcorides et Iſidorus: ſeptem facultates.	c. 20. Citatur Avicenna et 19 facultates.
c. 6. Acorus, figura mala.	c. 21. figura melior.
c. 21. Ambroſia, deſcriptio et icon mediocres.	c. 22. figura peſſima.
c. 4. Acacia eſt Prunus ſpinoſa, cum icone mediocri.	c. 26. figura peſſima.
c. 26. Anacardus, figura imaginaria.	c. 33. idem.
c. 18. Aloë, icon corolla tetrapetala, foliis integerrimis. Iſidorus citatur.	c. 35. eadem icon. Iſidorus fere nusquam citatur, ſed Bartholomaeus Anglicus.
c. 22. Amomum eſt Geranium robertianum.	c. 51. figura alia, ſed mere arbitraria.
c. 132. 434. Conſolida maior ſ. Symphytum peſſime delineatur.	c. 107. multo melius.

Moguntina.	Lübecenſis.
c. 133. Conſolida regalis ſ. Delphinium peſſime.	c. 108. optime.
c. 89. Cardus eſt Dipſacus fullonum.	c. 110. Idem tamen c. 288. ſub Labro veneris et 519. nomine Virgae paſtoris occurrit.
c. 450. Caulis Spinachia: peſſime.	c. 161. 471. *Heydenſch kal* bis, melius.
c. 157. Diptamnus eſt Convallaria multiflora.	c. 169.
c. 188. Fraga, non male.	c. 213.
c. 222. Hermodactylus eſt Leontodon Taraxacum.	c. 248.
c. 247. Laureola, Daphne non male.	c. 286. Laurea, fig. arbitraria.
c. 276. 277. Mandragora, cum radice virum et mulierem referente. *).	c. 306. 307.
c. 338. Paeonia, peſſima figura.	c. 364. non mala.
c. 392. Ribes (Arabum dicitur) ſed noſtrum eſt; figura mala.	c. 427. figura melior.
c. 395. Rododendron eſt Roſa.	c. 432.
c. 458. Scolopendria, figura mala.	c. 445. figura melior.
c. 486. Verbena peſſima.	c. 514. non male.

*) Inſignis monachorum Φενακισμὸς, quo e radice homuncionem aut femellam ſculpſerint, relicto capillamento radicularum, talemque radicem velut naturalem, vendiderint ſaepe 30 aureis nummis, exponitur ab *Amato Luſitano (in Dioſc. p. 432.)*.

Utraque ceteroquin editio exteras plantas fere omnes imaginarias arbitrariis iconibus exprimit, Asam foetidam, Balauſtiam, Myrobalanos, ipſum Napellum, Piper, Rhabarbarum, Oryzam (*Rizum*) Scammoneum, Schoenanthum, Tamarindum, Thapſiam, Zedoariam, Saccharum. Lübecenſis editio pauca habet, quibus caret Moguntina: e. g. Flores frumentorum (*Centauream Cyanum*), Cubebas et Diapenſiam (*Saniculam.*). Auguſtana editio minorem habet utraque numerum (434.).

Aliam editionem, *Herbarii* nomine Moguntiae 1485. officina Fauſtii Schoyfferique editam recenſet *Trewius* (*praef. ad Blackwell. herbar. §. IV. n. 1.*). Ea nonnihil differre a noſtra utraque videtur. Namque Tamarindi loco, ubi noſtrae habent Umbelliferam, Herbarius habet Tanacetum; Apollinariae nomine, quae Scribonio Largo hyoscyamus eſt, et hic et in noſtris Conium maculatum dicitur, Herbarius habet Tuſſilaginem. Hunc Herbarium vocat Brunfelſius Hieronymum continuo ab ipſo citatum. Eſt ſine dubio

Hieronymus *Brunsvicenſis*, chirurgus Argentinenſis, cuius *liber de arte deſtillandi* easdem fere plantas ipſasque icones continet, quas in Orto ſanitatis videmus. Eumdem itaque librum eſſe recte iudicant C. *Gesnerus* (*praef. ad Trag.*) et *Trewius* (*praef. ad Blackwell.*). Prima editio Brunſuicenſis libri eſt Argent. 1500. fol. Invenio in an-

tiquitatibus botanicis non parum defudaſſe. Namque Gentianam Cruciatam primum a ſe delineatam credit *Borith* eſſe Ebraeorum. Eam vocem Io. Mich. *Langiús* Altorf. 1705. et Ol. *Rudbek* Upſ. 1722. uberius illuſtrarunt. Herba non eſt, ſed vel ſapo, vel purpura.

Ridiculum plane errorem committit Hieronymus, ubi de *Sambuco* loquitur. Eum enim eſſe triplicis coloris, albi, lutei et rubri perhibet. Legerat autem literarum rudis homo *Sambacum (Jaſminum)* Arabum, ab Arabum commentatoribus cum Leucoio commutari. Leucoia autem dividebat id aevum in alba *(Leucoium L.)*, lutea *(Cheiranthus Cheiri)* et rubra *(Cheiranthus annuus.)*.

Numeroſas editiones, titulo parum mutato, variis linguis, omitto, quippe quae a *Trewio*, *Hallero* et *Panzero* uberrime recenſentur.

Novas tamen figuras, naturae magis congruas, novam etiam praefationem continet, quam Eucharius *Rhodion* cum Chriſt. *Egenolfio* Francofurti ad Moenum 1533. molitus eſt. Icones has ſeorſim etiam edidit bibliopola, titulo: Herbarum imagines vivae 1535. et 1536. 4. In easdem commentatus eſt Theod. *Dorſtenius*, medicus Caſſellanus, in *Botanico* Frcf. 1540. fol., ſed nulla fere augmenta ſcientiae, quae id tempus iam attulerat, conſpicua ſunt.

Inſunt eaedem figurae Egenolfianae, additis

Brunfelſianis, Tragianis et Fuchſianis, etiam Dioſcoridi, qui ex interpretatione *Ruellii* a *Ryffio* 1543. editus eſt. Transierunt denique etiam in Adami Loniceri, qui Egenolfii gener fuit, opera, de quibus infra.

Ortolfum de Bavaria Heydenberger pariter huc refero, quum liber eius de medicinis ſimplicibus „*Arzneybuch*“ Aug. Vind. 1488. 4. ſine figuris nomina plantarum officinalia ſola et vires e Plateario et Alberto contineat (*Trew. ad Blackw.* §. 11. *Panzer Ann. d. deutſch. Lit. p.* 98.).

Huc et *Johannes Tollat von Vochenberg*, prof. Viennenſis ſaeculo XV., cuius „Meiſterlich Büchlin „der Arzney und Krütter“ *Schrickius* quidam 1497. f. l. forma quarta minore edidit. (*Panzers Annal. der deutſch. Liter. p.* 228.). Alphabetico ordine plantas latino pariter et vernaculo ſermone recenſet, nil niſi vires medicas, fabuloſas eas plerumque et abſonas, addens. Ortus fere eſt ſanitatis in compendium redactus. *Ambroſia* dicitur Hyrſwurz oder lange Garben oder wilde Salven. *Anthera* das gel Sämlin in den Roſen. *Berberis* eſt Pferſich (Perſica.) *Quititana*, Sunnenglanz, quae in Sicilia creſcat, ignota. *Ribes Ioannis* (rubrum) primo hic occurrit.

Huius aevi eſt Matth. *Platearius*, cuius commentaria in Nicolai Praepoſiti Antidotarium cum Meſue Venet. 1562. fol. impreſſa ſunt. Aevi in-

ſcitia ubique patet. Saliuncam arbitratur ſemen herbae eſſe, lignum aloēs a Nilo deferri in Indiam. Matthaeum Sylvaticum et Simeonem Ianuenſem ubique citat. Saccharum ipſius aetate in Sicilia et Hiſpania colebatur *(f. 374. c.)*.

Manfredus de Monte Imperiali librum ſcripſit de *ſimplicibus*, qui in bibl. Pariſina latet *(Fabric. bibl. med. et inf. lat. lib. 12, 38.)*. Eum vidit Iacobus *de Manliis*, picturis ornatum. *Tunici* nomine primum auctor mentionem fecerat, *Dianthi* noſtri Caryophylli *(app. ad Brunfelſ. herb. p. 167.)*. Qua aetate Manfredus vixerit, non patet.

Ipſe Ioann. Iacob. *de Manliis*, Alexandrinus (Italiae) ſaeculi XV. ſcriptor ſine dubio eſt, neque Anton. Guainerio, Ticinenſi (1440.) multo iunior. Edidit explanationes difficiliorum herbarum, quae in officinis exſtant, in appendice ad *Brunfelſium (ed. Argent. 1532.)* impreſſas. Idem ſine dubio *luminare maius*, Lugd. 1536. 4. Ticini omnino vixit, et ipſos Caryophyllos (Dianthum) in Lombardia ſponte creſcentes bene illuſtrat. Ridet iure ſuo herbarios officinarum, quos lumina apothecariorum male lucentia appellat. Spectat ſine dubio *Quirici de Auguſtis Torfanae* lumen apothecariorum, quod denuo prodiit Venet. 1549. fol. Scabioſam quoque delineat Succiſam *(p. 173.)* veteribus ignotam. Herbam Paralyſis minorem Margaritae vocat, quae Bellis eſt perennis *(p. 171.)*. An-

gelicam etiam Archangelicam primus videtur obſervaſſe et Gratiolam officinalem, quam bene deſcribit. De filicum feminibus, quae ſagae inveſtigent, nil addit, niſi ingenue fatis: „Deum melio„ra ſcire.“ *Filium ante Patrem* dicit *Inulam*, cuius rami inferiores floriferi altiores ſint, vel *dyſentericam*, vel *ſalicinam*, vel etiam *britannicam*. Bonus homo oleum perdit et operam, dum Matthaeum Sylvaticum et Simonem Genuenſem (Pandectarios) cum veteribus conciliare ſtudet. Meruit tamen laudem Euricii Cordi *(botanol. p. 18.)*.

LIBER IV.

REI HERBARIAE POST RENATAS LITERAS INSTAURATIO.

CAP. I.

VETERUM FONTIUM EXAMEN.

Duabus potiſſimum cauſſis tribuenda eſt nova vita, quae, poſt tot ſaeculorum altiſſimum ſomnum, omnem excitavit ſcientiarum ambitum fructusque tulit laetiſſimos; fontium nimirum, e quibus melior ſtudiorum ratio fluit, examen et novarum orbis terraquei regionum inventio. Barbara enim aetas, Arabum unice ſequax, nil unquam adfectavit, nil cupivit, niſi quae Arabes dixerint, in epitomen redigere, commentariis illuſtrare, quae vero nunquam res ipſas exponerent, ſed nomina tantummodo, absque ipſius linguae cognitione, interpretarentur. Acceſſit ad hanc inſcitiam egeſtas ipſa rei herbariae, ex Arabicis ſcriptoribus hauriendae. Ecquis enim negabit, quas ipſi haud cognorunt, etiam aliis pateſacere eos non potuiſſe! Namque duplici

interpretatione, ſyriaca ac arabica, acceptis plantis, quae aliud agnoſcerent clima, fieri aliter non potuit, quam quod Arabum ſcriptores, a naturae ſtudio plane alieni, in ſumma ubique verſarentur caligine.

Labem totius rei herbariae, quae inde neceſſario ſequebatur, eo deſperatiorem invenimus, quo graviora ſaluti humanae damna contraheret. Exemplo ſit arſenici cum cinnamomo commutatio. Hoc enim ab Arabibus nomine *Dar-ſini* praedicatum, a *Nicolao Myrepſico* (*ſect.* 32. *c.* 21.) ἀρσένικον redditur, unde plerique ſeriores perniciosum venenum habent aroma pretioſum. Sic etiam Averrhoïs interpres *Harmel* Arabum, quae *Peganum* eſt, Cicutam reddiderat, noxio inſigniter errore.

Tot tamque periculoſi errores dilucidari non potuerunt priusquam ipſi antiqui fontes examini ſubiicerentur. E Theophraſto et Dioſcoride omnes ſeriores hauſerant, illorum textus, latentes vel corruptiſſimi, protinus inquirendi, reſtituendi erant, ut, quaenam verae ſint plantae antiquitatis, clare pateret. Quo facto demum erui poterat, quid adiiciendum ſit veterum cognitioni, quaeve partes ſcientiae inprimis excolendae.

Civitates Italiae, opibus et copiis affluentiſſimae, florentiſſimo commercio celebres, ſuorum civium opulentiſſimorum moderamine rectae, ſcientiarum

reviviſcentium nutrices primae fuerunt. Amabilem, quam *Guicciardinus* in hiſtoriae ſuae initio delineat, imaginem totius Italiae, proſperitatis, opulentiae, liberalitatis, libertatis, ſecuritatis publicae, legat, qui de felicitate illius aetatis dubitet. Florentiam inprimis, a Mediceis imperatam, confluxerunt ingenia omnia: liberalitas Coſmi et Laurentii Medicei adlexit ex ipſa Graecia eruditos homines, quos donis cumulabant, ut Graecarum literarum initia docerent. Emanuel Chryſoloras Italos plures inſtruxit, ut ab eo fere primordia reſtitutarum literarum proficiſci viderentur. Magna nomina et illuſtria, Demetrii Chalcondylae, Theodori Gazae, Ioannis Laſcaris, Ioannis Argyropyli, Marci Muſuri, Beſſarionis, Georgii Trapezuntii, a quorum ore pependerunt Italiae fere omnes eruditi. Ab his enim Graecis docti Leonardus Aretinus, Poggius Bracciolinus, Laurentius Valla, Franciſcus Philelphus, Nicolaus Perottus, Hermolaus Barbarus, Angelus Politianus, Marſilius Ficinus, Pomponius Laetus, Thomas Linacer, Nicolaus Leonicenus, Marcellus Vergilius, Guarinus Veronenſis, Ioannes Auriſpa, Nicolaus Nicolus, veterum codices ſtudioſiſſime collegerunt, textum reſtituere, interpretationes corrigere commentariisque novis illuſtrare ſategerunt. Franciſcus Philelphus inter eos, Emanuelis Chryſolorae gener, ex Oriente poſt longam peregrinationem redux, a

papa Eugenio, rege Alfonſo, Laurentio Mediceo et Franciſco Sforza liberaliſſime exceptus, ingentem librorum Graecorum copiam ſecum attulit. Nicolaus Nicolus octingentos codices collegit, e quibus bibliotheca Marciana orta eſt. Ioannem Laſcarim, naufragum munificentia ſingulari exceptum, Laurentius Mediceus ad conquirenda volumina Conſtantinopolin bis ad Bajazetum miſit, nec defuit honeſta petenti barbarus imperator. E ruinis denique Conſtantinopoleos libri ſervati ad eumdem Laurentium Mediceum transierunt, qui inde bibliothecam celeberrimam Mediceo-Laurentinam fundavit.

Et noſtrae ſcientiae incunabula eodem ſtudio collecta fuerunt, examinata et edita: quo potiſſimum nomine meruerunt *Theodorus Gaza* et *Georgius Valla*. Is, Theſſalonicae honeſto loco natus, cum Graecia in praecipiti eſſet, Italiam aufugit, ſecumque attulit et Ariſtotelem et Theophraſtum: utrumque latinitate donatum ita edidit, ut facundiam magis quam rerum cognitionem proderet. Plinium enim ſequutus eosdem fere errores commiſit, quod bene Leonicenus animadvertit. Nimio etiam ſtudio augendae latinae linguae deceptum fuiſſe queritur Euric. *Cordus* (*botanol. p.* 34.).

Georgius *Valla* Placentinus, Graece doctus, in epitomen redegit omnes fere Graecos auctores, qui de medicina et materia medica tractaverant (Venet. 1501. fol.), eo quidem aevo utile opus,

quod vero pariter mediocrem rerum cognitionem prodit ac Theodori Gazae interpretationes.

Nihilominus novi conatus non ſine uſu fuerunt. Horum enim virorum veſtigia preſſerunt alii, qui errores eorum detexerunt, emendarunt, veteresque puriori ſermone reſtituerunt.

Primus inter eos fere fuit *Hermolaus Barbarus*, e nobiliſſima Veneta ſtirpe, reipublicae patriae orator apud Imperatorem et papam, dein Patriarcha Aquilegienſis, invita patria, fuit († 1493.). Plinium is ſibi caſtigandum elegit, animadverſiones autem criticas edidit (*Caſtigationes Plinianae* 1492. fol.), parum maturum opus, quum viginti tantummodo menſibus id conſcripſiſſe fateatur; gloriatur tamen, ſe plus quam 5000 errores Plinii emendaſſe. Inficiari quidem nequimus, manifeſtas Plinii hallucinationes Hermolao ſuboluiſſe: manifeſtos herbariorum errores non paucos correxiſſe, ſedulo comparaſſe fontes, e quibus hauſerat Plinius: neque tamen herbarum cognitione adeo polluit, ut illuſtrare omnes tenebras, difficultates omnes removere potuerit.

Recte quidem vidit, Plinium confudiſſe Betonicam cum Britannica, πράσον (Porrum) cum πρασίῳ (Marrubio). Aeque tamen ac Plinius hallucinatur in Xanthio et Aparine, quas distinguere non audet; in Coronopo, ad quem herbam ſardoam (Ranunculi ſpeciem) refert; in Empetro ſ. Saxi-

fraga. Bene ceteroquin deſcribit herbam Paralyſis (Primulam veris), Margaritum (Bellim perennem) et Roſam moſcheuton (Althaeam roſeam).

Minoris etiamnum momenti inſtar habent Explicationes difficilium Plinii, quas *Robertus de Valle* Rothomagenſis 1500. 4. Pariſiis edidit. Corruptae voces, ex herbariis potius ſumtae, aut e Matthaeo Sylvatico, docent, Plinium, quem legit, non noſtrum caſtigatum eſſe, ſed monachorum mala induſtria contaminatum.

In Dioſcoride primus operam collocavit *Marcellus Vergilius* Florentinus, reipublicae patriae ab epiſtolis († 1521.). Is ope codicum antiquorum, quos Laurentius Medices collegerat, omnia capita Dioſcoridis, innumeraque loca, quae antiqui miſcuerant et peſſime reddiderant interpretes, emendare inque priſtinam puritatem reſtituere ſategit. Commentaria ipſius in Dioſcoridem Florentiae edita 1518. fol. taxantur quidem a *Manardo (epiſt. 8, 3.)* quod verborum potius contineant correctiones quam rerum illuſtrationes. Marcellum enim noſtrum Manardus dicit hominem, in poëtarum libris et oratorum magis verſatum quam in medicis. Merito etiam Marcello obiicitur, quod ubique Hermolaum reprehendat, et ſaepius iniuria *(Manard. epiſt. 10, 1.)*. Negari nequit, confundi a noſtro nonnunquam vulgares Italiae plantas, ut Cunilae, Conyzae et Origani ſpecies; ignorari Erodium ci-

cutarium, frequentiſſimam herbam; diſſenſum veterum de Malva et Althaea haudquaquam componi; Lavandulam noſtram pro Nardo celtica haberi. Neque tamen eo minus Helleri iniurium eſt iudicium, Marcelli commentaria ſtirpibus minus cognitis exponendis non inſervire. Sedulo certe noſter plantas haud paucas ipſe examinavit et cum veterum deſcriptione comparavit. Quum Arum vulgare maculatum priores herbarii plerumque cum Dracunculo confudiſſent, hunc noſter primus verum vidit et egregie deſcripſit. Primus riſit fabulas de radice ἀνθρωπομόρφῳ Mandragorae. In violis veterum dilucidandis magnopere deſudavit. Vaga nomina et harum et narciſſorum eſſe bene cognovit: invenit duas Narciſſi ſpecies in Apennino, N. *biflorum* et *calathinum*. Xanthium, Agrimoniam Eupatoriam et Vineam, cum Chamaedaphne a maioribus commutatam, optime illuſtravit. Defenditur a *Fuchſio* in *epiſt. nuncupatoria ad hiſt. ſtirp.*

In horum virorum numero fulget praeprimis ac ſplendet eximium Nicolai Leoniceni ingenium, viri et doctrinae copia et acumine ingenii et linguarum veterum uſu excellentis. Vicentinus is, Ferrariae per longam annorum ſeriem ſapientiam profeſſus, donec centeſimum fere annum agens e vivis receſſit. Feliciſſimus ſenex, poſt aliorum certamina, adiit etiam veteres, Plinium-

que et Arabes, ut compilatores, quibus rerum defuerit cognitio, repraesentare studuit (*Opuscula.* Venet. 1530. fol.). Maxime Serapionem adgressus est, utpote cuius erroribus tot tamque insignia damna in salutem humanam manent: passim tamen etiam Plinium adgreditur. Aristolochiae rotundae radicem cum Cyclamine commutari, hoc enim ad pisces enecandos adhiberi. Fraga trifoliata male confundi cum Trifolio fragifero. Bene vidit errores Arabistarum miscentium Isatida cum Indigofera et Dolicho Lablab. Carpesium Galeni alienum esse a Cubebis. Lolium tritico noxium eodem modo perperam Plinius dixerat, quo Cuscutam aliis plantis, circumligando nempe, quod noster taxat: licet Hermolaus Plinium excusare conetur. Hederam et Cistum male confundi a Plinio. Cassiam Fistulam veteribus incognitam fuisse, male pro ea haberi Siliquam dulcem (Ceratoniam.)

Saepissime ceteroquin bonus senex repetit, quae semel dixerat; taxat etiam Arabes, absque ulla linguae notitia. Sic Avicennae obiicit Chamaelaeum cum Chamaeleonte commutasse; Serapioni, Turbith suum (Seseli) idem feciisse cum Tripolio Dioscoridis (Plumbagine.). Male saccharum Arabum Graecis iam fuisse notum. Saliuncam et Nardum celticam, quam optime Plinius distinxerat, eamdem esse plantam.

His quidem audacibus eo aevo sententiis factum

eſt, ut multae acerrimaeque lites ſuscitarentur. Cum Hermolao quidem Barbaro amice actum eſt, confabulari uterque conſuerat in palatio Herculis Eſtenſis Ferrarienſis, liberaliſſimi principis, et ipſe fatetur Leonicenus, adeo ſe cum Hermolao ſentire, ut Barbarus vel leonizare vel Leonicenus barbarizare ſibi videatur. E vita etiam disceſſit Hermolaus, priusquam Nicolaus opere ſuo perfunctus eſſet.

At *Pandolphus Collenutius*, Peſarenſis, orator eiusdem ducis Eſtenſis, occiſus a Storza 1504., indignus certe adverſarius, arma cepit contra Leonicenum, nec plantas ſatis nec hiſtoriam artis cognoſcens (*Plinii adverſus Leonicenum defenſio in append. Brunfelſ.*). Plinium a Dioſcoride non hauſiſſe temere audet praecipere, quod veritati ſatis contrarium eſt. Neque tamen reticendum eſt, pauculas notatu dignas animadverſiones ab ipſo proferri. „Qui de herbis dicturus eſt, eum ego non „tam librorum quam telluris, non tam literarum „quam agrorum ſtudioſum eſſe oportere cenſeo. „Nec ſatis eſſe ad herbariam perdiſcendam tradendamque, herbarios ſcriptores legere, plantarum videre picturas, graeca vocabula inſpicere, „magiſtri unius verbis addictum eſſe, ſed ruſticos montanosque homines interrogare oportet“ (*p.* 111.). Saliuncam bene a Nardo celtica distinguit. Bene animadvertit in codice Pliniano, a

Guarino Veronenſi caſtigato, Hypociſtidem dici non ad Hederae ſed ad Ciſti radicem creſcere. Saniculam pictam vidit in Herbario Veneto, ſed male eam cum Pentaphyllo coniungit. De eo loquens *Amatus Luſitanus (in Dioſcor. p.* 106.) relegandum putat ad ſuos iuris conſultos.

His tempore fere aequalis fuit *Ioannes* MANARDUS, Ferrarienſis, Pici Mirandulani principis, Ladislai Pannoniae regis et Lodovici archiater (*nat.* 1462. † 1536.), doctiſſimus certe vir, qui tum Meſues ſcripta ſuis commentariis illuſtravit, tum Marcelli Vergilii verſionem Dioſcoridis ſigillatim correxit (*Epiſtolae medicinales*, Baſil. 1540. fol.).

Acriter in Arabas invehitur, quorum res herbaria maxime egena et a Graecis mutuo accepta ne intelligi quidem ob linguae inſcitiam poſſit. Liberaliter ceteroquin et humaniter Hermolai Barbari partes contra Marcellum Vergilium tuetur, ipſe etiam plantas examinavit. Sic Halixon vidit in maritimis Umbriae (9, 3.) monſtrante Ulyſſe Lanziano, rei herbariae perito. Centauream Rhaponticam et Rheum Rhaponticum ipſe acceperat et probe distinguit (5, 5.). Panax tantum Heracleum vidit in horto monachorum et Ieſuatorum Ferrariae (9, 3.). Lilium convallium bene deſcribit, quod ſaepe commutatum ſit cum Hemerocalli Dioſcoridis: fallitur tamen, dum hanc cum Fraxinella

(*Dictamno*), Polygonato (*Convallaria*) et Secacul (*Paſtinaca*) iungit (9, 4.). Azarolum latere ſub Meſpilo antiquorum: ortum eſſe nomen ex Arabico زرور (*Zarur*): Hermodactylum credit eſſe Colchicum, quod frequens in Pannonia obſervaverat. Turbith Meſues quam longe differat a ſynonyma planta ceterorum Arabum, bene ſenſit.

Antherae iam vera ſignificatio apud eum occurrit (4, 3.). Inſidere capillis ſeu filamentis floris. In Mes Arabum (Phaſeolus Mungo) magnopere laboravit: alii id Erviliam eſſe, noſter Erviliam male cum Dolicho veterum iungit. Eſt autem ea potius ὄροβος (1, 3. 9, 3.). Miror, Manardum Paliurum non cognoviſſe, nec Lotum in Italia vidiſſe, commutaſſe etiam Acanthum veterum cum Acantha et Branca urſina (*Heracleo Sphondylio*), Typham denique ignoraſſe.

Prima haec ſunt rudimenta liberioris et melioris ſtudii, in quo plerique et optimi ſcriptores ſaeculorum XVI. et XVII. perrexerunt, qui vero cum aliis potiſſimum nominibus inſignia acquiſiverint merita; ſequentibus redibunt capitibus.

CAP. II.

PATRIARUM HERBARUM EXAMEN.

Non paucas Germaniae et Italiae plantas herbarii barbarae aetatis, obiter licet et priſtinis nomini-

bus insignitas prodiderunt. Quibus accessit studium criticorum in veterum monumentis. Hoc enim eo valuit, ut discerent medici, haud omnem omnino ambitum rerum naturalium vel Arabum vel Graecorum etiam scriptis exhauriri, latuisse eos profecto vegetabilia climatum frigidiorum, quae novo examini submittenda, pariter forte efficacia esse possint ac arabica remedia. Cautissime tamen, imo nimis caute egerunt servilia fere ingenia, dum nomina nova invenire non auderent, sed pristina, Graecorum, Romanorum Arabumque nomina traducerent ad plantas Germanicas Gallicasque, quibus parum saepe similes essent novae.

Primus fere ausus est ad patriae divitias consilia transferre SYMPHORIANUS CAMPEGIUS, Lugdunensis, ducis Lotharingiae medicus, paradoxus saltem homo, ni quandoque ineptus dici possit. In *campo elysio Galliae*, Lugd. 1538. 8. *p.* 16. *Rosas* describit *damascenas*, ubique reiicit exotica remedia et patria commendat. Lavandulam Nardo, Coluteam Sennae, Mercurialem Cassiae, Agaricum Rheo, Aloë Ebulum substituit. Galenum prohibuisse Gallis venam secari, ob lacteum sanguinem (γάλα) sed μωρίαν esse *Montis pedentium*, μώρους (Mauros) sequi. Ex his quidem facetiis ingenium Symphoriani divinaveris.

Multo maiora, imo nova plane molitus est *Otho* BRUNFELS Moguntinus, primum ludimagister

Argentorati, dein medicus Bernenſis † 1534. Patrias plantas bene delineavit figuris ligno inciſis, collegit iudicia maiorum, abstinuit tamen fere ab exoticis. Liber ipſius *Herbarum vivae eicones* tomis duobus 1532. fol. et tribus 1537. editus eſt.

Confuſionem totius rei herbariae, quae tunc temporis regnabat, his verbis exponit: „Multam „gratiam veteribus debemus, qui herbarum vires „et nomina primi nobis prodiderunt; multam etiam „ignominiam et perpetuam contumeliam iis, qui „poſterioribus ſaeculis mire et portentoſe omnia „depravarunt et confuderunt. Inprimis Pandecta„rio ſcriptori *(Matthaeo Sylvatico)* et Simoni „Ianuenſi, qui praeterquam quod omnia miſcue„runt, in hoc tantum ſudaſſe videntur, quomodo „ingentia volumina comportarent, non quomodo „utilem poſteris operam locarent vel rerum potius „cognitionem indagarent. Quodſi eorum opera „factum eſt, praeſtitiſſet nunquam adhibuiſſe ma„num. Quando non eſt cuiusvis, rerum vocabula „ſcribere, ſed hominis prorſus in linguis et literis „omnibus exercitatiſſimi. Si et illorum libri cor„rupti ſunt, quod mihi vero ſimile non eſt, cum ſint „recentiſſimi, perpetuis tenebris digni eſſent tam „perfidiſſimi corruptores. Inde etiam hoc malum „maximum, quod tam paucas herbas novimus. In„de tot myriades barbarorum, obſoletorum et in„eptiſſimorum nominum, dum et omnia illi vetera

„corruperunt vel neglexerunt, et quaelibet hodie „anus nomina imponit, quilibet quoque indoctus „ſeplaſiarius, et qui artis magiſtri haberi debebant, „nihil magis poſtremum habent, quam in herbis „et cognitione rerum philoſophari.“

Plantas autem Brunfelſius ſine ordine tradit, ſaepiuscule etiam confundens, quae quamdam habent adfinitatem. Sic Ungulam caballinam (*Tuſſilaginem Petaſitem*) cum Arctio Lappa iungit: Helleborum nigrum delineat, et orientalem deſcribit. Sub Ariſtolochiae rotundae nomine habet Fumariam bulboſam et Halleri. Arum maculatum pingit, ubi A. italicum eſſe debebat. Ad Arum Dracunculum recenſet Chenopodium Bonum Henricum et Polygonum Biſtortam. Conſolidam mediam dicit Teucrium Chamaedryn. Crus galli, ſeu Coronopoda habet Ranunculum bulboſum. Scrofularia maior eſt nodoſa, media Sedum Telephium, minor Ranunculus Ficaria.

Novae autem aut melius obſervatae haud paucae ſunt:

Veronica ſerpyllifolia (*Exfragia nobilis* 220.)... Salvia Verbenaca (2, 26.). . . Iris Pſeudacorus (2, 47.).

Scabioſa Columbaria (2, 24.). . . Aſperula odorata (2, 11.). . . Alchemilla vulgaris (2, 53.).

Viola tricolor (*Herba Trinitatis* 2, 69.). . . Viola odorata et paluſtris distinctae (1, 137.). . .

Aſclepias Vincetoxicum (*Hyrundinaria* 2, 36.). . Sanicula europaea (*Diapenſia* 1, 81.).

Narciſſus Pſeudonarciſſus, Galanthus nivalis et Leucoium vernum (1, 129.). . . Convallaria maialis (1, 211.).

Polygonum Perſicaria (*Pulicaria* 2, 14.). . . Dianthus Carthuſianorum (2, 58.). . . Saxifraga granulata (1, 185.).

Potentilla recta (*Pentaphyllum maius* 2, 33.). . . Anemone Nemoroſa (2, 80.). . . . Anemone Pulſatilla (1, 217.).

Leonurus Cardiaca (1, 160.). . . Lamium laevigatem (*Urtica labeo foemina t.* 3. *p.* 12.). . . . Mentha rubra *Smith* (76.). . . . Euphraſia officinalis (1, 169.). . . Antirrhinum Linaria (2, 39.). . . Draba verna (2, 34.). . . Cardamine pratenſis (1, 218.). . . Malva alcea (2, 72.). . . Geranium Robertianum (2, 37.). . . Senecio vulgaris (*Verbena femina* 1, 120.). . . Anthemis Cotula (1, 255.).

Neottia ſpiralis (*Satyrium odoriferum* 1, 105.). . . Aſplenium Ruta muraria 1, 219.).

Satis aequum *Fuchſii* de *Brunfelſio* iudicium (*in epiſt. nuncupator. ad hiſt. ſtirp.*) adiungam: „Quamvis multa in illius ſcriptis deſiderentur, ut„pote quod deſcriptiones picturis paſſim non re„ſpondeant et quod paucas admodum et vulgares „tantum ſtirpes protulerit, quod ſaepe non ſuis et

„legitimis nominibus appellaverit herbas: nihilomi-
„nus tamen, ut hunc omnes certatim laudibus ef-
„ferant, vel unica hac de cauſa meritus eſt, quod
„ipſe primus omnium rectam pingendarum ſtirpium
„rationem in Germaniam noſtram invexerit, aliis-
„que hanc imitandi occaſionem praebuerit. . . Συγ-
„γνώμη τῷ πρωτοπείρῳ.“

Viam a Brunfelſio munitam feliciter ingreſſus eſt amicus ipſius *Hieronymus* Tragus, Heydesbachi 1498 natus, ludimagiſter primum Biponti, ubi etiam principis hortum plantis inſtruxit, dein ſacer praeco Hornbaci et medicus in amoeniſſima regione plantarumque feraciſſima. Saraeponti aliquantum moratus apud comitem Naſſovienſem, rediit tandem Hornbacum, ubi ſexdecim annos tabe confectus 1554. diem obiit.

Vir, ad amplificandam ac reformandam rem herbariam natus, indefeſſa induſtria tantaque fuit, ut filicum ſemina indagaturus, duobus aut tribus comitibus ſtipatus, integram noctem, igne accenſo, in ſylvis degeret *(p* 544.*)*, ut hortum ipſe, plantis indigenis rarioribus ſatis locupletem coleret, pictorem aleret bonum, Danielem Kandeliam Argentinenſem, veteresque auctores ſimul diurna verſaret manu ac nocturna.

Librum *de ſtirpium hiſtoria* primum germanice editum Conr. *Geſnerus* dein auctum edidit Argentorati 1532. 4. Ordo plantarum haud alpha-

beticus, sed is, qui ex adfinitate quadam proficisci videretur. Agmen Urticae ducunt, quod sigillum Tragi urticae folia habebat. Componuntur labiatae, cruciferae pleraeque et compositae: at insigniter saepe aberrat, dum e. g. (*p.* 219.) cum Verbascis iungit Centauream montanam (*p.* 93. 99.): Ranunculos cum Apio (*p.* 166. 167.): Erigeron acre cum Plantagine Psyllio (*p.* 226.): Alisma cum Plantagine (*p.* 679.): Cyperum flavescentem cum Triglochine (*p.* 528.): Polytrichum cum Drosera.

Indigenarum plantarum studiosissimus neglexit fere exoticas, nisi quas a Conr. Gesnero acceperat. „Multi" (inquit *p.* 165.) „ex nostris scriptoribus „ingentia volumina de Balsamo, ligno Paradisi, „Amomo, Nardis aliisque peregrinis ac exteris ra„dicibus herbisque, quas vix unquam siccatas in „officinis videre, conscripserunt. Sed qui nobi„lissimarum stirpium, quae in Germania nostra fe„liciter proveniunt, quaeque ita passim obviae sunt, „ut pedibus illas conculcemus, illarum inquam hi„storiam qui describendam susciperet, nemo est; „scilicet officio suo probe se functos existimant mag„ni doctores, si in scholis et scriptis suis, quo no„mine quoque herba apud hunc et illum auctorem „ex veteribus, qui et ipsi nonnunquam dormita„runt, appellata sit, investigerunt. Hinc vero, „quam peregrinarum rerum, quarum nec notitiam

„nec copiam habemus, omnes ſtudioſi ſimus, liqui-
„do apparet. Qui fit, ut praeſtantiſſimas Dei op-
„timi maximi creaturas, quae affatim apud nos, e
„ſingulari Dei benevolentia luxuriant, tanquam ſu-
„perfluas et inutiles contemnamus.“

Optimus vero Tragus, quum et ipſe in ſynonymis, ipſorum etiam Ebraeorum, colligendis ſtudium ſummum collocaret, plantas autem paucas, extra Germaniam provenientes, cognoſceret, alienus haudquaquam eſt ab erroribus gravioribus. Satius fuiſſet, abſtinere penitus a doctrina veterum, plantasque indigenas, ſua quamque appellatione deſcribere. At voluit aliter aetatis imperium. Hinc factum eſt, ut Rutam ſylveſtrem veterum (Peganum Harmalam) eamdem crederet cum R. montana *(p. 69.)*: ut Inulam Helenium arbitraretur eſſe Moly Homericum *(p. 171.)*: Ariſtolochiam Clematitida diceret longam *(p. 178.)*: Adonida vernalem Elleborum nigrum verum *(p. 406.)*: ut Herniariam glabram pro Empetro *(p. 527.)*: Gomphrenam globoſam pro Circaea *(p. 579.)*: Trifolium medium pro Cytiſo *(p. 601.)*: Geniſtam tinctoriam pro Ferula *(p. 604.)*: Polygonum Fagopyrum pro Ocimo *(p. 648.)*: Alyſſum ſativum pro Seſamo *(p. 655.)*: Brizam mediam pro Aegilope *(p. 670.)*: Eriophorum pro Gnaphalio *(p. 683.)*: Lilium Martagon pro Hyacintho poëtarum *(p. 787.)*: Cuſcutam pro Androſace *(p. 810.)*: Caſſiam Sen-

nam pro Colutea Theophrasti (*p.* 964.): Crataegum Oxyacantham pro Cynosbato (*p.* 984.) haberet.

Perpaucas descriptiones et icones a Brunfelsio amico mutuo acceptas habet.

Novae aut melius observatae sunt sequentes:

Lycopus europaeus (*p.* 9.). . . Salvia Sclarea (*Gallitricum p.* 49.). . . Veronica Beccabunga (*Sion non odoratum p.* 138.). . . Veronica Chamaedrys (203.).

Briza media (*Aegilops* 670.).

Galium sylvaticum (*Matrisylva secunda.*). . . Potamogeton crispus (*Alga ranarum.*).

Myosotis Lappula (*Elatine* 196.). . . Anchusa anguſtifolia (*Bugloſſa minor* 232.). . . Verbascum phlomoides. . . Gentiana cruciata (254.). . . Impatiens Noli tangere (*Esula sylvestris* 295.). . . Chenopodium hybridum (*Solanum* 4, 304.). . . Veratrum album (409.). . . Astrantia maior (*Osteritium montanum* 200.). . . Imperatoria Ostruthium (*Smyrnium* 433.). . . Bupleurum perfoliatum (482.). . . Bupleurum falcatum (*Herba vulneraria* 500.). . . Caucalis grandiflora (*Lappa agrestis* 311.). . . Selinum Carvifolia (*Cuminum equinum* 300.). . . Laserpitium Siler (*Siler montanum* 175.). . . Aethusa Cynapium (*Petroselini vitium* 100.). . . Aegopodium Podagraria (*Vitium Angelicae* 111, 211.). . . Herniaria glabra

(*Empetrum* 527.). . . Gomphrena globoſa (*Circaea* 579.). . . Solanum Dulcamara (816.). . . Sium Siſarum (912.). . . Sium Falcaria (*Critamus agreſtis* 215.). . . Sambucus racemoſa (*ſylveſtris* 406.). . . Myoſurus minimus (*Coronopus ſylveſtris* 211.). . . Staphylaea pinnata (1098.).

Convallaria verticillata (*Sigillum Salomonis anguſtifolium* 400.). . . Scilla amoena (*Narciſſus coeruleus* 756.). . . Iuncus effuſus (*vulgaris alter* 800.). . . Colchicum autumnale (*Hermodactylus* 759.). . . Hyacinthus botryoides et comoſus (772.). . . Rumex patientia (*Rhortenſis* 530.). Triglochia paluſtre (*Calamagroſtis* 2.). . . Paris quadrifolia (*Aſter, non atticus* 303.).

Stellera Paſſerina (533.). . . Cardioſpermum Halicacabum (*Veſicaria peregrina* 397.).

Dictamnus albus (26.). . . Lychnis flos Cuculi (403.). . . Dianthus ſuperbus (*Superba* 575.). . . Pyrola rotundifolia (*Limonium ſylveſtre* 707.).

Potentilla alba (*Quinquefolium* 4, 501.).

Capparis ſpinoſa (967.). . . Caltha paluſtris (142.). . . Aconitum Lycoctonum (*Luparia* 247, ſed male pictum.). . . Anemone pratenſis (*Herba Venti* 413.).

Teucrium Botrys (79.). . . Teucrium Chamaedrys (204.). . . Pedicularis ſylvatica (250.). . .

Digitalis purpurea (*Campanula ſylveſtris* 889.). . . Digitalis ambigua (*ead. fl. luteo*).

Lepidium ruderale (*Thlaſpidium* 83.). . . Thlaſpi campeſtre (87.). . . Cardamina pratenſis (83.). . . Eryſimum Alliaria (86.). . . Eryſimum Barbarea (101.) . . Siſymbrium Sophia (*Seriphium germanicum* 338.).

Hibiſcus Trionum (*Alcea veneta* 921.).

Polygala vulgaris (531.). . . Vicia dumetorum (*Oſmunda latinorum* 176.).

Hypericum hirſutum et montanum (73.). . . Hypericum ? pulcrum (74.). . . Picris liceracioides (*Cichorea* 3.).

Pyrethrum corymboſum (*Buphthalmus* 152.). . . Inula germanica (*Solidago ſarracenica* 3.). . . Achillea Ptarmica (*Tanacetum album* 159.). . . Balſamita vulgaris (*Aliſma* 163.). . . Erigeron acre (166.). . . Centaurea montana (219.). . . Gnaphalium arenarium (*Amarantus* 330.). . . Gnaphalium montanum et germanicum (331.). . . Gnaphalium dioicum (*Lagopus* 332.). . . Chryſocoma Linoſyris (*Linariae tertium genus* 358.). . . Achillea Ageratum (*Eupatorium Meſues* 515.). . . Centaurea Cyanus (*Baptiſecula* 566.). . . Tagetes patula (*Caryophylli indi* 923.).

Epipactis Nidus avis (*Satyrion* 9, 785.).

Zea Mays (651.). . . Urtica balearia (3.)

Smilax aſpera (814.). . . Rhodiola roſea (913.).

Aſplenium ſeptentrionale *(Filix arborea* 537.*)*. . . Oſmunda regalis *(Filicis maioris alterum genus* 543.*)*. . . Blechnum boreale *(Aſplenon ſylveſtre* 550.*)*. . . Aſplenium Ceterach *(Scolopendra vera* 551.*)*. . . Botrychium Lunaria *(*914.*)*. . . Lycopodium clavatum *(Muſcus terreſtris* 555.*)*. . . Lycop. complanatum *(Saccina ſylveſtris* 556.*)*. . . Marchantia polymorpha *(Iecoraria* ſ. *Hepatica fontana* 523.*)*.

* * *

Quodſi Brunfelſius et Tragus veterum plantas in patria frigidiore inveniſſe ſibi viderentur, multo maior fuit temeritas Cornelii Petri, Leidenſis medici, cuius *adnotatiunculae* in Dioſcoridem Antverp. 1533. 8. prodierunt. Arundinem enim arenariam pro Cypero Papyro, Ilicem aquifolium pro Myrto, Arctium Lappam pro Atractylide, Sambucum pro Arabi, Geranium rotundifolium *(Pes columbinus Dodon.)* pro Amomo habuit. Non omiſit tamen plantas indigenas, quas veteres ipſi videbantur neglexiſſe, ut Veronicam longifoliam et officinalem, Chenopodium olidum, Saniculam europaeam, Droſeram, Ribes nigrum, Epilobium anguſtifolium, hirſutum et tetragonum, Pyrolam rotundifoliam, Spergulam arvenſem, Ranunculum Thoram, Aiugam reptantem, Scutellariam galericulatam, Aſplenium Ceterach.

Haud plane alienus ab aevi ſui vitio fuit Euri-

cius CORDUS, eximius alioquin auctor. E Simmeſuſia Haſſiae natus, Brunfelſii et Tragi more, ludum literarium Erfordiae aperuit, dein ſemet ad medicam artem contulit. A Ferrarienſi univerſitate adeptus ſummos honores, primum docuit Erfordiae, dein Marpurgi, denique artem Bremae exercuit, denatus 1535.

Edidit doctum opusculum, *botanologicon* Colon. 1534. 12., feſtivis refertum exercitationibus et ludicris, utilibus tamen, quum in horto ſuo pariter ac in campis et ſylvis plantas ſedulo obſervare conſueſceret. Quantopere vero hallucinetur in plantis veterum definiendis, vel inde patet, quod Amomum veterum putet Anaſtaticam eſſe hierochunticam. In filicibus toties vexatis exponendis mirifice ſe torquet. Helichryſum Dioſcoridis recte putat idem eſſe cum Gnaphalio Stoechade (fueritne ſuum arenarium?). Bene illuſtrat praeterea Antirrhinum Orontium et Linariam. Libanotida Dioſcoridis bene distinguit, alteram Roremmarinum, alteram Cachryn, nusquam in Germania viſam. Lavandulam Spicam neſcit, quo nomine appellet Dioſcorides: deeſt omnino in codicibus: magnopere autem falli, qui celticam nardum cum hac ſpica commutent. Aethuſam Meum eamdem putat cum Damo cretico.

Qui Graece ſe doctum non eſſe ipſe fatetur (*p.* 55.) hisce litibus componendis certe par non erat;

ubique praeceptores Nic. *Leonicenum* et Io. *Manardum* teſtatur, qui cum diſſentiant, ipſe etiam ambigit. Hinc non mirum Liguſtrum cum Cypro *(Lawſonia)* Chamaeleonta nigrum cum Carduo arvenſi; Santolinam maritimam (γναφάλιον Dioſc.) cum Gnaphalio uliginoſo, Cuſcutam cum Androſace, Polytrichum cum Adianto et Aſplenio Trichomane commutare.

Suboluit tamen ipſi, tiliam in Dioſcoride non occurrere, ſed Phillyream, Acaciam non eſſe Prunum ſpinoſam, Ariſtolochiam rotundam alienam eſſe a Fumaria bulboſa. Imperatoriam ſylveſtrem *(Angelicam)* primum apud eum mihi obſervare videor, licet Smyrnii falſo nomine traditam: tum etiam Erodium moſchatum *(Acus moſchata.)*.

Indicem exhibet plantarum, quas Arabes primi invenerint, mancum eum et fallacem.

Simili plane ratione rem herbariam tractavit *Hermannus*, Comes a *Novenaar*, dum ad Schottum daret epiſtolam de explicandis ſimplicibus, 1529 ſcriptam, antequam Leoniceni liber integer ad ipſum veniſſet. Addita haec eſt epiſtola Tomo 2. Brunfelſii. Eupatorium inter alias verum eſſe Agrimoniam, Cyclamen, Acetoſam aliasque herbas, nominibus germanicis praeditas, conciliare ſtudet.

Ambiguum eſt de *Io.* Ruellii Sueſſionenſis meritis iudicium. Medica is arte, quam primum

Parisiis exercuit, abdicata, sacerdotium promeruit. Dioscoridem latine interpretatus est (Argentor. 1529. fol.) quae quidem versio summo studio facto Marcelli omnino Vergilii praeferenda est, quum illustrationibus Hermolai Barbari et Leoniceni sedulo usus fuerit.

Dein autem edidit opus integrum *de natura stirpium* (Venet. 1538. Not. 1. 2. 8.) quod uberrimum et primum fere tractatum de nomenclatura botanica, de partium usu et de colore, odore saporeque plantarum continet, plerumque compilatum e Theophrasto et Plinio. Fateatur licet, se multum diuque per montium iuga et sylvas peregrinatum fuisse, pauca tamen nova aut peculiaria occurrunt. In nominibus plantarum conciliandis totus est, neque tamen satis felix. Confundit enim Coluteam cum Senna, Cardamomum cum Capsico, Smyrnium cum Ligustico, Nardum cum Lavandula, Tanacetum cum Artemisia, Celtin cum Nymphaea, Cyperum ipsum cum Curcumae pigmento. Qui quidem errores amplam praebuerunt posteris occasionem, eum reprehendendi.

Sequitur aequissimus maiorum suorum iudex, Leon. Fuchsius, vir linguarum studiosissimus, ipsiusque plantarum naturae, quam et in horto suo et in agris sylvisque indagaverat. Natus 1501 Wembdingae Rhaetiae, in patrio oppido primum ludi magister, dein Ingolstadii medicinam docuit,

fuit etiam Ansbaci apud principem, revocatus Ingolſtadium, dein Tubingam abiit, ubi per triginta annos († 1565) ſumma laude medicinam profeſſus eſt.

Initio edidit 1532 adnotationes aliquot herbarum et ſimplicium, quae Brunfelſio adiectae, redeunt auctae in *Paradoxis medicinae* Baſil. 1535. fol. Vatiniano odio proſequutus Arabes, quos impias beſtias vocat, ad Graecos fontes ubique ablegat: acerrime reprehendit recentiores, qui, ſummo rei medicae damno, plantarum veterum nomina traduxerint ad Germanicas plantas. Populum arborem Arabes non cognoviſſe; Caſſiam Fiſtulam longe alienam eſſe a Siliqua dulci; ſaccharum Arabum a Graeco ſaccharo; Carpeſium Galeni a Cubebis; male herbarios Cicutam commutaſſe cum Harmel Arabum; Sanguinem Draconis male Arabes deſcripſiſſe, cuius arborem (Dracaenam) recens in Canariis inſulis inventam *Cadamuſtus* navigator, de quo deinde plura, illuſtraverit. Thlaſpi veterum penitus ignorari.

Adgreſſus eſt paullo poſt inſigne opus, *de hiſtoria ſtirpium* Baſil. 1542. fol., quod eo potiſſimum fine edidit, ut ad vulgatiſſimas Germaniae auſtralis plantas botanicorum ſtudia converteret, atque icones daret, non ſumtuoſas, ſed fidiſſimas, umbris partium ſolis expreſſis, in quo conſilio ita adiutus fuit a Rod. Specklin, Argentinenſi, at ip-

ſae etiam partes eſſentiales non negligerentur. Rariſſime hae icones erroneae ſunt, e. g. p. 611. ubi Thlaſpi Burſa folia habet omnia lyrata. Nomina ſunt quidem antiqua, deſcriptiones etiam ſaepius e maioribus excerptae, plura tamen nova, ipſique peculiaria, quae ut clarius fiant, libet meliora ordine ſyſtematico apponere.

Veronica Beccabunga (*Sium* 725.). . . Veronica agreſtis (*Alſine media* 22.).

Valeriana officinalis (*Phu germanicum* 857.). . . Holcus Sorghum (771.).

Alchemilla vulgaris (*Pes leonis* 612.).

Anchuſa italica (*Cirſium italicum* 55.). . . Campanula Rapunculus (*Rapum ſylveſtre* 214.). . . Lyſimachia Nummularia (*Centummorbia* 401.). . . Datura Stramonium (690.). . . Capſicum annuum, baccatum et groſſum (*Siliquaſtrum* 732—734.). . . Primula veris et elatior (*Verbaſculum odoratum et non odoratum* 850. 851.).

Chenopodium album (*Atriplex ſylv.* 119.). . . Impatiens Balſamina (190.). . . Gentiana lutea (200.). . . Ammi maius (67.). . . Daucus Visnaga (*Seſeli maſſilienſe* 786.). . . Athamanta cretenſis (*Daucus creticus* 231.). . . Athamanta Libanotis (*Daucus* III. 233.). . . Selinum Cervaria (*Daucus* II, 232.). . . Sium anguſtifolium (*Apium paluſtre* 270.). . . Scandix Cerefolium (*Gingidium* 216.). . . Pimpinella nigra (*Siſer ſyl-*

veſtre 753.). . . Chaerophyllum ſylveſtre (*Myrrhis* 525.).

Lilium Martagon (*Aſphodelus femina* 115.). . . Ornithogalum luteum (*Bulbus ſylveſtris* 169.). . . Allium urſinum (739.). . . Allium vineale (737.). Scilla bifolia (*Hyacinthus coeruleus minor* 837.). . . Hyacinthus racemoſus (*coeruleus maior* 836.).

Calla paluſtris (*Hydrop. rubeum* 844.).

Paris quadrifolia (*Aconitum Pardalianches* 87.).

Agroſtemma Githago (*Lolium* 127.). . . Stellaria Holoſtea (*Gramen. Agroſtis* 136.). . . Dianthus Carthuſianorum (*Betonica ſylvatica* 1, 352.). . . Saxifraga granulata (747.). . . Saponaria officinalis (*Struthium* 780.).

Spiraea Filipendula (*Oenanthe* 562.).

Clematis Vitalba (*Vitis nigra* 97.). . . Ranunculus polyanthemos (*Chrysanthemum* 879.). . . Ranunculus auricomus (156. *Ranunc.* 1.). . . Ranunculus acris (*R. hortenſis* 157.). . . Ranunculus ſceleratus (*R.* II, 159.). . . Ranunculus bulboſus (*R.* III, 160.). . . Anemone Nemoroſa (*Ranunc.* III, 161.). . . Anemone Ranunculoides (*Ranunc.* IV, 162.). . . Delphinium Conſolida (*Chamaemelon Exanthemum* 27.).

Aiuga reptans (*Conſolida media* 391.). . . Melittis Meliſſophyllum (*Meliſſophyllum adulterinum* 499.). . . Teucrium Botrys (*Chamaedrys femina* 870.). . . Digitalis purpurea (893.). . . Digita-

lis lutea (894.). . . Scrofularia aquatica *(Galeopſis* 194.*)*.

Heſperis matronalis (314.). . . Lepidium latifolium (484.). . . Siſymbrium Löſelii *(Verbenaca recta* 592.). . . Siſymbrium tenuifolium *(Eruca ſativa* 262.*)*.

Erodium cicutarium *(Geranium* 1, 204.*)*. . . Geranium molle *(Ger.* II, 205.*)*. . . Geranium Robertianum *(Ger.* III, 206.*)*. . . Geranium diſſectum *(Ger.* IV, 207.*)*. . . Geranium pratenſe *(Ger.* V, 208.*)*. . . Geranium ſanguineum *(Ger.* VI, 209.*)*. . . Goſſypium herbaceum *(Xylon* 581.*)*.

Fumaria bulboſa *(Ariſtolochia Piſtolochia* 91.*)*. Spartium monoſpermum *(Spartus* 758.*)*. . . Vicia lathyroides *(Aphace* 110.*)*. . . Lathyrus tuberoſus *(Apios* 131.*)*. . . Trifolium ochroleucum (818.). . . Medicago lupulina (819.).

Apargia autumnalis *(Hieracium minus* 320.*)*. . . Tagetes patula (57.). . . Carlina vulgaris *(Atractylis mitior* 121.*)*. . . Inula dyſenterica *(Calaminthae* III *genus* 436.*)*. . . After Amellus *(A. atticus* 134.*)*. . . Chrysanthemum Leucanthemum *(Bellis maior* 148.*)*. . . Centaurea benedicta *(Atractylis hirſutior* 122.*)*.

Zea Mays (825.).

Mercurialis perennis *(Cynocrambe* 444.*)*.

Aſplenium Ruta muraria *(Saxifraga* 730.*)*. . . Parmelia pulmonacea *(Pulmonaria* 632.*)*.

* * *

Eccipiat hunc Antonius Muſa Brasavolus, nobilis Venetianus, qui a Nic. Leoniceno et Manardo hauſit doctrinam, magnifico et eximio literarum artiumque patrono, Principi Eſtenſi Ferrariae inſerviit, cum quo et Liguriae montes et Galliam et Illyriam peragravit; a quo et praedium dono accepit, ubi plantas exteras ſolertiſſime coluit; ipſi etiam duci Alphonſo ſuaſit, tum hortum amoeniſſimum, Pado circumdatum, plantarum copia ornare, tum quotannis Cretam mittere navigia, quae ſemina inde et plantas reportarent. Patrium ſolum optimus vir inſigni ſedulitate perquiſivit, nec auctorum veterum ſtudium neglexit, nec, raro exemplo, aegrotorum curationem, quorum quotannis ſesquimillia ipſi ſemet tradere conſuerunt (*Amat. Luſit. in Dioſc.* 307.). Herbarium ipſe collegit ditiſſimum († 1555. Cf. *Tiraboschi letterat. Italian. tom.* 7. *vol.* 2. *p.* 57.).

In egregio libro: *Examen omnium ſimplicium medicamentorum*, Lugd. 1537. 8. pleraque tractat, ab aliis iam expoſita aut illuſtrata, plura tamen nova: in nominibus gallicis, italicis et ipſis germanicis ſatis curioſus: corrigit textum Dioſcoridis et caſtigat verſionem. Libere iudicat, certo partem nondum centeſimam in univerſo orbe exſtantium a Dioſcoride aut Plinio deſcriptam eſſe, ſed indies augeri plantarum cognitarum copiam.

Veram Androſacen in Iſtria invenerat, mon-

ſtravit eam Amato *(in Dioſc.* 376.) Centauream Rhaponticam haud eſſe Rha ponticum veterum fuſiſſime demonſtrat. Convolvulum Imperati (Braſſicam marinam) bene illuſtrat. Valerianam Phu (non veram Dioſcoridis) ab officinali tamen aegre distinguit. Acorum Dioſcoridis credit Galangam eſſe. Lycium petiit e Bononiae montibus: Atropam Mandragoram in Gargano monte, in Apennino Thapſiam veram (Th. Aſclepium) invenit.

Modeſte et perhumaniter dubia movere ſtuduit Aloyſius MUNDELLA, prof. Brixienſis, in praxi et botanica et medica parum inſtructus *(Amat. Luſit. in Dioſc.* 394.). Licet bene refutet Ruellium, Coluteum cum Senna commutantem, alienus tamen omnino eſt a plantarum ipſarum inſpectione. Cubebas idem credit eſſe ac Carpeſium Galeni: ſaccharum noſtrum veteribus iam fuiſſe notum: Rheum ponticum idem eſſe cum barbaro etc.

* * *

AMATUS LUSITANUS, ſeu, quod verum videtur nomen, Io. RODERICUS CASTELLI ALBI, Beira-Luſitanus, Antverpiae, Ferrarae, Anconae, Theſſalonici demum vixit, anxie ambivit medici munus apud Raguſanos, quibus indigne in epiſtola nuncupatoria adulatur: paradoxus homo, cui nemo tempore aequalium favit. *Enarrationes* ſcripſit *in Dioſcoridem*, Argentor. 1554. 4., quas iam, ſub vero ſuo nomine, 1539. edidiſſe gloriatur;

non inutiles eas, cum Lusitanus, qui Antverpiae vixerat, non paucas merces indicas, quae in contentione erant, bene cognoscceret et illustrare posset. Nardum et Costum, Radicem Chinae, Batatas et Colocasiam ipse examinavit. Anconae ipsi orator Imperatoris Romani apud Solimanum monstravit verum Rheum ponticum, quod in Ponto ipso evulserat (*p.* 258.). Prope Anconam Salsolam Tragum invenit (418.), Spartum copiose in Hispania (471.), ibidem Atriplicem Halimum (110.) Acacalida credit Ericam baccantem esse, Camarinham Lusitanorum (109.). Vidit etiam ipsum Aspalathum et lignum Rhodium, Genistae radices (38.). Ribes fruticem apud antiquos non occurrere, sed esse Ribes Arabum, in quo vehementer fallitur (115.).

Haud paucos tamen etiam errores commisit. Malabathrum esse Betel (23.), Helenium, Nepenthes Homeri (50.), Myrabolanos iam a Dioscoride describi (138.). Elaten Dioscoridis esse nucem indicam (140.) Persica mala cum Persea confundit. Benzuinum esse Asam dulcem (348.). Inimicitias sibi non paucas conscivit, dum acriter inveheretur in eos, qui eadem ante tractaverant, maxime in Fuchsium, aequissimum virum, et in Matthiolum, qui tum iam coeperat Dioscoridem illustrare.

Pauca huc pertinentia insunt Caroli Stephani, e celebri typographorum familia († 1564.)

libello de re hortenſi. Lugd. 1536. 8. Rhamnum habet pro Groſſularia, Leucanthemon pro Iaſmino, Hyacinthum pro Orchide conopſea, Baccar pro Aſaro. Roſas ceteroquin recenſet provincialem, gallicam damaſcenam et luteam: Momordicam etiam deſcribit Balſaminam.

Inutile opus ſuscepérunt, cui pares non erant, Monachi Minoritae, *Bartholemaeus Urbevetanus* et *Angelus Palla Iuvenatienſis*, dum commentarios in Meſuen iuniorem ederent Venet. 1543. fol. Licet per Nurſiae montes plantas ſemet conquiſiviſſe fatentur, plantarum tamen vera cognitio ab iis aeque abfuit ac veterum auctorum. Fuchſium fere ubique ſequuntur, et ſi quae de ſuis adiiciunt, labuntur plerumque. Aethuſam Meum, quam in Nurſiae montibus invenerunt, verum habuerunt Meum antiquorum: Galangem crediderunt eſſe Iunci odorati radicem, Matricariam cum Artemiſia, Colchicum cum Hermodactylo, Cynosbaton cum Cynorrhodo, Carum cum Carota confuderunt. Quos cum amare ſatis, nec tamen iniuſte reprehendiſſet Matthiolus, defendere ſemet conati ſunt, de quo Vincentius *Cantonus* ad Matthiolum (*epiſt.* 1, 55.) ſcripſit. Reſpondit Matthiolus, ut ſolitus erat, acriter ſed docte (*ib. p.* 63 f.).

* * *

Inſignia ſunt merita, licet nil reliquerit, Lucae Ghinii, Imolenſis, prof. ſimplicium Patavini,

tum Bononienſis, demum Piſani († 1556.). Eximius is plantarum indagator, hortorum botanicorum Patavini pariter ac Piſani auctor, tanta liberalitate uſus eſt erga Matthiolum, ut, quas ipſe, ampliſſima collectione, deſcribere ſibi propoſuerat, plantas omnes Matthiolo donaret, doctiſſimum etiam atque aequiſſimum adiungeret commentarium. „Scio," inquit *Matthiolus (epiſt. 1, 118.)* „me „maximam accepiſſe iacturam, cum mihi e vi„vis ſublatus eſt Ghinius, in quo maximae et quam„plures fulgebant animi dotes, inter quas praeci„puum locum ſibi vendicabant integritas, ſinceri„tas, humanitas, fides. Nulla unquam in eo fuit „invidia. Cuius rei hoc maximum omnibus prae„bebit indicium, quod, quum decreviſſet volumi„na quaedam, quae de plantis conſcripſerat, una „cum imaginibus in lucem edere, viſis perlectisque „commentariis noſtris, non ſolum ad me gratulato„rias ſcripſit literas, quod ipſum praevenerim, ip„ſiusque ſublevaverim labores, ſed quamplurimas „miſit plantas, quas illi ſane refero acceptas, ubi „earum imaginibus noſtrum ornavimus Dioſcori„dem." Simili laude eum extollit digniſſimus eius diſcipulus Barthol. *Maranta (meth. cognoſc. ſimpl. p. 3. 4.)*.

Unicus fere, qui Ghinium parvi facit, ſucceſſor eius Patavii eſt, Aloyſius Anguillara Romanus, eruditiſſimus vir, qui ad Caſſianum Baſ-

ſum, Cratevam et librum Kyranidum usque omnia legerat; exercitatiſſimus etiam in plantis indagandis. Corſicam viderat et Sardiniam, ceterasque Italiae partes; Sclavoniam multum diuque perquiſiverat, in Creta per aliquot annos moratus erat, ubi a Roberto Conſtantino, rhizotomo, multa didicerat, poſt Patavii doctrinam de ſimplicibus profeſſus eſt, horto praefuit, ſed pluribus exoſus, munere abdicato Ferraram tendit, ubi denatus eſt 1570.

Italico ſermone rariſſimum nunc librum *de ſimplici* Venet. 1561. 8. edidit, ubi ſine ordine plantas antiquorum, non ſolius Dioſcoridis, ſed ſeriorum etiam omnium, percurrit, cumque viderit plerasque terras, quarum plantas antiqui memorarunt, eximie plerumque, modeſte et pererudite iudicat. Innumeris locis ſupra, ad Dioſcoridem praeprimis et Plinium, citatus fuit: hinc repetenda non ſunt, quae copioſe de iuventis ab eo plantis praecepimus. Quem modeſte reprehenderat, Matthiolus acerrimus tamen ipſi adverſarius fuit, convitiis ſaepius et contumeliis obruens, quas eximius auctor non meretur. Non paucae plantae novae occurrunt, e. g.: Salicornia fruticoſa. . . Iaſminum grandiflorum. . . Salvia pomifera (φασκομηλία, *Sibthorp. flor. graec. t.* 15.). . . Globularia vulgaris *(Aphyllantes)*. . . Plantago afra *(Pſyllium primum)*. . . Camphoroſma monſpeliaca *(Chamaepeuce)*. . . Alchemilla alpina *(Pentaphyllo argen-*

teo). . . Ruppia maritima (*Fucus maritimus con foglie di finocchio*). . . Anchusa tinctoria (*l'altra*). . . Solanum Lycopersicon. . . Drypis spinosa. . . Quercus Aegilops (*Cerrus*). . . Quercus Esculus.

Andreae etiam MARINI Veneti, qui commentaria in Mesuen 1562. fol. Venet. edidit, non exiguae sunt partes in adornandis et exponendis plantis veterum. Multum adiutus a Petro Antonio *Michelio*, Patricio Veneto, qui hortum elegantissimum colebat, herbarium collegerat, et simplicia multa e remotis regionibus advehi curaverat, delineavit plantas plures rarissimas: praesertim (*f.* 52.) Cassiam Fistulam, cuius triplicem cognovit varietatem, memphiticam, damiatensem et americanam: tum (*f.* 75. b.) veram Hyperantheram Moringam, quam vero cum Behen Arabum confundit: Penaeam Sarcocollam (*f.* 79.) et Tamum communem (*f.* 85. b.). Variae tamen icones falsissimae sunt, ut Rhei veri barbari e Marco Paulo (*f.* 50.) quam tamen alii ex eo sumserunt; Tamarindi (*f.* 52.), Sagapeni (*f.* 80.), Euphorbii (*f.* 80. b.). Auctori suo nimis addictus defendere eum continuo contra Manardum satagit.

* * *

Lumen novum exortum est ac concitatius studium Petri Andreae MATTHIOLI conatibus. Se-

nenſis Romae in valle Anania prope Tridentum et Goritii vixit, demum Viennae curam Archiducis Auſtriae ſuscepit: vir laborioſus, ſtudio, eruditione, plantarum cognitione ſuperior fere plerisque ſui temporis botanicis; ambitioſus tamen etiam *) et opinionum, quas ſemel imbiberat, ſatis pertinax. A multis adiutus fuit a liberalitate Principum Germaniae et Oratoris auſtriaci *Busbequii*, tum ab eius medico *Quakelbeen*, a Luca *Ghinio*, Franc. *Calceolario*, pharmacopoeo Veronenſi, *Cortuſo* patricio Patavino et celeberrimo Ulyſſe *Aldrovando*.

In Dioſcoride explicando totam fere vitam conſumſit, codices antiquos et Cantacuzenum et alium a Busbequio e Conſtantinopoli adlatos ſedulo comparavit, verſiones correxit, plantas et italicas et Auſtriae meridionalis ſumma induſtria examinavit, aliorum opiniones, acerrime quidem et nonnunquam ruſtice, plerumque tamen iuſte refutavit, icones ligno incidi curavit adeo eximias fidasque, quales ante nunquam in lucem editae fuerant. Fictitias tamen aliquas excipio, e. g. Auriculae muris (470.), Rhei barbari (478.), Sideritidis 3. et 4. (712.), et eas, quas pictor Venetus amiſerat, de-

*) Ambitioſiſſimum vocat, qui ſibi ipſi nihil unquam acceptum ferre ſoleat Conr. *Gesnerus* (*epiſt. ad Wolf. f.* 75. a.).

inde vero memoriter delineaverat (*Matth. ep. p.* 169.).

Initio interpretatus italice Dioſcoridem 1544. Venet. fol., dein commentaria ampliſſima edidit 1554., quae dein plusquam vigeſies edita, in plerasque linguas verſa celebritatem acquiſiverunt fere incredibilem et auctoritatem. Exceptis paucis, quas non cognovit, ut Santalum et Aſpalathum, Bunium et Pſeudo-bunium, continent plurimas alias novas ac prius inauditas, quas ampliſſimo literarum commercio et ſtudio indefeſſo ſibi comparaverat. Editionem, quam ſequor, optimam habeo C. *Bauhini* (*Opera Matthioli*, Baſil. 1674. fol.).

Plantas autem, quas vel primus vel melius maioribus ſuis delineavit et illuſtravit, indicem adiungam ſyſtematicum:

Phillyrea latifolia, media et anguſtifolia (155.). . . Salvia Horminum (640.). . . Lycopus europaeus (711. *Sideritis* 1.). . . Crypſis aculeata (*Gramen aculeatum* 709.). . . Syringa vulgaris (*Lilae* 854.). Pictam miſerat Busbequius. . . Piper Betle (42.).

Valeriana celtica (33.) Saliuncam recte diverſam credit. . . Valeriana dioica (39. *Phu minimum.*).

Ilex Aquifolium (147. *ad Paliurum relatum.*). . . Elaeagnus anguſtifolia (174.). . . Plantago

Wulffenii *mihi, fl. hal. p.* 54. (*Coronopus* f. *Serpentina* 383.). . . Hypecoum procumbens (*Cuminum ſylveſtre* II, 556.). . . Epimedium alpinum (700.). . . Globularia Alypum (880.).

Euonymus europaeus (169.). . . Onoſma echioides (*Anchuſa* 3. *p.* 704.). . . Lycopſis pulla (*Bugloſſum alterum flore nigro* 826.). . . Muſa paradiſiaca (189.). . . Zizyphus vulgaris et Lotus (211.). . . Cordia Sebeſtena (218.). . . Cordia Myxa (*Perſea* 237.). . . Datura Metel (225.). . . Convolvulus Soldanella et Imperati (368.). . . Gentiana Pneumonanthe (481.). . . Campanula Medium (699.). . . Salſola Tragus (731.). . . Hyoscyamus Scopolia (*Solanum ſomniferum* 755.). . . Atropa Belladonna (756.). . . Coris monſpelienſis (*Symphytum petraeum* 682.). . . Verbaſcum Lychnitis (*Lychnite* 801.). . . Verbaſcum pulverulentum (*Verb.* II, 800.). . . Verbaſcum nigrum III, *ib.*). . . Verbaſcum ſinuatum (801.). . . Hottonia paluſtris (*Myriophyllum alterum* 812.). . . Cortuſa Matthioli (698.). . . Primula Auricula (685.). . . Lyſimachia Ephemerum (780.). . . Cynanchum erectum (*Apocynum* I, 774.). . . Periploca graeca (*Apocynum* II, *ib.*). . . Salſola Soda (*Kali maius cochleato ſemine* 364.). . . Creſſa cretica (*Chamaepitys altera* 670.). . . Paſtinaca Opopanax (*Pſeudocoſtus* 54. *Panax Heracleum* 544.). . . Echinophora ſpinoſa (381.). . . Athamanta Matthioli

(*Meum* 24.). . . Aethuſa Meum (*Meum adulterinum* 24.). . . Phellandrium Mutellina (*Meum alpinum* 25.). . . Scandix auſtralis (*Sc. italica* 403.). . . Caucalis nodoſa (404.). . . Eryngium maritimum (505.). . . Thapſia Aſclepium (*Panax Aſclepium* 545.). . . Thapſia foetida (851.). . . Laſerpitium Siler (*Liguſticum* I, 547.). . . Laſerpitium Libanotis (*Seſeli aethiopicum* 550.). . . Daucus Viſnaga (*Seſeli maſſilienſe* 550.). . . Bupleurum fruticoſum (*Seſeli aethiopicum* II, 551.). Liguſticum peloponneſenſe (*Seſ. peloponneſ.* 551.). . . Lagoecia cuminoides (*Cuminum ſylveſtre* 556.). . . Seſeli Ammoides (*Ammi* 558.). . . Bubon macedonicum (*Petroſelinum macedon.* 563.). . . Smyrnium perfoliatum (*Smyrnium creticum* 566.). . . Cachrys Libanotis (*Libanotis* I, 575.). . . Ferula communis (578.). . . Oenanthe pimpinelloides (*Oenanthe* II, 627.). . . Oen. crocata (*Oenanthe* III, 628.). Oen. fiſtuloſa (IV, *ib.*). . . Aſtrantia Epipactis (*Epipactis* 806.). . . Viburnum Opulus (*Samb. aquatica* 874.). . . Linum maritimum (334.). . . Lin. tenuifolium (*ib.*).

Oryza ſativa (346.). . . Hyacinthus Muſcari (*Bulbus vomitorius* 452.). . . Pancratium illyricum (*Narciſſus* III, *conſtant.* 859.). . . Allium Victorialis (*anguinum* 422.). . . Allium ſubhirſutum (*Moly* 544.). . . Uvularia amplexifolia (*Laurus alexandrina* I, 841.). . . Iuncus bufonius (*Ho-*

loſtium 687.). . . Leontice Leontopetalum (596.). . . Anthericum Liliaſtrum (*Phalangium* 607.).

Aeſculus Hippocaſtanum primum innotuit 1557 Matthiolo, cum Quakelbeen, medicus Busbequii, in literis ad Matthiolum datis (*lib.* 3. *p.* 101.) illius mentionem faceret.

Epilobium anguſtifolium (*Chamaedaphne* 842.). . . Daphne Cneorum (46.). . . Amyris Opobalſamum (54.).

Euphorbia Characias, myrſinites et Paralias (864.). . . Euphorbia Apios (876.).

Styrax officinale (89.). . . Diospyros Lotus (211.). . . Melia Azedarach (*Pſeudo-Sycomorus* 232.). . . Ledum paluſtre (*Rosmarinum ſylveſtre* 576.). . . Anagyris foetida (665.). . . Silene Saxifraga (694.). . . Sedum daſyphyllum (*Sempervivum minus femina* 785.). S. Cepaea (666.). . . Sempervivum arboreum (786.). . . Cotyledon Umbilicus et ſerrata (787.). . . Saxifraga Cotyledon (788.). . . Saponaria Ocimoides (*Cneorum Theophraſti* 872.).

Reſeda Luteola (*Pſeudo Struthium* 442.). . . Peganum Harmala (542.) Quakelbeen miſit.

Prunus luſitanica (197.). . . Prunus Chamaecerauſus (198.). . . Eugenia caryophyllea (435.) a Calceolario miſſa.

Ciſtus villoſus (*mas* 158.). . . Ciſtus ſalvifolius (*femina ib.*). . . C. Helianthemum (*Flos ſolis* 546.). . . Ciſtus Ledon (*Ledum* 160.). . . Ranun-

culus hirsutus *Ran.* II, 458.). . . Ran. polyanthemos (*Aconitum* III, 764.). . . Ran. Gouani (*Aconitum* V, 765.). . . Ran. Thora (*Pseudo-aconitum* 766.). . . Anemone narcissiflora (*Ran.* IV, 458.). . . Trollius europaeus (*Ran.* VI, 459.). . . Nigella sativa, damascena et arvensis (*Melanthium* 580.). . . Clematis Flammula (680.). . . Aconitum pyrenaicum (*Aconit.* IV, 764.). . . Aconitum Lycoctonum (*Aconit.* VI, 765.). . . Aconitum volubile (*Aconit.* VII, 765.). . . Aconitum Anthora (*Aconit.* IX, 769.). . . Aconitum Napellus (*Napellus* 768.). Cum eo experimenta famosa in latronibus capitis damnatis instituit. . . Adonis vernalis (*Pseudo-Elleborum* 846.).

Origanum heracleoticum et Onitis (522.). A Ghinio e Creta adlata. . . Origanum Dictamnus (522.). . . Macrubium Pseudo-Dictamnus (522.). . . Thymus Tragoriganum (520.). . . Moluccella laevis (*Melissa constantinop.* 602.). . . Dracocephalum Moldavica (*Melissa moldavica* 603.). . . Teucrium montanum (*Polium alterum* 612.). . . Teucrium capitatum (*Polium* I, 612.). . . Stachys recta (*Sideritis* II, 711..). . . Phlomis fruticosa (*Verbascum* IV, 800.). . . Satureia iuliana (*Saxifraga* I, 693.). . . Satureia montana (*Saxifr.* II, 693.). . . Satureia capitata (*Thymum* I, 531.). . . Sideritis syriaca (*Stachys* I, 605.). . . Orobanche elatior (409.). . . Digitalis Thapsi (*Bac-*

charis 538.) a Lacuna miſſa. . . Lathraea Squamaria (*Dentaria maior* 685.). . . Antirrhinum Elatine (716.). . . Antirrhinum ſpurium (*Veronica femina* 514.).

Cochlearia Draba (*Arabis* ſ. *Draba* 530.). . . Iberis umbellata (*Thlaſpi* IV, 428.). . . Thlaſpi ſaxatile (*Thlaſpi* III, 427.). . . Siſymbrium polyceraton (*Frio altera* 431.). . . Siſymbrium ſtrictiſſimum (*Draba lutea* 430.). . . Dentaria pentaphylla (684.).

Geranium tuberoſum (*Geran.* I, 621.). . . Geranium rotundifolium (*Geran.* II, 621.). . . Geranium reflexum (*Geran.* V, 623.). . . Erodium malacodes (*Geran.* VI, 624.).

Spartium ſpinoſum (*Acacia altera* 172.). . . Aſtragalus Cicer (*Cicer ſylveſtre* 335.). . . Glycyrrhiza echinata et glabra (486.). . . Aſtragalus Poterium (495.) Busbequius miſit. . . Pſoralea bituminoſa (*trifolium aſphaltites* 608.). . . Coronilla Securidaca (641.). . . Trigonella polycerata (*Securidaca minor* 641.). . . Hippocrepis uniſiliquoſa (*Sferra cavallo* 648.). . . Cytiſus Laburnum (*Anagyris altera* 665.). . . Medicago arborea (*Cytiſus* 810.). A Barthol. Maranta acceperat. . . Galega officinalis (836.). . . Ornithopus ſcorpioides (895.).

Hypericum Androſaemum (668.). . . Hypericum Coris (669.).

Zacyntha verrucoſa (389.). . . Apargia tuberoſa (*Cichorium conſtantinop.* 388.). . . Lactuca quercina (400.). . . Scorzonera glaſtifolia (410.). . . Scorzonera hiſpanica (*ep.* 5. 210.). . . Carthamus lanatus (*Atractylis* 593.). . . Santolina maritima (*Gnaphalium* 625.). . . Serratula alpina (*Cirſium* 817.). . . Cacalia alpina (823.). . . Gnaphalium Leóntopodium (828.). . . Inula crithmifolia (382.). . . Inula viſcoſa ſ. Pulicaria (*Conyza maior* 629.). . . Inula odora (*Conyza minor* 629.). . . Tuſſilago alpina (*Aſarina* 370.). . . Xeranthemum annuum (*Ptarmica altera* 441.). . . Brotera corymboſa (*Chamaeleon niger Morantae* 491.). . . Artemiſia Santonica (*Abſinth. Seriphium* 511.). . . Artemiſia coeruleſcens (*Abſinth. marinum α.* 509.). . . Artemiſia pontica (*Ambroſia* II, 619.). . . Prima eſt Coronopus. . . Anthemis Pyrethrum (*Pyretrum alterum* 574.). Alterum videtur eſſe Pimpinella. . . Chrysanthemum italicum (*Helichryſum* 753.). . . Doronicum plantagineum (*Aliſma* 666.). Bauhinus vult Arnicam eſſe montanam, ſed valde dubito. . . Doronicum ſcorpioides (*Aconitum Pardalianches* 762.). . . Doronicum auſtriacum (*alterum ib.*). . . Doronicum Pardalianches (763.). . . Achillea aegyptiaca (*Abſinthium ſeriphium aegyptiacum* 511.). . . Buphthalmum ſpinoſum (*Aſter atticus alter* 818.).

Orchis maſcula (*Teſticulus* I, 635.). . . Or-

chis Morio *(Teſt.* III. —). . . Orchis conopſea *(Teſt.* IV, *maior fig.*). . . Orchis maculata *(Teſt.* IV, *minor fig.* 636.). *(Palma Chriſti maior* 637.). . . Orchis coriophora *(Teſt.* V, 636.). . . Orchis nigra *(Palma Chriſti minor* 637.). . . Ophrys myodes *(Teſt.* II, 635.). . . Ophrys ?anthropophora *(Teſt.* V, *mai. fig.* 636.). . . Epipactis ovata (846.).

Arum italicum (448.). . . Arum proboſcideum *(Arum ib.).* . . Arum Ariſarum (450.). . . Arum tenuifolium *(Ariſarum alterum ib.).* . . Pinus Mughus, Cembra, halepenſis et maritima (98.). . . Quercus Pſeudoſuber (181.).

Piſtacia Terebinthus (108.). . . Iuniperus phoenicea et lycia (122.). . . Acacia vera (171.). . . Myriſtica Nux moſchata (224.). . . Hydrocharis Morſus ranae *(Nymphaea parva* 644.). . . Smilax Sarſaparila (838.).

Marſilea quadrifolia *(Lens paluſtris altera* 783.) a Cortuſo accepta. . . Aſpidium Lonchitis *(Lonchitis aſpera maior* 661.). . . Blechnum boreale *(Lonchitis aſpera minor* 661.). . . Acroſtichum Marantae *(Lonchitis Marantae ep. p.* 168.). Hoc miſſum a Luca Ghinio pro Lonchitide, cum Aſpidio Lonchitide a Matthiolo commutatum erat *(Marant. meth. p.* 21.).

Interpretationem hiſpanicam commentariorum Matthioli edidit Andr. Lacuna, Salmant. 1560.

fol., quam auxit et illuſtravit *Suarez de Ribera*. Matr. 1752. fol. Lacuna tamen Ruellii et Matthioli interpretationem emendare ſtuduit, ex ipſo codice antiquo, non tamen neapolitano, quod docuit *Weigelius (Baldingers med. Journ. St. 32. p. 10.)*.

Io. Iaxava etiam compilavit ſimile opus: Hiſtoria de las Yervas y Plantas, ſacada da Dioſcorides y otros autores. Antverp. 1557. 8.

Iuvenis, quocum de his aliisque plantis amice disputavit Matthiolus (Barthol. Maranta) Venuſinus, Piſis a Lucae Ghinii ore pependit, poſt Neapoli vixit in horto Pinelli, Apuliae et Calabriae montes, Garganum maxime, perquiſivit. Edidit autem *Methodum cognoſcendorum ſimplicium*, Venet. 1559. 4., librum, qui principatum fere ſui aevi habet. Eximia enim libertate a praeconceptis opinionibus, eruditione non mediocri, incredibili fere ingenii acumine conſpicuum continet regulas, iuxta quas plantae veterum eruendae ſint, multasque indicat plantas, quas ipſe primus invenerat: e. g. verum Cytiſum veterum *(p. 36.)*, Verbenacam in Apulia *(p. 173.)* et Thymelaeam ad Cajetam *(p. 175.)*, Piſtolochiam (23.) et Ammi (27.). In nominibus veterum plantarum et partium deſcriptionibus ſimilitudinibus etiam indicatis cautiſſime agendum eſſe. Maxime vero ridet homines imbecilli animo ac paene languenti, qui Dioſcoridi addere nihil audeant, quum omnes plantas ab eo

descriptas fuisse opinentur. Asphodeli, cuius unicam solummodo speciem cognoscat Dioscorides, se tria genera in Gargano monte inveniisse: Ranunculi decem: Geranii undecim: Trifolii viginti. Multas esse apud Theophrastum, quas siluerit Dioscorides multas exteras arbores vel male hunc descripsisse vel penitus ignorasse. Nonnullas etiam varia aetate exposuisse, ut ad iuventutem solam aut ad adultam aetatem quadret. Dictamnum cretensem omnino flores habere, quos negaverit Dioscorides. Demum de codicum mendis. Praeclare omnia, dilucide, optime exposita sunt.

Marantae aemulus fuit Laurentius Perez, seplasiarius Tolitanus, doctissimus vir, qui Graeciam et Asiam ipsam adierat. Optimas is plantarum veterum descriptiones dedit in libro hispanico *de la theriaca*, Toledo 1575. et synonymiam eruditissimam plantarum in libro: de medicamentorum delectu, quem 1590. Toleti Franc. Penia edidit (Cf. *Cavan. in anal. de cienc. nat. n.* 20. *p.* 110.).

Valerius Cordus, Euricii filius, si diutius vixisset, maturitatem quamdam ipsius opera consequuta fuissent, quae iis magnopere deest. Studiose enim perquisiverat Saxoniam, praesertim saltus Hercynicos, Halensem ditionem ad Stasfurthum usque, tum Misniam, Bohemiam, Austriam, Italiam borealem. Romae febre correptus, cumque annum nondum trigesimum attigisset, extinctus

(† 1544.) reliquit *Adnotationes in Dioſcoridem; Hiſtoriam plantarum* et *Sylvam obſervationum* in itinere per Germaniam inſtitutarum: quae omnia Conr. *Gesnerus* Argentinae 1561. fol. edidit, iconibusque adornavit. Librum quintum deſcriptionum e codice Gesneri edidit C. C. Schmiedel cum *Gesneri opp. Norib.* 1751. fol. Italicas is continet 25 ſtirpes, non admodum raras.

Minoris momenti ſunt adnotationes in Dioſcoridem, cuius ne textum quidem graecum legerat, cuius plantas iuvenis, media in Germania educatus, cognoſcere non poterat. Errorum inde caterva excuſanda. Aſphalathum eſſe caſſiam ligneam: lotum idem cum ſantalo; quercus ſpecies graecas omnes in Germania creſcere: Phillyream cum Liguſtro commutat, nec ſcit, quid de Tilia agendum.

Hiſtoria plantarum plures continet ad id usque tempus incognitas plantas: multas tamen etiam obſcuras, plurimas novis nominibus decoratas, quas haud facile aliquis enodare potuerit: e. g. Chamaepeuce *(f.* 111.*)* pro qua Gesnerus Lycopodium clavatum pingit. Falſa praeprimis occurrunt in quarto libro, ubi de exoticis agitur: Guaiacum enim et Scammonia *(f.* 210.*)* nec ipſa Gesneri fictitia icone clariora fiunt. Sunt autem, quas Valerius primus recenſet, aut melius maioribus ſuis, ſequentes:

Caucalis Anthriſcus (*Daucoides minus f.* 159.

b.). Cf. C. *Bauhin. prodr. p.* 80. . . Selinum Oreoſelinum (*Polychreſtum f.* 155. b.). Sed radicem tricubitalem (*ſphalma forte*) facit. . . Selinum paluſtre (*Olſenichium f.* 149. a.). Utrumque Gesnerus cognoviſſe non videtur. . . Menyanthes trifoliata (*Trifolium paluſtre f.* 96. b.). . . Droſera rotundifolia (*f.* 86. a.). . . Parnaſſia paluſtris (*Hepatica alba f.* 152. b.).

Phalangium ramoſum (*f.* 149. a.). . . Phalangium Liliago (*f.* 190. b.).

Adoxa Moſchatellina (*Moſchatella f.* 172. b.).

Vaccinium Oxycoccos (*f.* 140. b.). . . Saponaria Vaccaria (*Thamecnemum f.* 104. a.). . . . Saxifraga Aizoon (*Aizoon ſerratum f.* 92. b.).

Euphorbia Peplus (*f.* 106. a.). . . Roſa arvenſis (*Cynorrhados tertia f.* 19. b.).

Comarum paluſtre (*Pentaphyllon paluſtre f.* 96. a.). . . Thalictrum minus (*f.* 97. b.). . . . Ranunculus arvenſis (*f.* 120. a.). . . Ranunculus bulboſus (*f.* 121. a.). . . Ranunculus Flammula (*f.* 121. b.).

Lathraea Squamaria (*Anblatum f.* 89. b.).

Dentaria enneaphylla et bulbifera (*Coralloides f.* 151. a.).

Cytiſus ? auſtriacus (*f.* 187. b.). . . Cytiſus nigricans (*Pſeudocytiſus f.* 188. a.).

Lactuca ſaligna (*Ixopus f.* 104. a.).

Epipactis latifolia (*Aliſma f.* 150. b.).

Sagittaria ſagittaefolia *(f. 87. a.)*. . . Hippophaë rhamnoides *(Oleaſter. german. f. 186. b.)*.

* * *

Regiones Europae plantarum feraciſſimas docti viri plures curioſe perquiſiverunt: quorum opera utilior multo fuiſſet, ni ſolis nominibus Dioſcoridis, Plinii, Fuchſii et Tragi contenti, deſcriptiones nimis neglexiſſent.

Ut de *Helvetia*, plantarum alma matre, ordiar, ſummum hic quidem indagatorem rei herbariae, Conradum *Gesnerum*, ſilentio praeterire liceat, quippe qui infra, ubi de conatibus ſyſtema condendi praecipiam, meliorem obtinebit locum.

Amici autem Gesneri, Benedictus Aretius, prof. theologiae Bernenſis († 1578.) et Io. Fabricius, clericus Curienſis, hic nominandi ſunt, quorum ille montes Nieſen et Stockhorn in ditione Bernenſi peragravit, et quadraginta fere plantas alpinas, helveticis maxime nominibus inſignitas, invenit *(Ad Valer. Cord. opp. f. 232 — 235.)*. Erutu eae perquam difficiles ſunt, quum nec ſynonyma nec deſcriptiones addantur. Orchidem tamen odoratiſſimam *(Brändlin)*: Salicem myrtilloidem aut reticulatam *(Balmenſtritten)* Phellandrium Mutellinam *(Mutrina)*: Primulam Auriculam, farinoſam, integrifoliam *(Flüeblumen)*: Violam biflοram *(Gäle Violen)*: Eryngium alpinum *(Edel-*

diſtel): Trollium europaeum *(Dönij)* certo intelligo.

Paucula ſunt et negligenter notata, quae *Fabricius* in monte Galandae, ditionis Rhaeticae, invenit *(Ad Valer. Cord. f.* 235.). Inter ea Doronicum plantagineum, Veratrum album, Ranunculus montanus et glacialis etc.

Multo maiora ſunt *Veronenſium* botanicorum de montis *Baldi*, amoeniſſimi et ditiſſimi, gazis merita. Primus, qui eum multoties conſcendit. Franc. Calceolarius, pharmacopola Veronenſis fuit, quem comitati ſunt celebres viri, Ulyſſes Aldrovandus, Aloyſius Anguillara, Iulianus Fumanella et Io. Bapt. Olicea *(Iter in Baldum montem ad calc. Franc. Seguieri plant. Veron. vol. 2. p.* 445 f.).

Baldus mons, lacui Beraco *(Lago di Garda)* ab oriente contiguus, inter Veronam et Tridentum extenditur. Altiſſimum cacumen, a Comite *Sternbergio* nuper menſuratum, 6860 pedes ſupra maris planum adſcendit. Plantarum varietas infinita fere, quum praeter alpinas et boreales omnes fere magis auſtrales ibi occurrant. A Buſſolengo inde vallem clauſam, pagum Caprini et ſacrarium Mariae Coronariae viſitavit. Rariores plantae, quas invenit, ſunt ſequentes:

Erythronium Dens Canis *(Mithridatica.)*. . . Hypecoum procumbens. . . Reſeda Phyteuma

(*Reseda Plinii*). Cf. *Sternbergii iter in rhaeticas alpes*, p. 50. . . Athamanta cretensis (*Daucus*). . . Laserpitium Libanotis (*Seseli aethiopicum*). . . Ligusticum peloponnesense. . . Tordylium officinale (*Seseli creticum*). . . Campanula saxatilis. . . Valeriana celtica et montana. . . . Aconitum album. . . Arum Arisarum. . . Prunus Chamaecerasus. . . Anemone baldensis. . . Arnica scorpioides. . . Arnica cordata *Wulff.* (*Pseudo-Doronicum*). . . Plantago Wulffenii (*Coronopus serpentinus Matth.*). . . Ferula nodiflora s. rablensis. . . Thapsia garganica. . . Saxifraga adscendens *Vahl.* Cf. *Sternbergii iter nuperrimum* p. 50. Plures species sub generico nomine comprehensas non rite distinxit, nonnullas etiam satis obscuras nominat: e. g. Acacalidem Dioscoridem, quam solus *Amatus* pro Erica baccante habuerat. Videtur tamen Calceolarius *Empetrum nigrum* voluisse.

Vestigia Calceolarii pressit Io. Pona, pharmacopolus etiam Veronensis, qui ad Car. Clusium primo, dein seorsim edidit: *Plantas*, s. *Simplicia, quae in Baldo monte reperiuntur*, Basil. 1608. 4. iconibus ligno incisis decoratas. Ioachimo Iungermannio Noribergensi et Nicolao Maronea comitibus totum montis ampliſſimum tractum percucurrit, non neglectis Caesaris *Niclesolae* viridariis, quae Pontini erant, ac in quibus plantae graecae plurimae colebantur. Praeter has, alio loco recensendas, Bal-

denſibus ipſis Pona operam dedit, praecipue ſequentibus:

Veronica ſaxatilis *p.* 74. . . Wulffeniae Buonarotae (*Veronica petraea ſempervirens p.* 72.). Haec Linnaeo falſo dicta Veronica Pomae. . . . Campanulae Cervicariae (*Trachelium maius petraeum p.* 62.). . . Phyteumati comoſo (*Trachelium minus petraeum p.* 70.). . . Bupleuro graminifolio (*Sedum petraeum bupleuri folio, p.* 111.). . . Geo montano (*Caryophyllata p.* 91.). . . Saxifragae adſcendenti (*S. alba petraea p.* 76.). . . Cherleriae Sedoidi ſ. Sileni acauli (*Ocimoides muſcoſum p.* 89.) . . Arenariae bavaricae (*Saxifraga bavarica p.* 60.). . . Ciſto guttato (*p.* 8.) . . Atrageni alpinae (*Clematis cruciata p.* 68.). . . Ranunculo rutaefolio (*R. alpinus Coriandri folio p.* 87.). . . Bartſiae alpinae (*Clinopodium alpinum p.* 95.). . . Myagro ſaxatili (*Thlaſpi petraeum myagrodes p.* 78.). . . Geranio argenteo (*p.* 91.). . . Trifolio alpino (*p.* 84.). . . Artemiſiae Mutellinae (*Abſinthium alpinum* 2.). . . Senecioni incano (*Abſinthium* 3 *alpinum.*) . . Centaureae Rhaponticae (*Centaurium maius p.* 65.). . . Aſpidio alpino (*Filix ſaxatilis criſpa p.* 101.).

Columnae amicus et Cluſii, Ferrandus Imperatus pharmacopoeus Neapolitanus, ſedulo plantas italicas et praeſertim marinas, collegit, et vel amicis largitus eſt vel ipſe etiam in Hiſtoria natu-

rali, quae italice primum Neap. 1599. fol., dein latine Colon. 1695. 4. prodiit, publicavit. Mentionem maxime merentur:

Verbena nodiflora (p. 889.). . . Valeriana italica (*bulboſa p.* 869.). . . Crucianella monspeliaca (*Rubia ſpicata p.* 880.). . . Telephium Imperati (872.). . . Convolvulus Imperati (*marinus* 886.) . . Thapſia garganica (884.). . . Phyteuma pinnatum (*Rapunculus creticus* 882.). . . Gypſophila Struthium (871.). . . Euphorbia mauritanica (*Tithymalus aphyllus* 876.). . . Argemone mexicana (*Papaver ſpinoſum* 873.). . . Ranunculus illyricus (888.). . . Cichorium ſpinoſum (881.). . . Cnicus Acarna (883.). . . Parmelia fuciformis (*Fucus capillaris* 850.). . . Parmelia Roccella (*Alga fucus* 851.). . . Fucus barbatus (*Abies marina* 849.), natans (*Acinaria* 844.), lumbricalis (*Furcellaria* 842.). . . Plocamium (*Palmula marina* 844.). . . Ulva inteſtinalis (*Cava* 858.).

* * *

Boruſſiae plantas recenſuit Ioannes *Wigandus*, Epiſcopus Pomezanienſis (*Vera hiſtoria de Succino pruſſico et de herbis in Boruſſia naſcentibus*, Ien. 1590. 8.). Nomina antiquorum male traducta ad boreales plantas, ut vix poſſis dignoſcere, quales velit. Stratiotem tamen aloidem, Melampyrum criſtatum, Callam paluſtrem, Glaucem mari-

timam, Gladiolum communem et paucas alias manifeſtas habet.

* * *

Hercyniae ſaltus, borealis Germaniae gazophylacium botanicum, Io. THALIUS, medicus Northuſanus († 1587.), primus perquiſivit (*Sylva Hercynia* Frcf. ad Moen. 1588. 4.). Laurentium *Hial*, rei herbariae in univerſitate Ienenſi profeſſorem, laudat praeceptorem. Inſignem copiam et rariorum hodie plantarum multarum etiam varietatum, congeſſit, nonnullas, praecipue graminum, erutu difficillimas. Novae ſunt, aut melius deſcriptae:

Veronica triphyllos (*Dactyliobotanon coeruleum* 39.). . . Eriophorum alpinum (*Gramen iunceum lanigerum* 55.).

Scabioſa Columbaria, ochroleuca et arvenſis 108. 109. . . Potamogeton perfoliatus (*μαλακόφυλλον* 86.).

Myosotis paluſtris (*Echium paluſtre* 40.). . . Campanula thyrſoidea (*Cervicaria tenuifolia* 32. *t.* 4.). . . Campanula glomerata (*Rapunculus ſylveſtris umbellatus* 94. *t.* 6.). . . Theſium Linophyllum (*Linaria montana* 72.). . . Lithoſpermum purpureo-coeruleum 74. . . Cicuta viroſa (33.). . . Caucalis daucoides (*Daucus ἐχινόκαρπος* 37.). . . Laſerpitium pruthenicum (*Daucus λασιόκαρπος* 36.). . . Laſerpitium latifolium (*Li-*

banotis Theophraſti 71.). . . Selinum Cervaria (*Libanotis alba minor* 71.). . . Seſeli annuum (*Libanotis καρθηκοειδὴς* 71.). . . Chaerophyllum hirſutum (*Myrrhis Broccenbergenſis* 77.). . . Linum catharticum (*λινοκάρπος* 72.).

Iuncus triglumis (*Lychnanthemus tenuis* 60.).

Vaccinium uliginoſum (*Myrtus tenuifolia* 18.), *Vaccinium* Oxycoccos 82.

Triantalis europaea (*ἀλσινάνθεμον* 15.). . . . Gypſophila faſtigiata (*Symphytum petraeum* 113.).

Saxifraga tridactylites (*Dactylio botanon albo flore* 39.). . . Lychnis Viſcaria (*ἰξόκαυλος* 59.). . . Cucubalus Otites (*κραυρόφιλον* 68.). . . Euphorbia Cypariſſias cum Aecidio Euphorbiae 126. . . Euphorbia amygdaloides 127. . . Rubus ſaxatilis 102. . . Ranunculus aconitifolius 101. . . Scutellaria galericulata (*Sideritis* 3, 104.). . . Euphraſia lutea (*Ericoides luteum* 39.). . . Euphraſia Odontites (*Ericoides purpureum* 40.).

Draba verna (*Piloſella ſiliquata* 84. *tab.* 7. *f.* E.). . . Lunaria rediviva 74. . . Arabis Thaliana (*Piloſella ſiliquata* 84. *f.* 7. *f.* D.).

Geranium lucidum (*Saxatile ὑγροσκόπελον* 44. . . Anthyllis Vulneraria (*Arthetica Saxonum* 10.). . . Orobus tuberoſus (*Aſtragalus ſylvaticus* 7. *t.* 1.). . . Orobus vernus 80. . . Lathyrus latifolius 74. . . Aſtragalus microphyllus (*Cicer ſylveſtre minus* 37.).

Scorzonera glaſtifolia ſ. humilis 117. . . ?Crepis tectorum (*Chondrillae alia ſpecies* 22.). . . Hypochoëris glabra (*Chondrilla altera* 22.). . . Hypochoeris maculata (*Piloſella maior Gallorum* 83.). . . Apargia hiſpida (*Chondrylla altera Dodonaei* 23.). . . Hieracium alpinum 57. . . Hieracium cymoſum (*Intybi ſpec.* 5, 64.). . . Hieracium ſabaudum (*Intybi ſpec.* 7, 65.). . . Hieracium praemorſum (*Intybus ἀφυλλόκαυλος* 9, 66.) . . Hieracium murorum (*Int. nigrifolius lanuginoſus* 11, 67.). . . Hieracium paludoſum (*Int. uliginibus familiaris* 13, 67.). . . Sonchus alpinus (*Int. πλατύφυλλος* 62.). . . Chondrilla iuncea (*Int. ſpecies* 3, 64.). . . Prenanthes purpurea (*Lact. ſylv. ἐρυθράνεμος* 75.). . . Serratula tinctoria (*Centauroides* 26.). . . Senecio paludoſus (*Conycia aquatilis maxima* 21.). . . Senecio ſarracenicus (*Conſolida ſarracenica* 27.). . . . Conyza ſquarroſa (*maior montana* 20.). . . Centaurea montana (*Cyanus integrifolius* 29.). . . Centaurea phrygia (*Cyanus κυνογκλωσσόφυλλος*). . . Centaurea paniculata (*Cyanus ſylveſtris tenuifolius*).

Orchis bifolia (*candida* 82.). . . Epipactis pallens (*Aliſma κυμβαλιάνθεμον* 13.). . . Cypripedium Calceolus (*Aliſma κοιλάνθεμον* 13.).

Betula pubeſcens (*pumila* 20.). . . Empetrum nigrum (*Erica baccifera* 41.).

Blechnum boreale (*Lonchitis aſpera* 72.). . .
Lycopodium Selago (*Selago tertia* 116.).

* * *

Ipſe Paracelſi et adſeclarum ſtulta ignorantia, licet omnis eruditioni generis vehementer obfuerit, haud impedivit tamen rei herbariae patriae culturam. Plerique enim, qui in Paracelſi verba iurarunt, adeo adhaeſerunt patriis, i. e. germanicis medicamentis, ut ſummo ſtudio ea conquirere, ſumma diligentia deſcribere et illuſtrare ſuum ducerent.

Celeberrimus fere eſt Leon. THURNEISEN, natus Baſileae 1530. Aurificis officinam, fraude captus viliſſima, deſeruit, ſtipendia meruit et in metalli fodinis laboravit, donec agyrta curationibus celebratus, Electori Brandeburgico commendatus, ab hoc archiater nominatus fuerit. Quo munere indigne abuſus, in exilium pulſus, vagabundus Coloniis 1595. obiit. „*Hiſtoriam plantarum omnium*," Berol. 1578. fol. edidit, in quo umbelliferas ſolas tractat, admiſtis nugis theoſophicis et aſtrologicis.

Non defuerunt inter hos, qui ad augendam rem herbariam nati viderentur: e. g. Io. *Fiſchartus*, obſcurus ceteroquin homo, cuius librum Michaël *Toxites*, Rhaeticus, poſt medicus Haganoenſis edidit. Titulus eſt: „Horn des Heyls moiſchli„cher Blödigkeit: oder Kreutterbuch, darin die „Kreutter des teutſchen Landes, aus dem Liecht

„der Natur, nach rechter Art der himmliſchen „Einflieſsung beſchrieben durch *Philomuſum Ano-* „*nymum*, nachmals durch Doctorem *Toxiten.*“ Strasſb. 1606. fol. Aſtrologicus liber continet tamen patriarum herbarum deſcriptiones adeo exactas, adeo claras, ut optimae omnium iudicari poſſint, quae ad id usque tempus prodierant. Loca etiam natalia egregie indicantur: icones adduntur eximiae, licet Dulcamarae falſiſſima ſit. Nomina ceteroquin erronea, ut Gratia Dei pro Erodio cicutario, Smyrnium pro Imperatoria, Salicaria pro Lyſimachia, Galeopſis Meliſſa pro Leonuro Marrubiaſtro ponantur.

* * *

Hiſpanicae provinciae, Valenciae plantas hoc ſaeculo primus examinavit Iacob. Petr. Esteve, interpres theriacorum Nicandri. Licet *Hallerus* id herbarium Valentinum, velut typis excuſum iam citet (*Bibl. bot.* 2, 671.) nunquam tamen prodiit, a ſolo *Eſcolano* (*hiſt. de Valencia* 1, *col.* 681.) viſum. Cf. *Cavanill. in annal. hiſt. natur. hiſpan. n.* 20. *p.* 116.

Alter peregrinator botanicus Hiſpanus fuit Ioannes Fragosus Toletanus, chirurgus Philippi II., qui cum Franc. Hernandezio Hiſpalenſem provinciam perquiſivit. Edidit librum utilem „de ſuccedaneis medicamentis. Matrit. 1575. 12. Cf. *Cavan. l. c. p.* 111.

Tertius Bernardus Cienfuegos Tarraconenſis, ab Ignatio *Aſſo* primo, dein a *Cavanilleſio* laudatus, profeſſor Alcalenſis, totam Hiſpaniam peragraverat. Reliquit ſeptem tomos hiſtoriae plantarum, cum picturis egregiis et doctis adnotationibus, qui etiamnum ſcripti latent in bibl. regia Eſcurialenſi. Cf. *Cavan. l. c. p.* 123.

CAP. III.

HORTORUM CULTURA.

Paucis exponi nequit, quot quantaque emolumenta in rem herbariam augendam et amplificandam ex hortorum botanicorum cultura redundent. Etenim, quae, per varia climata, ſolique et terrarum innumeras differentias diſperſa, a nemine fere obſervari et examinari poſſint, ea omnia unicus hortus botanicus iungit, obſervatuque ita facilia reddit, ut inſtructioni iuventutis ſuppetant. Accedit, differentias plantarum, ſive eſſentiales ſint ſive accidentales, nonniſi in cultis rite decerni poſſe, novas etiam plurimas ſpecies, quae a negligente aut non ſatis inſtructo obſervatore peregrinante haud definitae erant, in horto demum cultas optime determinari. Unde elucet, tum omnino plantarum cognitionem incrementa cepiſſe laetiſſima, cum horti coli coepiſſent. Fuit id autem praeprimis in Italia, medio ſaeculo decimo ſexto.

Antiquiſſima hortorum botanicorum veſtigia, Theophraſti Ereſii, Mithridatis regis, Antonii Caſtoris, Caroli Magni, Matthaei Sylvatici, ſuis iam locis citavimus. Poſt reſtitutas autem literas Italia prima et illuſtria propoſuit exemplaria hortorum et privatorum et publicorum, in quibus plantae omnis generis, et a remotiſſimis regionibus adlatae, coelerentur.

Immortalis Torquati Taſſi patronus, literarum omnium patronus liberaliſſimus, Alfonſus Eſtenſis, dux Ferrariae, gloriam meruit ſempiternam eo etiam nomine, quod, Muſa maxime Braſſavolo monente, hortos plures botanicos inſtituerit ac coluerit: amoeniſſimum maxime, Pado circumdatum, quem Belvedere nominabat (*Braſavol. exam. p.* 288. 289. 299.). Tribus iis hortis praefuit per aliquod tempus Pancius, prof. Ferrarienſis (*Fantuzzi vita di Aldrovandi, p.* 237.). Hoc ducis exemplum ſequuti ſunt plures Ferrarienſes. Ioannes *Braſavolus*, patruus Muſae viridarium habuit (*Braſavol. exam. p.* 316.). In horto nobilis *Acciajuoli* Ferrarienſis rariores pleraeque plantae conſpiciebantur (*Amat. Luſit. in Dioſc. p.* 290. 375. 448.). Tantum omnino Ferrariae ſtudium plantarum exoticarum fuit, ut exteri botanophili eo potiſſimum confluerent, quod de Io. *Falconero* Anglo, narrat Amatus, qui herbarium inſigne, Ferrariae potiſſimum collectum, ſervabat (*in Dioſc. p.* 337.

557.). Quotannis enim Ferrarienſes in Graeciam Aſiamque navigia mittere conſuerant, quae ſemina plantasque rariores inde reportarent.

Simile fuit ſtudium Venetorum. Patricii Michelii et Cornarii laudantur a Braſavolo, Marino et Anguillara, quod ſimplicia ex Oriente advehi, plantasque rariores in ditiſſimis hortis coli iuſſerunt. Aegyptiacas etiam plantas, ut fabam Aegyptiam (*Arum Colocaſiam*) in pluribus venetis hortis coli vidit *Amatus* (*in Dioſcor. p.* 240.). Hieronymum Capellum, Senatorem Venetum et Cretae proconſulem, plantas innumeras graecas Patavium miſiſſe, ac Nicolum Contarenum Patricium, hortum ditiſſimum prope Campum Sancti Petri aluiſſe, teſtatur Proſp. *Alpinus* (*in praef. ad exot.*).

Patavii vixit botanices ſummus promotor, Gaſpar a Gabrichis, qui nullis ſumtibus pepercit, ut quascunque conquireret plantas (*Stephan. de re hort. p.* 45. *Gesner de hort. German. f.* 239. b.). Tres alios hortos patavinos, Priuli, Paſqualigi et Bernard. Traviſini laudat *Anguillara* (*di' ſempl. p.* 34. 80. 90.).

Primus omnino hortus academicus Piſis, iubente Coſmo mediceo, praefecto Luca Ghinio, inſtructus fuit. Anno enim 1544 ad Arnum flumen magnificus Princeps donavit fundum, qui tum a Ghinio tum a Caeſalpino ſucceſſore adeo ditatus fuit, ut Belonium 1555. admiratione impleverit. Qui poſt

Cosmum Etruriam imperio rexit, Ferdinandus Iosephum *Benincasam*, quem *Casabonam* vulgo appellant, in Orientem misit, ut plantas et semina colligeret, reducem horto praefecit (*Calvi comm. histor. Pisani vireti.* Pis. 1777. 4.). Is etiam Florentinum hortum primus instruxit.

Post Pisanum primus fuit Patavinus hortus, inauguratus 1545. a Patriciis Venetis et Patavinis, qui rei herbariae promovendae studerent. Primus index, satis pauper, Venetiis 1591. 8. prodiit plagulis tribus.

Coeperunt autem primam cathedram stabilire, ut simplicia omnia exponerentur, quam ex anno 1533. primus occupavit Franc. *Bonasides* (*Tiraboschi letterat. ital. vol. 7. p. 2. p. 50.*). Suadente praeprimis et indies magis urgente ipso Bonaside Daniel tandem Barbarus, patriarcha Aquilagiensis, viridarium exstrui iussit (*Belon. neglect. cult. plant. ad Clus. exot. p. 239.*). Id iam 1533. factum fuisse licet Hallerus arbitretur (*Bibl. bot.* 1, 266.). Tiraboschio tamen potius credendum, qui annum 1545. ex actis ipsis indicat. Aloysio Anguillarae, primo horti praefecto mox successit Melchior Guilandinus, ei autem Io. Ant. Cortusus et Prosp. Alpinus.

Sequuti sunt Bononienses, qui 1568., Ulysse Aldrovando hortante, hortum in patria academia stabiliverunt.

In agro Veronensi Caesar Nicleiola habuit prae-

dium, plantis peregrenis dicatum, ubi in viridariis duobus ampliſſimis colebantur rariſſimae quaecunque graecae plantae, quas *Pona* deſcripſit (*iter in Baldum, p.* 9.).

Neapoli erat hortus ditiſſimus Io. Vincent. *Pinelli*, quem multoties celebrat *Maranta:* Arimini Iul. *Moderatus*, Romae Scipio ad S. Apoſtolum hortos alebant, quos nominat C. Gesnerus.

In agro Lucenſium hortum ſatis amplum ac locupletem habuit Vincentius a Monte Catino, ubi a longo inde tempore arbores peregrinae colebantur (*Belon. l. c.*). Florentiae Nic. Goddius hortum aluit praeſtantiſſimum, cui praefuit Benincaſa.

* * *

Gallia pauciores eo aevo hortos botanicos exhibet. Celeberrimus fuit Renati Bellaii, epiſcopi Cenomanenſis, omnium, ut *Stephanus* ait (*de re hort. p.* 31.) nobiliſſimus et ditiſſimus. Nominat id praedium Toutuoia, Cenomanorum urbi vicinum, *Belonius* (*neglect. cult. p.* 216.).

Cum idem Belonius anno 1558. etiamnum Pariſinae univerſitatis antiſtites moneat, facili negotio poſſe hortum inſtitui academicum (*l. c. p.* 240.), patet, eo demum tempore caruiſſe horto botanico Pariſios.

Primum autem in Gallia conditi horti publici exemplum eſt Monſpelienſis, quem a Rich. Bellevalio inſtructum, ſuadente duce Ventadour, uni-

verſitati donavit Henricus magnus (*Hiſtoire de Languedoc*, *tom.* 5. *p.* 487. 503.). Ibi gallicas, alpinas et pyrenaicas plantas, numero MCCC coli, teſtatur Olivarius de Serras (*théatr. d'agricult.* 1600. Paris. fol.).

* * *

In Germania qui horti eius ſaeculi fuerint, memoriae prodidit Conr. *Gesnerus* (*de hort. German. ad cult. Valer. Cordi.*). Ipſe autem Euricius Cordus, Theod. Zwingerus Baſileae, Matth. Curtius Lindaviae, Bened. Aretius Bernae, Israël Minkelius Argentinae, Petrus Condenbergius Antverpiae hortos aluerunt. Hieron. Tragi etiam, Leon. Fuchſii et Laur. Scholtzii Vratislavienſis horti eo aevo celebres fuerunt. Catalogum plantarum, primum plantarum, quae in Germaniae hortis proveniebant, edidit Conr. *Gesnerus*, dein horti ſui Laur. *Scholtzius* (1594.).

Leidae hortus publicus academicus, ſuadente Ger. Bontio, 1577. conditus eſt, Theod. Augerio Clutio primo praefecto, cuius filius mox itineribus per Europam Auſtralem et Africam ſusceptis inſigniter novum hortum ditavit. Succeſſit Clutio 1589. Petr. Paawius, partes autem provinciae demandatae ſunt Car. Cluſio et Bern. Paludano (*Boerhaav. hiſt. hort. in limine indic. alter. hort.* Lugdbat. 1720. 4.).

CAP. IV.

PEREGRINATIONES ET ITINERA, QUAE REI HERBARIAE AMPLIFICANDAE INSERVIERUNT.

Quantopere profuerint itinera, vel alio fine ſuscepta, rei herbariae per ipſa barbara ſaecula, ſupra praecepimus. Iam vero, quum lux liberiorum cognitionum alacritate nova ſtudia incitaret, in ipſum hunc finem inſtituta itinera meſſim ingentem plantarum novarum attulerunt.

Merus et ſimplicia orientalia triplici potiſſimum via Europam adferebantur. Prima borealis per Bactrianam caſpiumque mare tendebat Caſanum, unde Novogrodum et Wisbium (in inſula Gottlandia) ibatur (*Lopez de Gomara hiſt. de las Indias, p.* 99. in *Barcia hiſtoriador. primit. de las Ind. vol.* 2. — *Sartorii hiſt. civit. hanſeat. p.* 198 ſ.). Secunda via per pontum Euxinum ducta, Trapezunti in Tauride urbe emporia habebat (*Clavijo hiſt. del gran Tamorlan, p.* 113. *Lopez de Gomara l. c.*). Tertia demum via per ſinum perſicum et mare rubrum, Alexandriam aut Halepum agnoſcebat, velut celeberrima commercii emporia: licet, et ipſo fatente *Sanuto Torſella*, multo carioris pretii et vilioris indolis merces eſſent, quae hac via in Europam advehebantur. Varia etiam ſimplicia nunquam per Alexandriam, ſed ſemper

per Tauridem et Trapezuntum venerunt, velut Rheum, Cinnamomum, nuces moſchatae, caryophylli *(Clavijo p.* 113. 190.*)*.

Interea a medio inde ſaeculo decimo quinto Luſitani, principe Henrico iubente, occidentalem oram Africae navigando perquiſiverunt Maderam primum, dein 1456. Capitis viridis inſulas, promontorium viride et rubrum appulerunt, cuius Ludovicus praeprimis *Moſtus*, Venator, qui *Cadamoſto* vulgo appellatur, narrationem reliquit *(Ramuſio coll.* 1.*)*. Impulit autem principem Henricum, ut huc potiſſimum navigia tendere iuberet, magnus mercimoniorum pretioſorum proventus in iis inſulis. *Dracaena* maxime *Draco*, quam ad portum ſanctum Maderae inventam deſcribit Moſtus *(Ramuſio* 1, *f.* 106.) quaeque Sanguinem draconis, ab antiquo omnino diverſum, largiebatur, magni aeſtimatum. Saccharum etiam in Madera et aliis inſulis Canaribus colebant Luſitani. Laurus indicae lignum rubrum, eximiam materiem, menſis elegantiſſimis idoneam et Lichenem Roccellam, *Oricello* dictam, e Canariis inſulis apportarunt Luſitani. Ad fluvium Senegal invenit Moſtus arbuſculam, quae phaſeolos ferat coccineos cum hilo atro exiguos — *Abrum precatorium (Ramuſio* 1. *f.* 113. a.). Ad promontorium viride arborem vaſtiſſimam, 17 ulnas diametro — *Adamſoniam digitatam (ib. f.* 118. b.).

Oram Africae occidentalis iugiter legentes Lusitani, 1460, Alphonso Sequeixa duce, litus invenerunt, quod a *Zingibere Malaguetia* (alias *Amomum Granum Paradisi*) nomen habet. Is olim fructus a Mauris, Mandingis, per desertum ingens Zaharam, Tunctum portabatur (*Barros decada, da Asia portugueza, f.* 33. d.).

Lusitani sequentibus annis lineam ultra aequinoctialem progressi, Alphonso Aveira duce, Beninum et Congum regionem invenerunt, ubi *Myrtus Vincenta* (*Rabo pola*) provenit, haud tanti aestimata ac piper orientale (*Barros l. c. f.* 40. *d.* 41. a.). Fallitur ergo amicus olim *Sprengelius* (*hist. geogr.* 376. 377.) dum Malaguettam et Pimentam confundit.

Paullo post (1486.) detectum a Bartholomaeo Diaz caput bonae spei, *Vasco da Gamma* viam monstravit, qua peti India orientalis posset. Earum regionum commercium lucrosissimum ex eo inde tempore Lusitani sortiti sunt, donec (1520.) Ferdinandus Magellanus, Lusitanus et ipse, a rege suo neglectus aut offensus, Hispanis suaderet, aliam sibi munire, et occidentalem quidem viam, qua sub America ipsa iretur ad Indiam orientalem. Invidiam continuam bellaque ipsa crudelissima commoverunt Caryophylli aromatici, quos e Moluccis, Santalum, quod e Timor, Camfora, quam e Borneo, et Aloë, quam e Succotra reportarunt Lusitani

(*Barros* 1, 114. 147. *Lopez de Gomara* in *Barcia hiſtoriad.* 2, 92. 93.). Invidiam mercatorum Alexandrinorum primum tumultum Indorum contra Luſitanos ſollicitaſſe, refert *Petrus Martyr* (*epiſt.* 10, 181.).

Quum Ceylonam Lopo de Soarez 1519. detexiſſet, Cinnamometorum in ea inſula frequentium etiam potiti ſunt Luſitani: *Cocos maldivica* (*Lodoicea Commerſ.*) innotuit ut alexipharmacum, dum Io. Gomez 1525. inſulas Maledivas occuparet (*Barros* 3, 70.). Sumatra a Georgio Albuquerque Luſitanis ſubiecta largita eſt Camforam e Fanſora, Santalum album, Aquilariam, Terminaliam Benzoin, Metroxylon *König.*, Nipam fruticantem et Elaten ſylveſtrem (*Barros* 3, 114. 128.).

Caryophylli aromatici maxime ex inſulis Ternate, Tidor, Bocham, Mutel et Palo Caballo, quae ab occidente inſula Gilolo vicinae ſunt, proveniebant. Praefuit huic mercatui legatus Luſitanorum, Antonius Calvaõ, in inſula Ternate reſidens (*Barros* 3, 127.).

* * *

Novus interea orbis detectus novum etiam et immenſum Florae imperium revelavit. Indiam quaeſiverunt aromatibus et auro ditiſſimam, qui primi Americam adierunt, Indiam etiam appellarunt novas terras, Indiaeque plantas ibi obſervare ſibi viſi ſunt. Quid quod Europaeos flores in Chi-

lenſi regione deſcribat poëta Alphonſus *Ercilla* (*Araucana*, *cant.* 17. *p.* 176.).

„El blanco lirio y encarnada roſa,
„junquillos, azahares y moſquetas,
„azucenas, jazmines y violetas."

Et ipſe *Cortuſius*, egregius alioquin botanicus, πυκνόκομον Dioſc. (*Leonurum Marrubiaſtrum*) cum Papas Peruano (*Solano tuberoſo*) commutavit (*I. Bauh. hiſt.* 3, 623.). Arachidnam Theophraſti idem credidit *Cluſius*.

Protinus ut ſumma ingenii vis et fortitudo Chriſtophori *Columbi* 1492. inſulas Indiae occidentalis appuliſſet, novae plantae novique fructus ſemet ipſi obtulerunt. *Dioſcorea ſativa*, *Amyris balſamifera* (*Almaſtiga*, arbol, que en la hoja y eh fruto es ſemejante al lentiſco), *Zea Mays*, *Nicotiana Tabacum*, *Bombax Ceiba* primae plantae fuerunt, ad quas Hiſpanorum animi attendebant (*Barcia hiſtoriad.* 1, 24.).

Quum Columbus ſecunda navigatione detegeret Guadalupam, *Bromelia Ananas* primum innotuit. (Cierta fruta, que parecia piñas verdes, y Uenas de una carne, que parecia Melon, muy oloroſa y ſuave. *Barcia* 1, 43.). Huic fructui palmam prae omnibus tribuebat rex Ferdinandus (*Petr. Martyr rer. ocean. dec.* 2. *lib.* 39. b.). Cinnamomum invenerunt Hiſpani in Hiſpaniola (*Barcia* 1, 61.) quod *Laurus montana* eſſe videtur: Myrobalanos

in Veragua, qui e Terminalia latifolia veniſſe videntur (*ib.* 106.): Palmam novam, e cuius fructibus ceraſa aemulantibus vinum parabatur, *Bactris maior* (*ib.* 112.): *Mammeam americanam*, fructum ſuaviſſimum: *Iatropham* denique *Manihot*, e qua panis conficiebatur (*ib.* 118.), quo veſci malebant Hiſpani, quam triticeo, quod ſapidi ſit guſtus ac facilius ſtomacho concoquatur (*Petr. Martyr epiſt.* 8, 156.). Iuccam vocabant incolae, cuius ſuccum aconito letaliorem eſſe aiebant, qui epotus ilico perimat, panem autem ex eius farina confectum ſapidum eſſe et ſalubrem omnes confitebantur (*Petr. Martyr de reb. ocean. lib.* 1. *p.* 2. *Oviedo* in *Barc.* 1. *p.* 6. 7.).

Mexicanum regnum detectum 1519, Cordova, et occupatum 1520 Corteſio ducibus; Peruvianum imperium 1527—1530 a Franciſco Pizarro ſubiugatum; Chilenſis natio Hiſpanis poſt diuturna bella ſubmiſſa a Valdivia 1548.; Florida occupata a Ferdinando de Soto eodem fere tempore; Braſilia longe antea (1500) a Petro Alvarez Cabral Luſitanorum imperio ſubmiſſa; novae terrae, quas Ferdinandus Magellanus in America auſtrali et oceano pacifico (1519) detexit, novarum plantarum innumeram copiam Europaeis tradiderunt, quae tum uſui medico ac oeconomico idoneae tum ad rei herbariae doctrinam amplificandam commodiſſimae videbantur.

Primus, qui novi orbis plantas uberius deſcripſit, Gonzalus Ferdinandus *Oviedus* de Valdes eſt, ſummus Hiſpaniolae et Dariae praefectus; memoriter autem conſcripſit hiſtoriam 1525 poſt reditum. (*Barcia hiſtoriadores* 1. *Ramuſio* 3. *Purchas Pilgrims* 2.). Quae maxime memorabiles ipſi videbantur, ſequentes ſunt:

Mammea americana (*Mamey p.* 37. *Barcia.*). . . Annona muricata (*Guanabano ib.*). . . Pſidium pomiferum et pyriferum (*Guayaba ib.*). . . Cocos nucifera (*Cocos p.* 38.). . . Cocos fuſiformis (*ib.*). . . Chamaedorea gracilis Willd. (*Ai unas palmitas, que tienen la hoja como la de los palmitos terreros del Andalucia, y eſtas llevan por fruta unas cuentas pequeñas y redondas p.* 39.). . . Elais occidentalis (*Ai otras palmas altas y de buenos palmitos etc. ib.*). . . Thrinax parviflora (*Palmas muy eſpinoſas ib.*). . . Areca oleracea (*Palmitos muy excelentes para comer ib.*). . . Quercus ſalicifolia (*Encinas buenas de comer ib.*). . . Vitis indica (*Parras:* ſed *uvas mas grueſas no tan agras ib.*). . . Carica cauliflora (*Higos del maſtuerço p.* 40.). . . Chryſobalanus Icaco (*Membrillos ib.*). . . Laurus Perſea (*Perales ib.*). De eadem Petr. *Martyr ocean. f.* 41. . . . Creſcentia Cujete (*Higuero, que echan calabaças redondas ib.*). . . Spondias Mombin (*Hobos p.* 41.). De eadem *Lopez de Gomara p.* 60. Petr. *Martyr*

f. 39.). . . Guaiacum officinale (*Palo ſanto*, *Guaiacan ib.*). Guaiacum Xagua ? *p.* 42. . . Hippomane Mancinella (*Mançanas de la Jerva p.* 42.). . . Bambuſa Guadua *Humb.* (*Caña p.* 44.). . . Convolvulus Batatas (*p.* 45.). . . Ceropia peltata? (*Platanos p.* 46.). . . Cactus Tuna (*p.* 27.). . . Heliconia Bihai (*ib.*).

In eadem *Barciae* collectione Alvarus Nuñezius *Cabeça de Vaca* Floridae plantas deſcribit: Caſſiam Fiſtulam (cuius uberrimum invenerunt Hiſpani proventum): Limoniam acidiſſimam: Hedwigiam balſamiferam (non Myroxylon peruiferum ut vult *Bauhinus in pin.*), Canellam albam, Ingam fagifoliam Willd.

Mexicanas plantas *Lopezius de Gomara* paucas habet: Agaven americanam (*Maguey. Metl. Barcia tom.* 2. *p.* 211.) Tolviferam Balſamum: Cactum coccionelliferum (*Nuchtli p.* 79.): Theobroma Cacao (*p.* 82. 209.).

Peruvianas plantas primus deſcripſit *Çarate* (*Barcia* 3.) qui (*p.* 10. 477.) nomine Papas Solani tuberoſi meminit.

Paraguaienſes poëta Martinus *del Barco* in Argentina (*Barcia* 3.) ubi *p.* 9. Paſſiflora coerulea, Mimoſa pudica et Dorſtenia Contrayerva memorantur.

Adiit etiam Indiam occidentalem (1542—1556) Hieronymus *Benzoni*, Italus, cuius „no-

„va novi orbis hiſtoria“ Genev. 1578. 8. plantarum quarumdam memorabilium deſcriptionem continet. Inter eas eminet *Petum*, ſ. Nicotiana Tabacum, cuius uſum is uberius obſervavit. Non multo poſt Benzoni reditum (1559) herba ea Lisbonae iam culta, velut remedium ulcera maligna ſanans, oratori gallico Ioanni *Nicotio* innotuit, qui, tum foliis tum aqua deſtillata tentatis, eximium eius uſum ſemet obſervaſſe Regi Galliae nunciavit. Quo quidem iure nomen ipſius plantae tributum fuit (*L'Agriculture et maiſon ruſtique, par Ch. Eſtienne et J. Liebaut, p.* 208. Rouen 1647. 4.). Fuit autem ea ſpecies N. *Tabacum*, quod e deſcriptione Nic. *Monardis* (*apud Cluſ. exot. p.* 307.) elucet. Mox vero et N. *fruticoſa* (*Petum femina* et N. *glutinoſa* et N. *ruſtica* fuerant, ut quatuor iam ſpecies Cluſio innotuerint. Optimus Conr. *Gesnerus*, qui experiri omnia conſueverat, folia eius herba et manducare et fumum ſugere auſus fuit, quo ebrietatis ſpeciem et vertiginem ſibi conſcivit (*epiſt. medic. f.* 79. b.). Eadem in cane experimenta repetiit Aegidius *Everardus*, qui inſignia commoda herbae praedicavit (*Comm. de herba Panacea, quam alii Petum, alii Nicotianam vocant*, Antverp. 1587. 12.). Monardis tractatum interpretatus eſt Iacob. *Gohory* (*Inſtruction ſur l'herbe Petum*, Rouen 1588. 8.).

Meminit etiam primus Benzonius arboris il-

lius mirabilis, quae perennes aquas e foliis fundat, *Nepentheos* ſine dubio *deſtillatoriae*, cuius vero patria (Zeilona) falſo habetur inſula Ferro. Recurrit tamen haec arboris hiſtoria in plerisque poſterioris aevi ſcriptis, et ipſo C. *Bauhini pinace* (*p.* 512. 513.).

E primis memorat Benzonius *Coram* fruticem, quem adſiduo Peruanos in ore geſtare adfirmat, ut nec ſitim ſentiant nec virium infirmitatem. Eſt autem, ut Ioſ. *Juſſieuus* obſervavit, *Erythroxyli* ſpecies, cuius proventus in provincia Peruviae, Yungas dicta, tam copioſus eſt, ut quotannis 7 — 800,000 numi, quos *Piaſtros* dicunt, inde redeant (*Lam. encycl.* 2, 393.).

Braſiliae hiſtoriam naturalem primus conſcripſit monachus Carmelita, Andreas *Thevetius* (*Les ſingularitez de la France antarctique*, Antverp. 1558. 8.). Licet rudiores plantarum icones addat, ac diu ſe in Braſilia commoratum fuiſſe adſeveret, fidei tamen parum meretur, quum non immerito de fama ipſius detraxerit Ioannes *Lerius*, Margella-Burgundus, candidus homo et eccleſiaſticus, qui ad fidem Reformatorum propagandam, iubente ſummo Colignio, cum aliis Braſiliam (1556.) adgreſſus eſt (*Hiſtoire d'un voyage fait en Breſil.* 1576. 8.). Diſertis is verbis fatetur, terram ipſam a Braſiliano potius ligno, quam hoc ab illa nomen accepiſſe (*p.* 194.). Deſcribit plantas ſequentes:

Zamiam furfuraceam (202. *Ayri, palmam, ligno duriſſimo.*). . . Copaiferam officinalem (*ib. Copan.*). . . Amyridem balſamiferam (202. *Bois de ſenteur de roſes.*). . . Cerberam Ahovai (*ib.*). . . Anacardium occidentale (205. *Acaion.*). . . Muſam ſapientum (*Paco* 206.). . . Nicotianam Tabacum (*Petum* 212.). . . Caladium eſculentum *Venten* (*Caiou, eſpèce de Choux* 214.). . . Convolvulum platanifolium (*Hatich* 214.). . . Arachin hypogaeam (*Marobi* 215.).

Et in coſmographico opere (*La Coſmographie univerſelle*, 1. 2. Paris 1575. fol.) *Thevetius* plantarum deſcriptiones dedit parum fidas iconesque aeque incertas. Sic (*vol.* 1. *f.* 69. b.) oleraceam plantam, *Achanaca*, habet, quae contra morbum Yaws dictum, expediat. Fabuloſa pariter eſt hiſtoria Rhabarbari (*f.* 126.) et miſerrima figura, e *Marino* mutuo accepta. Smilacem Chinam paullo melius tractat (*f.* 415.). Qualis ſit arbor zeilanenſis *Gehuph* (*f.* 419. b.) plane ignoro. Convolvulum platanifolium male delineat (*vol.* 2. *f.* 921. a.) ut et Cerberam Ahovai (*f.* 922. a.): peſſime Nicotianam (*f.* 927. a.) et Iatropham Manihot (*f.* 948. b.).

Quae alii invenerunt, collegit Nicol. *Monardes* prof. Hiſpalenſis in libro, quem *Cluſius* in exoticis interpretatus eſt. Multa ipſe viderat, plura etiam, velut Carañam, quae etiamnum definire ne-

quimus: medicus tamen medico consilio omnia describit. Praecipuae plantae, systematice determinandae sunt:

Hymenaea Courbaril (297. *Anime.*). . . Populus balsamifera (238. *Tacamahaca.*). . . Iatropha Curcas (299. *Oleum cicinum.*). . . Tolvifera Balsamum (304.). . . Guaiacum officinale (312.). . . Dorstenia Contrayerva (311.). . . Smilax China et Sarsaparila (315. 316.). . . Laurus Sassafras (320.). . . Canella alba (323.). . . Iatropha multifida (*Avellanae purgatrices* 334.). . . Convolvulus Mechoacanha (334.). . . Capsicum annuum et frutescens (*Piper* 340.). . . Passiflora incarnata (*Granadilla* 347.). . . Helianthus annuus (*Herba Solis ib.*). . . Tropaeolum maius et minus (*Flos sanguineum et Nasturcium peruanum* 348.).

Monardis librum cum aliis fere excerpsit Ioan. *Fragosus*, quem supra iam citavimus. „Discur„sos de las cosas aromaticas etc. de las Indias, „Madr. 1572. 8.“

Neque Gaufridus *Linocierus* peculiaria multa habet, sed pleraque e Monarde, Lerio, Garcia et Acosta (*Histoire des plantes aromatiques, qui croissent dans l'Inde tant occidentale, qu'orientale.* Paris 1584. 16.).

* * *

Orientis interea regiones, eximiarum plantarum feracissimae et veterum monumenta maxime

illuſtrantes, eruditorum curioſitatem excitarunt: quorum ſtudio factum eſt, ut plantae, quas Dioſcorides et Arabes dixerunt, indies magis innoteſcerent et melius exponerentur.

Primus autem peregrinationem eiusmodi utiliſſimam ſuscepit Petrus Belonius, Cenomanus (nat. 151.., occiſus a latrone Romano 1563.). Peragratis ab ineunte adoleſcentia Gallice, Helvetiae, Italiae, Germaniaeque partibus, Cardinali Turnonio commendatus et ab eo ſustentatus, adiit Orientem (1546.) ac per tres annos Graeciam, Archipelagum, Aſiam minorem, Syriam et Aegyptum perquiſivit, in plantis potiſſimum ſtudioſus, neque tamen animalia aut ipſos hominum mores neglexit. Gallice conſcriptas obſervationes Cluſius latine interpretatus eſt et exoticis ſuis addidit.

Utilia multa et nova occurrunt, e. g.:

Platani orientalis vera deſcriptio et icon (*p.* 9.). . . Salvia pomifera. . . Ariſtolochia baetica ſ. altiſſima *Fontan.* (*p.* 9.). . . Brotera corymboſa (*Chamaeleon niger in inſula Lemno p.* 34.). . . Euphorbia Apios in monte Atho (*p.* 43.). . . Cotyledon Umbilicus (*p.* 56.). . . Acacia vera (*p.* 123.). . . Lawſonia inermis (*p.* 135.). . . Caucalis orientalis (*p.* 200.). . . Ephedra altiſſima (*p.* 206.). . . Prunus Laurocerauſus (*Ceraſus trapezuntina.*).

Secundus Orientem adiit Melchior GUILANDINUS Boruſſus, poſt reditum prof. Patavinus († 1589.) acerrimus homo, Matthiolo praeſertim adverſarius. In Aegypto et Syria fuit 1559 et 1560, ex captivitate piratarum redemtus Fallopii liberalitate. Edidit celeberrimum et eruditiſſimum „de Papyro" tractatum, Venet 1572. 4. odii praeterea plenum libellum „Theonis adv. Matthaeolum," Patav. 1558. 4. Tantopere ſaepius fallitur, ut Belladonnam cum Mandragora confundat (*Matthiol. ep.* 3. *p.* 134.).

Veſtigia Belonii preſſit, incredibili plantarum amore accenſus, optimus vir Leonardus RAUWOLFIUS, Vindelicus († 1596.), qui per tres annos (1573—1576.) Aſiam minorem, Syriam et Perſiae partem viſitavit. Itinerarium ipſius (*Aigentliche Beſchreibung der Rayſs etc.*, Lauingen 1583. 4.) deſcriptiones plerumque exactas plantarum plurimarum continet, quas numero DXIII. ſiccatas ex Oriente reportaverat: ſervantur eae etiamnum in bibliotheca Leidenſi, iisque inveſtigatis Io. Fr. *Gronovius* „floram orientalem" LB. 1755. 8. elaboravit. Redierunt tamen plures iconibus elegantibus expreſſae in C. *Gesneri opp. ed. Schmiedel.* Itinerarii Rauwolfiani editio, quam ſupra citavi, quarto libro continet XLII. icones plantarum orientalium, in opere ipſo deſcriptarum, plerumque novarum, e. g.:

Plantago Lagopus (*Catananche n.* 6.) ſaepe repetita ab Imperato, C. Gesnero, C. Bauhino.

Convolvulus Imperati (*n.* 54. b.). . . Echium italicum var. β. (*n.* 120.). . . Solanum Melongena (*n.* 73.). . . Sol. ſanctum (*n.* 73. b.). . . Anabaſis aphylla (*Kali Arabum n.* 38.). . . Artedia ſquamata (*Gingidium Dioſc. n.* 287.). . . Paſtinaca Secacul *Ruſſel.* (*n.* 74. b.). . . Statice ſinuata (*Limonii ſpecies*, *n.* 314.).

Leontice Chryſogonum (*n.* 119.).

Michauxia campanuloides (*Medium* 248.) multo elegantius ea redit in *Gesneri opp. ed. Schmiedel tab. lign.* 4. *fig.* 36. . . Lawſonia inermis (*n.* 60.).

Rheum Ribes (*n.* 266.).

Reaumuria vermiculata (*Kali n.* 37.). . . Zygophyllum Fabago (*Morgſani n.* 113.).

Acanthus Dioſcoridis (*n.* 285.).

Hibiſcus Trionum (*n.* 193.).

Hedyſarum Alhagi (*Agul. n.* 94. 173.). . . Aſtragalus chriſtianus (*n.* 116.). . . Aſtrag. denſifolius (*Tragium alterum n.* 29.). . . Aſtrag. coluteoides (*Tragacantha altera n.* 281.).

Scorzonera tuberoſa (*Chondrilla altera n.* 17.). . . Artemiſia iudaica (*Scheha n.* 456.). . . Gnaphalium ſanguineum (*Baccharis n.* 285.). . . Baccharis Dioſcoridis (*Conyza n.* 54.). . . Erigeron tuberoſum (*Chondrilla altera*, *n.* 117. b.). . .

Centaurea Behen (*Behen album n.* 288.). . . Gundelia Tournefortii (*Silybum n.* 74.).

Ariſtolochia maurorum (*Rauſut et Rumigi n.* 121.).

Poterium ſpinoſum (*Bellan* 287.). . . ? Salix aegyptiaca (*Zarnab. n.* 112.)? Elaeagnus ſpinoſa. . . Sal. babylonica (*Garb n.* 160.).

In opere ipſo Coffeae potus (*p.* 98.) deſcribitur, rarioresque aliae plantae, ut Calla orientalis (*Arum Carſaami p.* 115.), Tragopogon lanatus (*p.* 219.) etc.

* * *

Mox etiam Indiam ſuam orientalem Luſitani medici curatius perveſtigarunt, ut medicamenta et aromata veterum exponerent. Arabum monumenta, licet linguam non ſatis callerent, adſiduo compararunt, neque facile plantarum botanicam dederunt deſcriptionem, utilem tamen omnino laborem.

Praeivit Garcias ab Orto, proregis indici medicus, qui Goae et Bombaiae diu commoratus erat, hortumque plantis medicis refertum poſteriori loco aluerat. „Aromatum hiſtoria“ a Cluſio verſa huius exoticis inſerta, haud pauca nova aut memorabilia continet:

Nyctanthen Arborem triſtem (225.).

Strychnon Nucem vomicam (*Colubrini ligni tertium genus* 214.). . . Str. colubrinum (*alte-*

rum genus 214.). . . Ophioxylon ſerpentinum (*primum genus* 214.). . . Convolvulum Turpethum (206.) verum arabicum, quod longe differt a Turbith barbarorum, Seſeleos ſpecie. . . Cariſſam Carandas (227.). . . Iamboliferam pedunculatam (235.).

Terminaliam Benzoin (156.). . . Term. Chebulam (194.). . . Amyridem Kataf (*thuris arborem* 157.). . . Aeglen Marmelos *Correae* (*Cydonia indica* 233.).

Mangiferam indicam (228.). . . Garciniam Mangoſtanam (233.). . . Eugeniam Iambos (233.). Averrhoam Carambolam (234.). . . Annonam muricatam (*Iaca* 227.).

Viticem Negundinem (226.).

Phaſeolum Mungo (236.). . . Indigoferam Anil (239.).

Durionem zibethinum (231.). . . Arecam Catechu (187.). . . Excoecariam Agallocham (172.). . . Smilacem Chinam (208.). . . Mimoſam Catechu (163.).

Imitatus eſt Garciam et ſaepius plane exſcripſit Chriſtophorus Acosta, chirurgus Luſitanus, in Africa natus, literarum rudis, cuius „Aromatum hiſtoria“ ab eodem *Cluſio* exoticis adiecta, eadem fere continet, quae Garcias docuerat. Ligni tamen colubrini deſcriptio differt. Habet etiam pauca peculiaria:

Pavettam indicam (*Pavate* 266.). . . Cerberam Manghas (*Mangas bravas* 284.). . . Hyperantheram Moringam (248.). . . Mimosam pudicam (290.).

Ioannes Hugenius Linschoten, Enchusa-Batavus, adiit Indiam orientalem et Chinam ab anno inde 1579. „Itinerarium“ ipsius (Amsteld. 1644. fol.) a D. Paludano commentariis dotatum, complectitur fructus et aromata Garciae et Acostae, praeterea Rhizophorae Mangles (*Arbor de rays p.* 82.), Daturae Tatulae (*Dutroa p.* 86.), Aquilariae ovatae (*Palo d'aguilla p.* 96.) descriptionem. Paludanus addidit primam mentionem Polianthis Tuberosae, quam 1594. Simon de Tovar Hispanus cum ipso communicaverat.

* * *

Summa solertia et indefesso studio Prosper Alpinus plantas Orientales examinavit, pluresque veterum, ante ignotas, clare expositi. Marosticae natus 1553., cum Consule Veneto Eno 1580 Aegyptum adiit, Caïri triennium commoratus est. Graeciae insulas etiam, maxime Candiam perquisivit, post reditum Principis Doriae medicus, dein professor Patavinus fuit, denatus 1617.

Celeberrimum opusculum est „de plantis Aegypti“, cuius editionem Patav. 1640. 4. coram habeo. Plantae nondum quinquaginta describun-

tur dialogice, delineatae more ſaeculi illius: inter eas novae fere ſunt:

Cynosurus aegyptius (*Meiem el mſalib p.* 122.). . . Cyperus Papyrus (*p.* 111.). . . Plantago ſquarroſa (*Kalli* 3. *p.* 127.). Vahlius habet Schoenum mucronatum, ſed valde differt.

Zizyphus Spina Chriſti (*Nabea p.* 19.). . . Periploca Secamone (*p.* 124.). . . Cynanchum viminale (*Felſel tavil p.* 96.). . . Rhamnus divaricatus Forsk. (*Agiahalid p.* 39.). . . Aſclepias procera (*Beidelſar p.* 86.). . . Caſſia Abſus (*p.* 97.). . . Caſſ. Sophera (*p.* 84.). . . Lycium europaeum (*Uzeg p.* 43.).

Amyris Opobalſamum (*p.* 60.). . . Corchorus olitorius (*Melochia p.* 93.). . . Origanum aegyptiacum (*Zatarhendi p.* 95.). . . Seſamum orientale (*p.* 100.). . . Piſtia Stratiotes (*p.* 108.). . . Adanſonia digitata (*Baobab p.* 67.).

Goſſypium arboreum (*p.* 71.). . . Hibiſcus ſiculneus (*Bamiah p.* 91.). . . Abrus precatorius (*p.* 77.). . . Coronilla Sèsban (*p.* 82.). . . Trigonella hamoſa (*Alchimelech p.* 124.). . . Acacia Senegal (*p.* 15.).

In libro, qui huic adnectitur, „de balſamo“, Amyridis Opobalſami et gileadenſis hiſtoriam naturalem uberrime exponit, veraene autem ſint ſpecies an varietates duntaxat, ambiguum mittit. Coluit tamen in horto fruticem.

Praeſtantiſſimum et novarum plantarum locupletiſſimum opus eſt poſthumum „de plantis exoticis“, quod Venetiis 1627. 4. prodiit. Amplectitur eas, quas a Capello, proconſule Veneto Cretae, a Palmerio Anconitano, Caïri reſidente et ab aliis amicis acceperat et in horto ditiſſimo Patavino coluerat. Inter eas praecipuae ſunt:

Syringa perſica laciniata (*Liguſtrum nigrum* 178.). . . Cenchrus fruteſcens (*Arundo graminea aculeata p.* 104.). . . Scabioſa limonifolia (*Sc. arborea p.* 34.).

Galium graecum (*p.* 166.). . . Lithoſpermum fruticoſum (*Anchuſa arborea p.* 68.). . . Onoſma ſimpliciſſima (*Echium creticum* 129.). . . Convolvulus paniculatus (*arabicus* 185.). . . Campanula Alpini (*pyramidalis minor* 340.). . . Ferula Aſa foetida (*Laſerpitium* 210.). . . Statice Echinus (56.). . . Linum arboreum (18.). . . Oenothera biennis (*Hyoscyamus virginianus* 324.).

Daphne oleoides (*Chamaedaphnoides cretica* 43.). . . Aur creticum (1).

Saponaria cretica (*Saxifraga altera* 291.). . . Dianthus iuniperinus (*Caryophyllus ſylv. arboreus* 38.). . . Euphorbia aleppica (*Tithymalus Cypariſſius* 64.).

Pyrus cretica (*Ceraſus idaea* 2.). . . Nymphaea Lotus (*p.* 213.—229.). Uberrima eius

plantae hiſtoria. . . Ciſtus creticus (*Ladanum creticum p.* 88.). . . Ranunculus muricatus (*p.* 262.).

Teucrium creticum (*Rosmarinum ſtoechadis facie p.* 102.). . . Satureia graeca (*Clinopodium creticum p.* 264.). . . Nepeta Scordotis (*p.* 283.). . . Origanum Maru (*p.* 288.). . . Scrofularia ſambucifolia (*Sideritis p.* 202.). . . Celſia Arcturus (*Verbaſculum ſylveſtre creticum p.* 122.). . . Bunias ſpinoſa (*Braſſica p.* 200.).

Alyſſum creticum (*Leucoium luteum, utricalato ſemine, p.* 118.). . . Cardamine Impatiens (*Sium minimum* 331.). . . Cleome pentaphylla (*Quinquefolium ſiliquoſum* 322.). . . Hibiſcus Abelmoſchus (*p.* 196.).

Geniſta luſitanica vel Spartium horridum (*Echinopoda p.* 14.). . . Anthyllis cretica (*Ebenus p.* 278.). . . Anth. Hermanniae (*Spartium ſpinoſum p.* 26.). . . Coronilla argentea (*Colutea ſcorpioides argentea p.* 16.). . . Coron. globoſa (*Hedyſarum argenteum p.* 314.). . . Aſtragalus echioides (*Tragacantha altera p.* 54.). . . Trifolium clypeatum (*p.* 306.) . . Trif. uniflorum (*Spica trifolia p.* 168.). . . Lotus edulis (*Trifolium corniculatum p.* 268.).

Catananche lutea (*Stoebe plantaginis folio p.* 286.). . . Acarna gummifera (*Carduus pinea p.* 124.). . . Ac. cancellata (*Carduus minimus p.* 254.). . . Staehelina arboreſcens (*Cyanus arbo-*

reſcens altera p. 32.). . . Balſamita ageratifolia (*Bellis ſpinoſa p.* 326.). . . Chrysanthemum trifurcatum *Fontan.* (*Buphthalmum peregrinum* 320.). . . Achillea cretica (*Stratiotes millefolia cretica p.* 83.). . . Centaurea ſpinoſa (*Cyanus ſpinoſus* 163.). . . Cent. babylonica (*Iacea maxima* 281.). . . Cent. eryngioides (*Carduus* 158.).

Datiſca cannabina (*Canapis lutea* 295—301.). . . Ephedra fragilis (*Equiſetum montanum creticum* 140.). . Pteris longifolia (*Phyllitis* 66.).

Plura etiam inſunt huic operi nondum ſatis determinata.

Cum Proſpero Alpino iungendus eſt Honorius Bellus Vicentinus, medicus Cydonia-Cretenſis, qui Belonium et Alpinum imitans, plantas Graeciae ſtudioſe examinavit. Epiſtolae ipſius ad Cluſium datae (*Cluſ. hiſt.* 2, *p.* 299—314.) verſantur maxime in ventilandis Belonii et Alpini expoſitionibus: ſcriptae autem ſunt ab anno inde 1594. Explicat Echinopoda, Baobab, Aſclepiada proceram, Sopheram, Cytiſum veterum, Stachyn ſpinoſam (*Gaiderothymo*), Scandicem auſtralem (*Zilimouida*), Scutellariam peregrinam (*Scordotin Plinii* 2.), Abrum etc.

Ex eiusdem Belli literis Pona expoſitiones non paucas montis Baldi hiſtoriae inſeruit: e. g. de Stähelina Chamaepeuce (*Stoebe capitata*), de Cichorio ſpinoſo, de Loto eduli (ἑρᾶζοῦνι), de Phyteu-

mate pinnato *(Petromarulo)*, de Verbaſco ſpinoſo *(Galaſtivida)*, de Satureia ſpinoſa, Teucrio brevifolio *(Polium erectum creticum)* etc.

CAP. V.

INSTAURATIO, COLLECTIO ET DISPOSITIO INVENTORUM.

Expoſitio veterum critica, hortorum cultura et itinera botanica theſaurum rei herbariae ſatis amplum aperuerunt. Inventa vero colligenda, comparanda cum cognitis et ventilanda erant: neceſſitas etiam urgebat tot varias res in ordinem quemdam disponere, ac, ni ſyſtema conderetur, ſpeciem quamdam dispoſitionis melioris introducere.

Id conſilium primus, ni fallor, Conradus Gesnerus cepit, vir omni literarum genere cumulatiſſimus, atque tum animi dotibus praeclaris tum incredibili plantarum amore inſignis. Humili loco Tiguri 1516. natus, patre pellione in bello civili occiſo, victum tenuiſſimum quaerere in puerorum inſtitutione debuit. Immaturo etiam matrimonio magis depreſſus, adiit tamen Galliam meridionalem, Argentoratum, Lauſannam et Baſileam, ubi demum ſummos in arte medica honores adeptus, patriae poſtea inſerviit, alpes Helvetiae, maxime montem Septimum et Pilati, et Vallem Tellinam,

Io. Bauhino comite, percucurrit, hortum proprium coluit, veterum monumenta diligentiſſime emendavit, plantarum vires experimentis in ſe ipſo, temere ſaepius, inſtitutis inveſtigavit, pictorem aluit, qui plusquam MD icones nitidiſſimas et exactiſſimas, ad opus inſigne, hiſtoriam plantarum, pararet, artem medicam ipſe exercuit, eamque laborioſam vitam ad annum 1565. usque produxit, ubi peſte ereptus eſt *).

E tantis tanti viri meritis, quae Hallerus civis ipſius et Schmidelius uberrime expoſuerunt, memoranda praecipue eſt ipſius perſpicacia, quae facile vidit, e ſeminibus, fructibus et floribus plantarum potius quam e foliis naturas ſtirpium et cognationes apparere. Unde monuit amicum Theod. Zwingerum (*epiſt. ed. Wolf. f.* 113. a.) ſemina et fructus plantarum delineari debere. His enim notis facile deprehendi, Staphidem agriam et Conſolidam regiam Aconito συμφύλους εἶναι βοτάνας. Ita etiam ad Ad. Occonem (*f.* 65. b.) ſcribit, cognationem plantarum e ſeminibus praeprimis derivandam eſſe. Eo etiam nomine icones Gesnerianae prioribus omnino multo praeſtantiores ſunt, quod partes eſſentiales exprimunt.

Novas complures ſpecies detexit, tum alpinas,

*) Uberrime de vita Gesneri commentatus eſt *C. C. Schmiedelius in praef. ad opp. Gesneri.*

quas ipſe vel invenerat vel amici, Aretius Bernenſis, Vollatus, Zwingerus et alii miſerant, tum exoticas, in horto ſuo cultas aut ab amicis exteris cum ipſo communicatas. Plerasque diligentiſſime pictas cum deſcriptione reliquit Caſp. Wolfio, qui ὑπόσχεσιν cum ſpecimine iconum, Simleri vitae Gesneri adiectam (Tigur. 1566. 4.) edidit. At promiſſis Wolfius morbis vexatus non ſtetit, vendidit theſauros Gesnerianos Ioach. Camerario (pretio 150 flor.), qui iis ad epitomen Matthioli edendam uſus eſt, ut, quaenam verae ſint Gesnerianae icones, haud facile determinari poſſit. Ceſſerunt aliae icones Trewio, a quo acceptas *C. C. Schmiedelius* titulo „Operum botanicorum“ *tom.* 1. 2. Norib. 1754. 1771. fol. numero 72 vel aeri vel ligno inciſis partim etiam coloratis edidit.

Coram eſt „Hiſtoria plantarum C. Gesneri, Pariſ. 1541. 16.“ iuvenile opus, e veteribus conſcriptum, nil peculiare aut novum continens. Multo utilior eſt „Montis Fracti ſ. Pilati hiſtoria,“ quam *Scheuchzerus* in *hiſt. nat. Helvet.*, Tigur. 1716. recudi curavit. Ad Tragi etiam hiſtoriam et ad Valer. Cordi opuscula adnotationes et additamenta iunxit, praecipue celeberrimum tractatum „de hortis Germaniae,“ ubi plures novas plantas recenſet. Inſunt eae etiam epiſtolis, tum iis, quas Wolfius Tiguri 1577. 4., tum quas Bauhinus Baſil.

1591. 8. edidit, tum etiam libro quarto epiſtolarum, Wittebergae 1584. 4. impreſſo.

Ut pauca tantummodo e tot divitiis clariſſimi viri adducam, Cannam indicam (*epiſt. Wolf. f.* 52. b.) fere primus habet. Paſſim occurrunt praeterea:

Salvia ceratophylla (*tab. lign.* 12. *f.* 104.), calycina *Sibth. fl. graec.* 16. (*tab. lign.* 12. *f.* 103.).

Lappago racemoſa (*tab. lign.* 3. *f.* 20.).

Scabioſa prolifera (*tab. lign.* 4. *fig.* 56.). . . Potamogeton ferratus (*Lapathi genus ſylveſtre minus, hort. Germ. f.* 263. b.).

Nicotiana Tabacum, cuius folia ipſe expertus erat (*epiſt. Wolf. f.* 79. b.). . . Androſace villoſa (*opp. tab. aer.* 9. *f.* 76.). . . Primula Auricula (*hort. f.* 274. a.). . . Pr. marginata (*opp. tab. aer.* 9. *f* 77.). . . Lyſimachia nemorum (*Nummularia ſylvatica hort. f.* 268. b.). . . Convolvulus Nil (*hort. f.* 255. a.). . . Lobelia Dortmanna (*tab. lign.* 13. *f.* 117.). Rediit primum in *Cluſ. cur. poſt.* 75. Gladioli lacuſtris nomine. . . Lonicera alpigena (*Chamaeceraſus ad Val. Cord. f.* 213. b.). . . Solanum Pſeudocapſicum (*hort. f.* 282. a.). . . Rhamnus infectorius (*opp. t.* 19. *n.* 167.). . . Swertia perennis (*opp. prima picta*). . . Gentiana bavarica (*opp. t.* 22. *f.* 84.). . . Gent. aſclepiadea (*t.* 11. *f.* 99.). . . Gent. punctata (*t.* 28. *f.* 92.). . . Gent. purpurea (*ib.*). . . Eryngium

alpinum (*mont. fract.*). . . Liguſticum peloponneſenſe (*ib.*).

Tulipa Gesneriana (*ad Cord. f.* 213.) 1559 primum adlata Auguſtae Vindelicorum floruit.

Epilobium anguſtiſſimum (*ad Cord. f.* 215. b.).

Rhododendron ferrugineum (*tab. lign.* 21. *f.* 181.). . . Saxifraga autumnalis (*Sedi minoris genus, floribus luteis maculoſis, mont. fract.*). . . Euphorbia dulcis (*Eſula hort. f.* 280. b.) . . Dianthus barbatus (*Lychnis monachorum hort. f.* 266. a.).

Meſpilus Chamaemeſpilus (*ad Cord. f.* 215.). . . Comarum fragarioides (*Fragaria ſterilis hort. f.* 250. b.). . . Dryas octopetala (*opp. tab. aer.* 3. *f.* 22.).

Actaea ſpicata (*Chriſtophoriana hort. f.* 253. a.). . . Ciſtus linearis *Cav.* (*tab.* 3. *aer. f.* 25.). . . Ciſt. halimifolius (*ib. f.* 26.). . . Ciſt. guttatus (*ib. f.* 27.).

Mentha cervina (*Pulegium anguſtifolium, ib. f.* 274. a.). . . Stachys paluſtris (*Betonica foetida, mont. fract.*). . . Pedicularis flammea (*Herba aſpleno perſimilis ib.*). . . Digitalis lutea (*ib.*).

Bunias Erucago (*tab. lign.* 13. *t.* 113.). . . Lepidium perfoliatum (*tab. lign.* 13. *f.* 110.).

Polygala Chamaebuxus (*ib.*). . . Aſtragalus Erianthus ſ. Eriocephalus *Willd.* (*Poterium Rauwolf. tab. lign.* 13. *f.* 119. *aer. inc.* 1. *f.* 1.). . .

Ulex nanus (*tab. aer.* 1. *f.* 2.). . . . Lathyrus Aphaca (*ib. f.* 5.). . . Lath. ſetifolius (*tab.* 2. *f.* 11. . . Lath. angulatus (*tab.* 2. *f.* 12.).

Artemiſia valleſiaca (*Abſinthium ſeriphium femina ib.*). . . Achillea moſchata (*Iva moſchata ib.*). . .

Coix Lacrima (*opp. tab. lign.* 2, 15.). . . Pteris cretica (*ib. f.* 12.). Doronicum ſcorpioides ſ. Arnica ſcorpioides, quam haud eſſe Aconitum veterum contra Matthiolum probare ſtuduit, experimentis in ſe ipſo inſtitutis fretus (*epiſt. Wolf. f.* 74. 78.). Ranunculum autem Thoram id potius eſſe perhibet (*f.* 9.).

Non reticenda eſt in hiſtoria rei herbariae ſummi viri modeſtia, candor, humanitas, probitas. Eae animi virtutes vel e qualibet epiſtolarum pagina elucent. Ut Moibani amici liberis auxilium ferret, ſuscepit editionem euporiſtorum Dioſcoridis, e codice, quem Moibanus poſſederat: a Rihelio typographo accepit thalerum unicum pro quaternis philyris, quam pecuniam infantibus patre orbis partim donavit (*epiſt. f.* 25.). Cum Fuchſius, nimis ſuae gloriae cupidus, anxie rogaret, ne plantarum hiſtoriam ederet, candidus vir ita reſpondit, ut virum eximium decet (*ib. f.* 137.) Guilandinum, Matthiolo infeſtiſſimum, monuit, ut meritiſſimo viro parceret, neque ματαίον nominaret, ut adfectus iuveniles exuiſſe videretur (*ib. f.* 140.).

Gratiſſimus erga amicos primus conſilium cepit, nomina plantarum ab iis petere viris, qui experimenta de earum viribus inſtituerint. Vollatam, Aretiam, Occoniam, Calceolariam, Cortuſam optima cenſet nomina, ſi modo plantae veteribus plane incognitae fuerint: alioquin enim veterum appellationes delendas non eſſe (*epiſt. f.* 73. a. 120. b.).

Sequatur Gesnerum amicus eius, Gulielmus Turnerus, Morpetha-Northumbrenſis, Cantabrigiae, exemplo Tragi et ipſius Gesneri, medicinae ſimul et theologiae operam dedit, cumque reformatorum partes nimio defendiſſet ardore, exilio multatus eſt. Id ſapienter toleravit rei herbariae ſtudioſus vir: moratus eſt Coloniae Agrippinae, Argentorati et Baſileae, ubi in familiaritatem Gesneri venit, Patavium denique ſe contulit, ubi medicae artis doctor renunciatus eſt. Redux Ducis Somerſeti archiater, decanus Wellenſis et canonicus Windſori creatus eſt. Hortos plures aluit, Kewi et Wellae, feminumque ipſi adſiduum fuit commercium cum Gesnero, Matthiolo, Ghinio et Guilandino († 1568.).

Edidit magnum opus alphabetico ordine: „A new herball P. 1. Lond. 1551. fol.“, cuius nova editio, tribus tomis comprehenſa Coloniae 1568 fol. prodiit. Duo priores tomi complectuntur plantas veteribus cognitas, quas caute et docte ex-

ponit, ventilatis Fuchſii, Matthioli et Tragi commentariis: icones autem e Fuchſio ſumtae, additis circiter nonaginta. Tertius vero tomus novas habet et veteribus incognitas plantas, tum exoticas tum britannicas tum etiam rhenanas. Inter eas

Aſperula arvenſis *(Aliſſon)*. . . Sedum reflexum *(S. minus)*. . . Crambe maritima *(Braſſica ſylveſtris)*. . . Aſtragalus glycyphyllos *(Glaux)*. . . Medicago ſativa.

Rembertus Dodonaeus, Iankema-Friſo, archiater Caeſareus, dein prof. Leidenſis, nat. 1517. † 1586., innumeras contulit ſymbolas ad augendam rem herbariam. Typographi Antverpienſis amici ſuaſu ſuscepit primum opus belgicum, „Cruydeboek, Antverp. 1553. fol.“ quod a C. Cluſio gallice 1557. Antverp. et ab Henr. Lyte anglice Lond. 1578. verſum fuit. Praxi licet medica obrutus auctor, amicorum tamen divitias tanto ſtudio in ſuum convertit uſum, ut 1559. „de ſtirpium hiſtoria „commentarios“ voluminibus duobus edere potuerit. Icones praeter Fuchſianas adiecit 133 proprias nitidas. Auctum denique et emendatum opus, titulo „ſtirpium hiſtoriae pemptades VI. Ant„verpiae 1583. fol.“ prodiit, cuius poſthumam editionem 1616. parumper auctam poſſideo. Adiectae huic etiam Lobelianae et Cluſianae plantae ſunt, ut nonniſi e prioribus editionibus eluceat, quid ad amplificandam rem herbariam ipſe contu-

lerit Dodonaeus. Ordinem fere ſervat naturalem: plantas veterum docte et eximie exponit, adductis iconibus codicis Dioſcoridei Vindobonenſis. Sunt autem, quas primus obſervavit ac delineavit, plantae praecipuae hae:

Iaſminum fruticans (*Trifolium fruticans* 570.). . . Veronica longifolia et maritima (*Pſeudolyſimachium coeruleum* 86.).

Iris graminea (*Chamaeiris* 247.). . . Aegilops triariſtata *Willd.* 539.).

Heliotropium ſupinum (70.). . . Campanula Speculum (*arvenſis minima* 168.). . . Celoſia coccinea (*Amarantus purpureus* 185.). . . Atriplex portulacoides (*Portulaca marina* 771.). . . Cynanchum acutum (*Periploca prior* 408.). . . Hydrocotyle vulgaris (*Cotyledon paluſtris* 133.). . . Bupleurum rigidum (*B. alterum latifolium* 633.). . . Bupleur. iunceum et falcatum (*angu ſtifolium ib.*). . . Selinum Oreoſelinum (*Veelgutta* 696.). . . Ferula Ferulago (321.). . . ? Laſerpitium Chironium (*Panaces peregrinum* 309.). . . Cicuta viroſa (*Sium alterum* 589.). . . Siſon Ammi (*Ammi alterum parvum* 301.).

Allium Ampeloprafum (690.). . . Fritillaria Imperialis (202.) 1576. Viennae innotuit. . . Fritill. perſica (*Lilium perſicum* 220.). . . Fritill. Meleagris (233.). . . Tulipa ſylveſtris (*minor narbonenſis* 232.). . . Ornithogalum narbonenſe (222.).

. . Ornith. ſtachyoides (*Aſphodelus bulboſus Galeni* 209.). . . Lanaria plumoſa (*Bulbus eriophorus* 692.). . . Anthericum oſſifragum (*Aſphodelus luteus paluſtris* 208.). . . Hyacinthus non ſcriptus (215. 216.). . . Hemerocallis flava (*Lilium non bulboſum* 204.). . . . Hemeroc. fulva (*L. obſoleto colore rubens ib.*). . . Rum. ſcutatus (*Oxalis rotundifolia* 649.). . . Rumex tuberoſus (*Oxalis tuberoſa* 649.).

Erica ?cinerea (*E. altera* 767.). . . Er. ?mediterranea (*E. tertia* 768.).

Chryſoſplenium oppoſitifolium (*Saxifraga aurea* 316.). . . Dianthus virgineus (*Armerius flos* III, 176.). . . Lychnis chalcedonica (*Flos conſtantinopolitanus* 178.). . . Ceraſtium viſcoſum (*Alſine ſpuria* IV, 31.). . . Ceraſt. vulgatum (*Alſine ſpuria* III, *ib.*).

Capparis ovata (746.). . . Glaucium phoeniceum et violaceum *Smith.* (449.). . . Delphinium elatum (*Lycoctonum flore delphinii* 441.). . . Anemone trifolia (436.). . . Ranunculus Flammula (432.).

Teucrium Achaemenis (*Polium* I, 283.). . . Teucr. ſupinum (*Pol. tenuius ib.*). . . Teucr. gnaphalodes (*Pol. repens ib.*). . . Leonurus Galeobdolon (*Urtica iners* III, 153.). . . Phlomis Lychnitis (*Verbaſcum ſylveſtre* 145.). . . Thymus Maſtichina (*Marum vulgare* 271.). . . Mentha ro-

tundifolia (96.). . . Pedicularis faſciculata (*Filipendula montana* 56.). . . Linaria purpurea (183.). . . Anarrhinum bellidifolium (*Linaria odorata* 184.). . . Acanthus ſpinoſus (*A. ſylveſtris* 719.).

Iberis umbellata (*Draba* ſ. *Arabis* aut *Thlaſpi Candiae* 713.). . . Alyſſum clypeatum (*A. Dioſcoridis* 89.). . . Lunaria rediviva (*Viola latifolia* 161.). . . Dentaria pinnata (*Viola dentaria altera* 162.).

Ferraria pavonia (*Tigridis flos* 693.). . . Hibiſcus paluſtris (*Althaea hortenſis* ſ. *peregrina* 653.).

Ulex europaeus (*Geniſta ſpinoſa* 759.). . . Anthyllis lotoides (*Coronopus e cod. caeſ.* 109.). Paludanus invenerat ad montem Libani. . . . Orobus niger (*Aſtragaloides* 551.). . . Vicia narbonenſis (*Bona ſylveſtris* 516.). . . Scorpiurus ſulcata (*Scorpioides* 1, 71.). . . Hedyſarum coronarium (*Onobrychis altera* 549.). . . Aſtragalus ariſtatus (*Tragacantha* 751.). . . Trifolium rubens (*Lagopus maior* 11, 578.). . . Trif. agrarium (576.). . . Trigonella polycerata (*Foenugraecum ſylv. alterum* 547.). . . Trig. corniculata (*Trifolium corniculatum* 11, 573.).

Lactuca perennis (*Chondrilla prior* 637.). . . Crepis ? tectorum (*Dentis leonis* 111, *ſpec.* 636.). . . Hypochoeris radicata (*Hieracium* 111, 639.). . . Catananche coerulea (*Chondrilla* 111, 638.). . .

Cnicus monspeſſulanus (*Cirſion* 737.). . . Onopordon Acanthium (721.). . . Cacalia Anteuphorbium 378.). . . Artemiſia camforata (*Abrotanum odoratum humile* 22.). . . Artem. maritima (*Abſinthium ſeriphium* 25.). . . Gnaphalium arvenſe (*Filago minor* 66.). . . Senecio viſcoſus (*Erigeron maius* 641.). . . After Tripolium (379.). . . Inula crithmifolia (*Crithmum chrysanthemum* 706.). . . Centaurea nigra (*Iacea nigra* 124.). . . Cent. muricata (*Cyanoides flos* 251.). . . Echinops ſpinoſus (*Carduus ſphaerocephalus acutus* 722.).

Orchis hircina (*Tragorchis* 237.). . . Cypripedium Calceolus (*Calceolus Marianus* 280.).

Thuia occidentalis (*Arbor vitae* 858.). Franciſco I. Galliae rege e Canada advena. . . Momordica Balſamina (*Charantia* 670.). . . Cucumis flexuoſus (*oblongus* 662.).

Salix fuſca (*pumila prior* 843.). . . Stratiotes aloides (*Sedum aquatile* 589.). . . Myrica Gale (*Chamaeleagnus* 780.).

Aſplenium lanceolatum *Smith.* (*Dryopteris candida* 456.).

Fucus nodoſus (*maritimus* III, 480.) filiquoſus (IV, *ib.*), loreus (II, 479.).

Dodonaei civis, Matthias Lobelius, Inſulis Belgii 1538. natus, iconum praeſtantiſſimarum tantam copiam edidit, quantam nemo ante eum: qua-

rum licet ingentem numerum in operibus ab anno 1576 editis (*ſtirp. hiſtoria et icones*) e Cluſio mutuatus fuerit, parem tamen copiam (praecipue in adverſariis) tanquam ſibi peculiarium atque novarum repraeſentavit. Fuit enim Lobelius vir peregrinationibus, lectione, ingenio, doctorum hominum commercio et ampliſſima plantarum cognitione clarus, uno ſaltem Gesnero aut Cluſio ſecundus. Galliam auſtralem praeprimis ſtudio ſummo peragravit, Narbonae Petro *Pena* in amicitiam recepto, quocum poſtea opera ſua edidit. Helvetiam dein, Germaniam, Italiam borealem, patriasque provincias percucurrit: poſt vero artem Antverpiae et Delphis exercuit. Turneri amicitia Angliam adlectus, horti Hakneyenſis curam ſuscepit, ipſiusque regis Iacobi botanicus vocatus fuit. Ultimos vitae annos degit in Highgate prope Londinum, ubi 1616 obiit.

Primum opus ſiſtunt „ſtirpium nova adverſaria“ Londin. 1570. fol. Elizabethae reginae dicata. Acceſſit deinde adverſariorum altera pars. Lond. 1605. fol. Antiquiſſimum autem et clariſſimum complectuntur exemplum methodi cuiusdam naturalis. Incipit a *graminibus*, quibus iungit *frumenta*, *arundines*: transit ad *Acoros*, ſub quibus militant Irides, Scitamineae; ſequuntur *Iunci* cum Cyperoideis; *Aſphodeli*, Hyacinthi, Narciſſi, Lilia; ipſaeque Orchides, ut facile videas, plerasque Monocotyledones iidem cohorti adnumerari. Eas

excipiunt *Siliquoſae*, ſine nomine generali, quibus tamen et Reſedam et Senecionem adnumerat: tum *Cichoraceae*, Serides dictae; Braſſicae (quibus melior locus inter Siliquoſas fuiſſet): Atriplices: Glaucia, cum Anemone: Lapatha, cum cohorte disparium plantarum: Leucoia, Tithymali, Perfoliata et iterum Bupleura: *Labiatae* pleraeque, ordine ſatis iuſto: *Aſperifoliae* item: Nymphaeae: Cucurbitaceae: Rubiaceae: Filices: Leguminoſae: Roſaceae et aliae Arbores, ſine certo quodam ordine.

Haec prima familiarum naturalium rudimenta plures ſcriptores Lobelio poſteriores imitati ſunt. Ipſe autem ſingularum plantarum adiunxit icones aeri niditiſſime inciſas, exiguas quidem ſed novas plerasque, dum, quas Dodonaeus, quas Fuchſius aliique iam habeant, fide ſumma indicaverit. Deſcriptiones haud optimae, dictio etiam aſpera ac impedita. Nova fere haec ſunt:

Schoenus mucronatus (*Iuncus maritimus* 44.). . . Poa dura (2, 461.), alpina (2, 463.). . . Aira caneſcens (2, 466.). . . Melica uniflora (2, 466.), quam Villarſius ideo M. Lobelii vocat.

Scabioſa alpina (233.). . . Plantago maior, var. roſea (128.). . . Plant. albicans (*Holoſteum monſpelienſe* 18.). . . Alchemilla Aphanes (*Percepier Angl.* 324.).

Anchuſa ſempervirens (*Bugloſſum* 247.). . .

Illecebrum capitatum (*Polygonum montanum niveum* 180.). . . Apocynum venetum (*Eſula rara e Lio Venet.* 160.). . . Heracleum ? tauricum (*Laſerpit. maſſil.* 313.). . . Statice oleaefolia (*Limonium maritimum* 123.). . . Radiola Millegrana *Smith.* (*Herba Turca* 180.).

Aphyllanthes monspelienſis (190.). . . Frankenia laevis (*Polygonum alterum puſillum* 180.).

Daphne Tartonraira (160.).

Gypſophila Saxifraga (*Saxifraga antiquorum* 183.).

Cactus mammillaris (*Echinomelocactus* 373.). . . Pyrus Aria (435.).

Aiuga Iva (*Iva moſchata* 164.). . . Sideritis ſcordioides (225.). . . Marrubium creticum (222.). . . Phlomis italica (*Verbaſcum ſylveſtre* 241.). . . Moluccella ſpinoſa (*Molucca aſperior* 221.).

Clypeola Ionthlaſpi (*Thlaſpi alterum minus clypeatum* 74.). . . Biſcutella coronopifolia (*Thlaſpi parvum hieracifolium ib.*). . . Iberis pinnata (*Thlaſpi minus umbellatum* 75.). . . Alyſſum maritimum (*Thlaſpi narbonenſe* 75.). . . Siſymbrium Iris 69.). . . Cheiranthus ſinuatus (*Leucoium maritimum maius* 141.).

Lavatera olbia (*Althaea* 294.).

Trifolium anguſtifolium (*Lagopus* 384.). . . Lotus ſiliquoſus (385.). . . Lot. hirſutus (*Oxytriphyllum alterum Scribonii* 381.). . . Dory-

cnium monspelienſe (389.). . . Medicago marina (383.). . . Medic. turbinata (*Medicae ſpec.* 11, *ib.*).

Hieracium bulboſum (*Chondrilla puſilla marina bulb.* 83.). . . Carduus acanthoides (371.). . . Cnicus tuberoſus (*Carduus bulboſus monspel. ib.*). Cnic. eriophorus (370.). . . Carthamus Carduncellus (374.). . . Stähelina dubia (*Stoechas citrina altera* 203.) . . Gnaphalium ſylvaticum (*tertium anglicum* 202.). . . Erigeron graveolens (*Conyza minor vera* 146.). . . After acris (*minor narbonenſium* 147.). . . Cineraria maritima (*Iacobaea marina* 80.). . . Inula montaoa (*After montanus hirſutus* 148.). . . Anacyclus aureus (*Herbariorum Anthemis chrysanthemos* 343.). . . Anthemis maritima (*Cotula* ſ. *Parthenium marinum minimum* 345.). . . Centaurea conifera (*Chamaeleon non aculeatus* 367.). . . Cent. pullata (*Iacea humilis ſerpens* 235.). . . Echinops Ritro (369.). . . Echin. ſtrigoſus (*Spina alba ib.*).

Typha minor (41.). . . Oſyris alba (*Caſia poëtica Monspelienſium* 185.).

Piſtacia reticulata (*Terebinthus maior piſtachiae folio* 411.). . . Coriaria myrtifolia (*Rhus Plinii myrtifolia* 412.). . . Fucus natans (256.).

Sequuta eſt „Plantarum ſ. ſtirpium hiſtoria, Antverp. 1576. fol.“ quae paucas novas plantarum deſcriptiones, ſed earum, quae in adverſariis ex-

ponuntur, icones et illuſtrationes continet, minoris pretii opus, icones etiam rudiores. Hae quidem, tum ex hoc libro tum ex adverſariis repetuntur in „Iconibus ſtirpium, Antverp. 1591. 4. oblong.“, additis figuris Dodonaei, Cluſii aliorumque, ut plusquam 2000 icones numerentur. *) Nulla deſcriptio, nomina ſola, qualia aetas amabat, indices autem copioſiſſimi ſeptem linguarum. Quodſi diſceſſeris ab iis, quae mutuo acceptae ab aliis ſunt, ſuperſunt Lobelio peculiares aut novae fere ſequentes:

Lemna triſulca (*Hederula aquatica* 2, 36.). . . Utricularia vulgaris (*Milleſolium aquaticum* 1, 791.). . . Salvia glutinoſa (*Colus Iovis* 1, 557.). . . Nardus ſtricta (*Spartum noſtras parvum* 1, 90.). . . Alopecurus geniculatus (*Gramen aquaticum ſpicatum* 1, 13.). . . Holcus bulboſus (*Gramen bulboſum nodoſum* 1, 23.). . . Poa aquatica (*Gramen maius aquaticum* 1, 4.). . . P. fluitans (*Gr. aquis innatans* 1, 12.). . . Avena nuda (1, 32.).

Aſperula taurinenſis (*Rubia laevis taurinenſium* 1, 800.). . . Plantago ſubulata (*Serpentina omnium minima* 1, 439.). . . Camforoſma acuta (*Anthyllis marina Narbonenſium* 1, 468.).

*) Halleri numerus 2191 nimius eſt, quum paginarum duplicatus ſit: haud tamen quaevis pagina duas continet icones.

Cynogloſſum omphalodes (*Symphytum pumilum repens* 1, 577.). . . Symphytum tuberoſum (1, 584.). . . Cyclamen hederaefolium (1, 605.). . . Verbaſcum virgatum With. (1, 564.). . . Samolus Valerandi (*Anagallis aquatica tertia* 1, 467.). . . Herniaria fruticoſa (*Polygonum herniariae foliis* 2, 85.). . . Tordylium ſyriacum (*Gingidium foliis bauciae* 1, 725.). . . Bunium aromaticum (*Ammi creticum* 1, 724.). . . Liguſticum auſtriacum (*alterum Belgarum* 1, 786.). . . Chaerophyllum aureum (*Myrrhis altera* 1, 735.). . . ?Seſeli montanum (*Meum alterum ſpurium* 1, 778.). . . Linum ſtrictum (*Paſſerina linariae folio* 1, 411.). . . Lin. campanulatum (*Campanula lutea linifolia* 1, 414.).

Tillandſia utriculata (*Peruviana alia, aloës facie* 2, 204.). . . Allium carinatum (*Ampelopraſum proliferum* 1, 156.). . . Tulipa ſuaveolens (*T. pumilio* 1, 127.). . . Scilla Liliohyacinthus (*Hyacinthus ſtellaris liliifolius* 1, 101.). . . Kernera oceanica Willd. (*Alga marina* 2, 248.). . . Iuncus conglomeratus (*laevis glomerato flore* 1, 84.). . . Iunc. glaucus (*acutus vulgatus* 1, 85.). . . Iunc. piloſus (*Gramen hirſutum nemoroſum* 1, 16.). . . Iunc. adſcendens (*Gr. aquaticum alterum* 1, 12.). . . Iunc. campeſtris (*Gr. exile hirſutum cyperoides* 1, 15.). . . Triglochin maritimum (*Gr. ſpicatum alterum* 1, 17.). . . Aliſma

Damaſonium (*Plantago aquatica minor altera* 1, 301.). . . Al. ranunculoides (*Plant. aqu. humilis* 1, 300.).

Polygonum maritimum (1, 419.). P. lapathifolium (*Hydropiper* 1, 315.). . . Coccoloba uvifera (*Populus novi orbis* 2, 195.).

Rhododendron hirſutum (*Balſamum alpinum* 1, 367. . . Saxifraga Burſeriana (*Sedum minimum tertium* 1, 376.). . . Dianthus prolifer (*Armeria prolifera* 1, 449.). . . Dianth. deltoides (*Caryophyllus minimus pulchellus* 1, 444.). . . Silene conoidea (*ſylveſtris altera* 1, 338.). . . Sil. maritima (*Lychnis marina anglica* 1, 337.).

Reſeda alba (*maxima* 222.).

Cactus peruvianus (*Euphorbii arbor* 2, 25.).

Papaver Argemone (1, 276.). . . Aconitum variegatum (*Lycoctonum coeruleum parvum* 2, 678.). . . Ranunculus gramineus (1, 671.). . . Ranunc. falcatus (*Perpuſillum Melampyrum* 1, 37.).

Phlomis Herba venti (1, 532.). . . Origanum ſyriacum (*Marum ſyriacum* 1, 499.). . . Meliſſa cretica (*Calamintha* 2 *incana* 1, 514.). . . Antirrhinum Aſarina (1, 601.). . . Scrofularia canina (*Ruta canina* 1, 55.). . . Digitalis ferruginea (1, 573.). . . Vella Pſeudocytiſus (*Cytiſi facie Alyſſon fruticans* 2, 49.).

Cochlearia danica (*Hederaceum Thlaſpi* 1, 615.). . . Cochl. anglica (*britannica* 1, 294.). . . Alyſſum ſpinoſum (*Thlaſpi fruticoſum ſpinoſum* 1, 217.). . . Al. campeſtre (*Thl. ſupinum luteum* 1, 220.). . . Eryſimum diffuſum (*Eruca ſylv. anguſtifolia* 1, 205.).

Erodium gruinum (*Geranium creticum annuum* 1, 662.).

Geniſta anglica (*Geniſtella aculeata* 2, 93.). . . Ononis antiquorum (*Ononis Aegipyros* 2, 28.). . . On. rotundifolia (*Cicer ſylv. verius* 2, 73.). . . Cytiſus argenteus (*Lotus aſperior fruticoſa* 2, 41.). . . ? Coronilla Emerus (*Colutea ſcorpioides* 2, 86.). . . Pſoralea americana (*Trifolium* 2, 31.). . . Medicago radiata (*Lunaria radiata Italorum* 2, 38.).

Hypericum elodes (*tomentoſum* 1, 400.). . . Hyp. ſerpyllifolium (*ſyriacum* et *alexandrinum* 2, 390.).

Apargia criſpa (*Hieracium flore et folio dentis leonis* 1, 238.). . . Helminthia echioides (*Bugloſſum echioides luteum* 1, 577.). . . Cnicus diſſectus (*Cirſium maius* 1, 582.). . . Cn. pratenſis (*Cirſ. anglicum* 1, 583.). . . Cn. Caſabonae (*Acarna Theophraſti* 2, 16.). . . Staehelina fruticoſa (*Cyanus repens* 1, 548.). . . Artemiſia arboreſcens (*Abſinthium* 1, 753.). . . Gnaphalium alpinum (*Leontopodium parvum* 1, 484.). . . Gn.

afteriſciflorum (*Leontopodium ib.*). . . Xeranthemum orientale (*Iacea puſilla incana* 1, 545.). . . Cineraria paluſtris (*Conyza helenitis fol. laciniatis* 1, 347.). . . Cin. ? campeſtris (*Conyza helenitis mellita incana ib.*).

Orchis variegata (*ſtrateumatica minor* 1, 184.). . . Orch. militaris (*ſtrateum. maior ib.*). . . Ophrys Monorchis (*Orchis minor leodienſis* 1, 18 .). . . Ophr. apifera (*Melittias* 1, 180.). . . Ophr. aranifera (*Teſticulus vulpinus ſecundus* 1, 179.).

Carex ovalis (*Gramen cyperoides parvum aquaticum* 1, 19.). . . Car. vulpina (*Gr. paluſtre cyperoides ib.*). . . Car. elongata (*Gr. paluſtre maius* 1, 11.). . . Car. Pſeudocyperus (1, 76.). . . Ambroſia maritima (*ſativa hortenſis* 1, 766.).

Aſplenium marinum (*Chamaefilix marina anglica* 1, 814.). . . Fucus barbatus (2, 254.). F. acinarius (256.). Ulva Lactuca (*Hiſt.* 647.). U. umbilicalis (*Lichen marinus ic.* 2, 246.).

Poſthumas „ſtirpium illuſtrationes“ Gul. *Howe* Lond. 1655. 4. edidi, ubi variae rariores occurrunt, ſine iconibus: e. g. Aquilegia canadenſis, Anamenia *Ventenati* etc.

* * *

Excipiat Lobelium vir omnino ſummus et immortalis, *Carolus* Clusius, qui omnes facile ſui aevi botanicos, cognitione fere immenſa plantarum, iudicii acumine, arte deſcribendi, experientia et

doctrina ſuperavit. Cuius vita cum laborum et fortunae varietate, peregrinationibus maxime abundaverit, repetere eam hic libet. Atrebas fuit, natus 1525, in disciplina apud Lovanienſes et Marpurgenſes permanſit, donec Monspelium adiret, ubi 1559. ſummos in arte medica honores adeptus eſt. Redux Antverpiae, Lovanii et Auguſtae Vindelicorum commoratus eſt. Inter amicos Fuggerorum receptus, cum his Belgium et Germaniam borealem peragravit, dein oras Galliae occidentales, totam Hiſpaniam et Luſitaniam ipſam. Rediit 1565, quinquennium conſumſit in digerendis itineris fructibus: 1560. adiit Angliam: 1573. vocatus eſt Viennam, ut hortis Imperatoris praeeſſet. Quo munere functus eſt ita, ut totam ſimul Auſtriam et Hungariam perquireret. Angliam iterum 1580. tendit: 1587. Francofurti ad Moenum habitare coepit, ubi a Landgravio Haſſiae ſuſtentatus, Leidam denique 1593. vocatus fuit, ut rem herbariam publice doceret († 1609.). Valetudine adverſa et variis morbis luit immenſum ardorem in re herbaria. Brachium et alterum femur fractum, alterum luxatum cum fracto malleolo coëgerunt ſenem, ut baculis ſe continuo ſuſtineret: his acceſſit hernia cum aliis morbis, qui tamen animum ſummi viri nunquam deprimere neque minuere amorem plantarum potuerunt. Harum immenſam fere copiam ex itineribus retulit, in naturales quasdam familias

digeſſit, ſtudio ſummo discrevit novas a cognitis, illas duntaxat ut ſuas deſcripſit, iconibusque illuſtravit. Non iudicii ſolius acie excelluit, ſed eruditione etiam non mediocri, cum et veteres et recentiores plerasque linguas calleret. Quibus animi virtutes acceſſerunt non vulgares: pietas in Deum pariter ac in homines. Cum enim maior natu dominium ac feudum Wateneſii hereditatis iure a patre accepiſſet, ceſſit eo ultro fratri natu minori, victum ſibi quaerens e diligentiae et doctrinae emolumentis (Cf. Ever. *Vorſtii orat. de vita Cluſ. ad calc. cur. poſter.*).

Tanti viri ſcripta monumenta aeterna ingenii ſunt ac doctrinae, quibus et tiro et qui ad maturitatem pervenit, etiamnum carere nequit. Edidit autem, praeter Garciam, Monardem, Acoſtam, Dodonaeum et Belonium, „Rariorum ſtirpium per „Hiſpanias obſervatarum hiſtoriam“, Antv. 1576. 8. cum 229 iconibus, dein „Rariorum ſtirpium „per Pannoniam obſervatarum hiſtoriam“, Antverp. 1583. 8. cum figuris 358. Utrumque librum contraxit, additis aliis, in „Rariorum plantarum hiſtoriam“ Antverp. 1601. fol. Quibus poſt obitum acceſſerunt „Curae poſteriores“, Antverp. 1611. 4. Complectuntur autem haec opera tum eas plantas, quas ipſe detexerat, tum quas amici ipſi tradiderant, inter quos grate nominat Thom. *Pennaeum* Londinenſem, qui in plantas

helveticas inquiſiverat et in theſauro Gesneriano ſummum ſtudium collocaverat; Iacobum *Plateau* Turnacenſem: Io. *Dortmannum* Groningenſem: Bernardum *Paludanum* Friſium, qui Orientem adierat.

Indicem exhibeo plantarum a Cluſio inventarum ordine Linnaeano:

Veronica ſpuria *(recta vulgaris hiſt.* 1, 347.). V. ſpicata *(recta minima ib.)*. V. alpina (*Teucrium* 6, 350.). V. aphylla *(Teucr. minimum ib.)*. V. latifolia *(Teucr.* 4, 349.). V. dentata *(Teucr. quarti tertia ſpec. ib.)*. V. proſtrata *(Teucr. quintum* 350.). . . Salvia ſylveſtris *(Hormini ſylv.* 5. *ſpec. prior hiſt.* 2, 31.). S. auſtriaca *(Horm. ſylv.* 4. *ſpec. altera* 30.). S. verticillata *(Horm. ſylv.* 3, 29.). S. glutinoſa *(Horm. ſylv.* 2, 29.). S. triloba *(cretica non pomifera hiſt.* 1, 343.). . . Pinguicula vulgaris et alpina *(hiſt.* 1, 310.). Purpureo enim et albo flore habet: primus autem nominaverat *C. Gesnerus in hiſt. montis fracti.*

Ixia Bulbocodium *(Crocus vernus anguſtifolius hiſt.* 1, 208.). . . Iris variegata *(latifolia maior.* XV. *hiſt.* 1, 221.). I. ſuſiana *(latifolia maior* 217.). I. aphylla *(ſpec.* XXV. 223.). I. Siſyrinchium (216.). I. iuncea *(mauritanica cur. poſt.* 116. 47.). I. luteſcens *(Chamaeiris latifolia* VII. *hiſt.* 1, 227.). . . Lygeum Spartum *(Spartum* II.

hiſt. 2, 220.). . . Panicum ſanguinale (*Iſchaemon Plinii hiſt.* 2, 217.). . . Pan. Dactylon (*Grameh legitimum ib.*). Arundo arenaria (*Spartum* III. *hiſt.* 2, 221.). . . Stipa pennata (*Spartum auſtriacum pennatum ib.*). St. tenaciſſima (*Spartum* I. *hiſt.* 2, 220.). . . Melica ciliata (*Gramen montanum avenae ſemine*, *hiſt.* 2, 219.). . . Poa megaſtachya *Schrad.* (*Gramen Amourettes*, *hiſt.* 2, 218.). . . Ortegia hiſpanica (*Iuncaria ſalmanticenſis*, *hiſt.* 2, 174.).

Globularia cordifolia (*Scabioſa* X. *hiſt.* 2, 5.). . . Scabioſa ſylvatica (*Sc.* III. *hiſt.* 2, 2.). Sc. ſtellata (*Sc.* I. *hiſt.* 2, 1.). Sc. atropurpurea (*Sc.* VI. 3.). . . Galium rubrum (*hiſt.* 2, 175.). . . Plantago Bellardi (*Holoſteum ſalmantic. minus*, *hiſt.* 2, 111.). Pl. cretica (*Leontopodium creticum ib.*). . . Cornus ſuecica (*Chamaepericlymenum*, *hiſt.* 1, 60.). . . Fagara Avicennae (*exot.* 185.). . . Potamogeton denſus (*Tribulus aquaticus minus alter hiſt.* 2, 252.).

Cynogloſſum cheirifolium (*creticum* 1, *hiſt.* 2, 162.). C. pictum (11. *ib.*). . . Cerinthe aſpera (*hiſt.* 2, 167.). C. minor (168.). . . Echium violaceum (*rubro flore*, *hiſt.* 2, 164.). E. creticum (*ib.*). . . Androſace Chamaeiaſme (*Sedum minus*, X. *hiſt.* 2, 64.). A. lactea (*Sedum minus*, XI. *hiſt.* 2, 63.). . . Primula integrifolia (*Auricu-*

la urſi IV., *hiſt.* I, 304.). Pr. glutinoſa (VII. *ib.*), Pr. minima (305.). Pr. farinoſa (*Pr. veris rubro flore* 300.). . . Lyſimachia thyrſiflora (*lutea* 3. *hiſt.* 2, 53.). Lyſ. punctata (*altera* 52.). . . Anagallis Monelli (*app. alt. exot.*). . . Azalea procumbens (*Chamaeciſtus* VII. *hiſt.* 15, 7.). . . Solanum tuberoſum (*hiſt.* 2, 79.) 1588 tubera ipſi miſit Phil. de Sivry. . . Convolvulus althaeoides (*hiſt.* 2, 49.). C. Cantabrica (*ib.*). . . Ipomoea Bona nox (*Buenas noches exot.* 44.). Ip. Quamoclit (*cur. poſt.* 8. 9.). . . Lonicera nigra (*Periclymenum rectum* II. *hiſt.* 1, 58.). . . Lycium afrum (*Rhamni* I. *ſpec.* II. *hiſt.* 1, 109.). . . Rhamnus lycioides (III, 110.). Rh. Alaternus (50.). . . Evonymus latifolius (*hiſt.* 1, 56.). Ev. verrucoſus (57.). . . Viola grandiflora (*montana* III. *hiſt.* 1, 310.). V. pinnata (*laciniato folio* 309.). . . Cynanchum monspeliacum (*Apocynum* IV. *latifol. hiſt.* 1, 126.). . . Gentiana pannonica (*maior purpureo flore hiſt.* 1, 312.). G. verna (VI, 315.). G. nivalis (XI, 316.). . . Eryngium puſillum (*hiſt.* 2, 158.). . . Tordylium maximum (*Caucalis maior, hiſt.* 2, 201.). . . Caucalis pumila (*cur. poſt.* 71.). . . Laſerpitium Archangelica (*hiſt.* 2, 195. *male*). . . Chaerophyllum bulboſum (*Cicutaria vulgaris hiſt.* 2, 200.). . . Seſeli Hippomarathrum (*Saxifraga pannonica, hiſt.* 2, 196.). . . Peucedanum arenarium (*pannonicum ib.*). . .

Thapſia villoſa (*hiſt.* 2, 192.). . . Pimpinella peregrina (*Selinum montanum pumilum, hiſt.* 2, 200.). . . Caſſine capenſis (*Celaſtrus Theophr. cur. poſt.* 4.). . . Telephium Imperati (*hiſt.* 2, 67.). . . Linum hirſutum (*ſylv.* 1. *hiſt.* 1, 317.). L. tenuifolium (IV, 318.). L. alpinum (V, *ib.*).

Leucoium aeſtivum (*bulboſum maius, hiſt.* 1, 168.). L. autumnale (*bulboſum ſerot. tenuifolium* 170.). . . Narciſſus minor (*Pſeudonarciſſus minor hiſp. hiſt.* 1, 165.). N. triandrus (*iuncifolius albo flore reflexo, app. alt. auct. in exot.*). N. ſerotinus (162.). N. Tazetta (*latifolius* 155.). N. moſchatus (*Pſeudonarciſſus* III, 166.). N. calathinus (IX *anguſtif.* 158.). . . Pancratium maritimum (*Hemerocallis valentina, hiſt.* 1, 167.). . . Bulbocodium vernum (*Colchicum vernum app. alt. exot.*). . . Amaryllis lutea (*Narciſſus autumnalis maior, hiſt.* 1, 164.). . . Am. formoſiſſima (*Narciſſus latifolius flore rubro* 157.). . . Allium rotundum (*Moly* V. *hiſt.* 1, 195.). All. oleraceum (*Moly* III, 194.). All. vineale (II, *ib.*). All. paniculatum (IV, *ib.*). All. feneſcens (*narciſſinis foliis* 1, *ib.*). All. anguloſum (II, 196.). All. Cluſianum (*Moly minus* 192.). All. nigrum (*Moly Theophraſti* 191.). All. Moly (*app. alt.*). . . Lilium pomponium (*rubrum praecox, hiſt.* 1, 133.), Lil. chalcedonicum (*byzant. miniatum* 132.), Lil. pyrenaicum Gouan. (*montanum flavum hiſt.* 2,

256.). . . Fritillaria pyrenaica (*hiſt.* 2, 257.). . . Ornithogalum pyrenaicum (*app. alt. ad exot.*). O. comoſum (*pannon. albo flore hiſt.* 1, 187.). O. arabicum (186.). O. nutans (*neapolitanum app. alt. ad exot.*). . . Scilla italica (*Hyacinthus ſtellatus cineracei coloris hiſt.* 1, 184.). Sc. peruviana (182.). Sc. verna (*Ornithogalum hiſp. minus* 188.). Sc. hyacinthoides (*Bulbus eriophorus* 172.). Sc. autumnalis (*Hyacinthus autumnalis minor* 185.). . . Aſphodelus ramoſus (1, 196.). A. albus (11, 197.). A. fiſtuloſus (*minor ib.*). . . Aſparagus acutifolius (*Corruda* 1. *hiſt.* 2, 177.). A. aphyllus (11, 178.). A. albus (111, *ib.*). . . Convallaria latifolia (*hiſt.* 1, 276.). . . Polianthes Tuberoſa (*Hyacinthus indicus hiſt.* 1, 176.). . . Hyacinthus cernuus (*hiſpanicus hiſt.* 1, 177.). H. romanus (*comoſus albo flore* 180.). . . Lachenalia ſerotina (*Hyacinthus obſoleti coloris hiſt.* 1, 177.). . . Yucca Draconis (*Tacori exot.* 48.). . . Tofieldia paluſtris *Hudſ.* (*Pſeudo-aſphodelus* 11. *hiſt.* 1, 198.). Sternbergia colchiciflora *Kitaib.* (*Colchicum pannonicum* 199.). . . Colchicum montanum (*hiſt.* 1, 200. 201.). . . Frankenia pulverulenta (*Anthyllis valentina hiſt.* 2, 186.).

Chlora perfoliata (*Centaurium parvum flavum hiſt.* 2, 180.). . . Erica viridi-purpurea (*coris folio* 3. *hiſt.* 1, 42.). Er. arborea (*coris folio* 1, 41.). Er. mediterranea (11, 42.). Er. ſcoparia

(IV, *ib.*). Er. cinerea (V, 43.). Er. purpuraſcens (VII, *ib.*). Er. herbacea (VIII, 44.). Er. ciliaris (XII, 46.) . . Paſſerina hirſuta (*Sanamunda* III. *hiſt.* 1, 89.). . . Polygonum viviparum (*Biſtorta minor hiſt.* 2, 69.).

Laurus Perſea (*hiſt.* 1, 3.).

Ruta montana (*hiſt.* 2, 136.). . . Rhododendron Chamaeciſtus (VIII. *hiſt.* 1, 76.). . . Arbutus alpina (*Vitis idaea* II. *hiſt.* 1, 62.). A. Uva urſi (63.). . . Pyrola ſecunda (*hiſt.* 2, 117.). P. umbellata (III, *ib.*). P. uniflora (IV, 118.). . . Saxifraga caeſia (*Sedum minus* IX. *hiſt.* 2, 61.). S. Hirculus (*cur. poſt.* II.). S. aizoides (*Sedum minus* VI. *hiſt.* 2, 60.). . . Dianthus alpinus (*Caryophyllus ſylv.* III. *hiſt.* 1, 283.). . . Silene quinquevulnera (*Lychnis ſylv.* VI. *hiſt.* 1, 290.). S. conica (*Lychnis ſylv.* II. *hiſt.* 1, 288.). S. Muſcipula (III, 289.). S. polyphylla (VIII, 290.). S. Armeria (1, 288.). S. alpeſtris (X, 291.). S. pumilis (*Caryophyllus ſylv.* VII, 285.).

Sedum Anacampſeros (*Telephium* VI. *hiſt.* 2, 67.). S. villoſum (*Sedum minus* III, 59.). . . Ceraſtium dichotomum (*Alſine corniculata hiſt.* 2, 184.).

Reſeda Cluſii *mihi* in cent. (*Seſamoides parvum ſalmant. hiſt.* 1, 295.). . . Euphorbia ſerrata (*Tithymalus myrtites valent. hiſt.* 2, 189.). . . Euph.

hiberna (*Tith. platyphyllos* 190.). E. Characias (1, 188.).

Philadelphus coronarius (*Frutex coronarius hiſt.* 1, 55.). . . Pyrus Amelanchier (*Vitis idaea* II. *hiſt.* 1, 62.). . . Spiraea ſalicifolia (*hiſt.* 1, 84.). Roſa ſpinoſiſſima (*campeſtris odor. hiſt.* 1, 116.), R. ſempervirens (*app. alt. auct.*). . . Rubus Chamaemorus (118.). . . Potentilla ſupína (*Pentaphyllon ſupinum hiſt.* 2, 107.). P. opaca (IV. *ſpec.* 2, 106.). P. aurea (III, *ib.*). P. Cluſiana (II, 105.).

Sarracenia purpurea (*Limonio congener hiſt.* 2, 82.) . . Bixa Orellana (*fructus echinatus exot.* 73.). . . Ciſtus lavandulifolius (*hiſt.* 1, 72.). C. ocimoides (*fol. ſampſuci ib.*). C. thymifolius (*ib.*). C. oelandicus (*Chamaeciſtus* II, 73.). C. canus (*Chamaec.* III, 74.). C. piloſus (IV, *ib.*). C. Cluſii (V, 75.). C. Fumana (VI, *ib.*). C. ledifolius (*annuus* 76.). C. laurifolius (*Ledon.* 1, 17.). C. populifolius (*latifolius* II, 78.). C. laxus (*Ledon.* IV, *ib.*). C. monſpelienſis (V, 79.). C. Libanotis (VI, *ib.*). C. umbellatus (X, 81.). C. criſpus (*mas* V, 68.). C. incanus (*mas* II, *ib.*). C. albidus (*mas* 1, 67.). . . Delphinium ambiguum (*elatius ſimplici flore hiſt.* 2, 206.). D. intermedium (*Aconitum Lycoctonum flore Delphin.* 2, 94.). . . Aconitum tauricum (*hiſt.* 2, 96.). Ac. neomontanum (*neubergenſe* 97.). Ac. cer-

nuum (VIII, 97.). Ac. Cammarum (*iudenbergenſe ib.*). . . Rhizobolus butyroſus Gärtn. (*Caſtanea peruviana*, *hiſt.* 1, 8.). . . Anemone palmata (*hortenſis latifolia*, *hiſt.* 1, 248.). . . Clematis cirrhoſa (*altera baetica*, *hiſt.* 1, 123.). C. integrifolia (*coerulea pannonica ib.*). . . Ranunculus amplexicaulis (*pyrenaeus albo flore*, *append. alt. auctar. ad exot.*). R. bullatus (*grumoſa radice* I, *hiſt.* 1, 238.). R. creticus (239.). R. illyricus (*grumoſa radice* IV, 240.). R. alpeſtris (*montani ſpec.* I, 234.). . . Iſopyrum thalictroides (*Ranunc. praecox* II, *hiſt.* 1, 232.).

Teucrium fruticans (III, *hiſt.* 1, 348.). T. montanum (*Polium* VII, 363.). . . Nepeta tuberoſa (*Menthaſtrum* III, *hiſt.* 2, 33.). . . Lavandula dentata (*Stoechas criſpo folio*, *hiſt.* 1, 345.). L. multifida (*ib.*). . . Sideritis hirſuta (III, *hiſt.* 2, 40.). S. hyſſopifolia (VII, 41.). . . Lamium Orvala (*Galeopſis maxima pannonica*, *hiſt.* 2, 36.). . . Betonica Alopecuros (*albo flore*, *hiſt.* 2, 39.). . . Stachys hirta (*Ocimaſtrum valentinum*, *hiſt.* 2, 42.). . . Marrubium peregrinum (*alterum pannonicum*, *hiſt.* 2, 34.). . . Thymus pannonicus (*Serpyllum pannon.* III, *hiſt.* 1, 360.). Th. Zygis (358.). Th. alpinus (*Clinopodium auſtriacum* 353.). . . Dracocephalum auſtriacum (*Chamaepitys auſtr. hiſt.* 2, 185.). . . Prunella grandiflora (I, *hiſt.* 2, 43.). . . Pedicu-

laris foliosa (*Alectorolophus alpina, hist.* 2, 210.). P. rostrata (III, 221.)... Antirrhinum triphyllum (*Linaria hispan.* I, *hist.* I, 320.). A. supinum (*hisp.* V, 321.). A. simplex (IV, 323.). A. alpinum (III, 322.). A. genistaefolium (*pannonica* I, *ib.*). . . Scrofularia tanacetifolia *Willd. hort. berol. t.* 55. (*cretica* I, *hist.* 2, 209.).

Vella annua (*Nasturtium sylvestre valentinum, hist.* 2, 130.). . . Thlaspi montanum (II, 131.). T. alpestre (III, *ib.*). . . Iberis odorata (*Thlaspi* IV, 132.). . . Peltaria alliacea (*Thlaspi* I, 130.)... Cardamine trifolia (*hist.* 2, 127.)... Cheiranthus erysimoides (*Leucoium sylv., hist.* I, 299.). C. litoreus (*marinum minus* 298.). . . Arabis alpina (*Draba* II, *hist.* 2, 125.). A. bellidifolia (*Plantula Cardamines alterius aemula* 129.). A. Turrita (*maior Plateau* 126.)... Brassica arvensis (*campestris* II, 127.).

Geranium phaeum (I, *hist.* 2, 99.). G. nodosum (101.). G. sylvaticum (II, 99.). . . Lavatera maritima (*Althaea frutex, hist.* 2, 24.)... Althaea cannabina (*hist.* 2, 25.). . . Hibiscus Sabdariffa (*Alcea americana, hist.* 2, 26.).

Polygala maior (*hist.* I, 324.). . . Erythrina Corallodendron (*Coral arbor, hist. app.* 253.)... Spartium sphaerocarpon (II, *hist.* I, 102.). Sp. Scorpius (*Aspalathus alter* III, 106.). . . Genista florida (*tinctoria hispan., hist.* I, 101.). G. sa-

gittalis (*Chamaegeniſta* II, 104.). G. canarienſis (*Cytiſus* I, 94.). . . Cytiſus divaricatus (II, *hiſt.* I, 94.). C. capitatus (V, 95.). C auſtriacus (V, *ſpec. alt.* 96.). C. ſupinus (VII, *ib.*). C. triflorus (III, 94.). . . Anthyllis cytiſoides (*Cytiſus* VI, 96.). A. Erinacea (107.). . . Vicia piſiformis (*Piſum ſylv., hiſt.* 2, 229.). V. oroboides (*Orobus pannon.* IV, 231.). V. amphicarpa (*Theophraſti ἀράκῳ ὅμοιον exot.* 88.). V. ſordida (*ſylv. albo flore, hiſt.* 2, 235.). . . Coronilla valentina (*Polygala, hiſt.* I, 98.). C. glauca (*Colutea ſcorpioides* I, 97.). C. coronata (II, 98.). . . Phaca baetica (*Aſtragalus, hiſt.* 2, 233.). Aſtragalus hamoſus (*monſpeliacus, hiſt.* 2, 234.). A. Glaux (233.). . . Trifolium alpeſtre (*maius* III, 245.). T. montanum (*maius* I, *ib.*). T. fragiferum (*cur. poſt.* 73.). T. ſquarroſum (*Lagopus anguſtifolia hiſp., hiſt.* 2, 247.). . . Lotus tetragonolobus (*ſiliquoſus rubello flore, hiſt.* 2, 244.).

Hypericum balearicum (*Myrto-ciſtus Pennaei, hiſt.* I, 68.). H. humifuſum (*ſupinum* III, *hiſt.* 2, 181.).

Scorzonera purpurea (*anguſtifolia* IV. *hiſt.* 2, 139.). Sc. humilis (*pannon.* II, 138.). Sc. roſea (*anguſtifolia* III, 138.). . . Apargia incana (*Hieracium* VI. *montanum hiſt.* 2, 141.). . . Hieracium villoſum (V, 141.). . . Lapſana puſilla (*Hie-*

racium IX. *minimum hiſt.* 2, 142.). . . Scolymus maculatus (*hiſt.* 2, 153.). Sc. hiſpanicus (*ib.*). . . Serratula discolor (*Carduus mollior* II. *hiſt.* 2, 151.). . . Carduus defloratus (*Cirſium* III. *hiſt.* 2, 149.). C. pannonicus (*Cirſium pannonicum* I, 148.). C. mollis (*mollior* 1, 150.). . . Carlina racemoſa (*ſylv. minor hiſpanica hiſt.* 2, 157.). . . Carthamus coeruleus (*Cnicus alter hiſt.* 2, 152.). . . Cacalia Kleinia (*Arbor lavandulae folio exot.* 7.). C. alpina (*glabro folio hiſt.* 2, 115.). C. albifrons (*incano folio ib.*). . . Santolina ſquarroſa (*Abrotanum ſemina vulg. hiſt.* 1, 341.). S. roſmarinifolia (IV, 342.). . . Tanacetum annuum (*Elichryſon hiſt.* 1, 326.). . . Artemiſia ſcoparia (*Abſynthium tenuifolium hiſt.* 1, 339.). . . Gnaphalium margaritaceum (*americanum hiſt.* 1, 327.). . . Senecio carniolicus (*Chrysanthemum alpinum* 1, *hiſt.* 1, 333.). S. abrotanifolius (II, 334.). S. alpinus (*Iacobaea* III, *hiſt.* 2, 23.). S. Doronicum (*Doron. auſtr.* 1, 17.). . . Inula Oculus (*Conyza* III. *auſtr. hiſt.* 2, 20.). In. Bubonium (*Aſter montanus* IV. *hiſt.* 2, 14.). In. enſifolia (*Aſter* VI, 15.). . . Arnica montana (*Doronicum* V. VI. *hiſt.* 2, 18.). A. Doronicum (II, 17.). A. glacialis (IV, *ib.*). . . Chrysanthemum coronarium (*creticum hiſt.* 1, 335.). . . Pyrethrum alpinum (*Leucanthemum ib.*). . . Achillea Clavennae (*Abſinth. alpinum umbelliferum hiſt.* 1,

340.). Nomen habet a Nicol. *Clavenna*, pharmacopola Bellunenſi, cuius tr. de Abſinthio umbellifero, Venet. 1610. 4. exſtat. A. atrata (*Parthenium alpinum* 336.). A. tomentoſa (*Stratiotes millefolia flavo flore* 330.). A. tanacetifolia (*Millefolium rubro colore* 331.). . . Buphthalmum maritimum (*Aſter* II, *hiſt.* 2, 13.). B. ſalicifolium (*Aſter* III, *ib.*). . . Centaurea erucaefolia (*Stoebe ſalmantica* II, *hiſt.* 2, 9.). C. ſplendens (III, 10.). C. Calcitrapa (7.). C. Verutum (*Iacea luteo flore* 8.). C. ſalmantica (*Stoebe ſalmantica* I, 9.). . . Micropus erectus (*Gnaphalium* III, *Plateau*, *hiſt.* I, 329.).

Orchis ſambucina (*pannonica* VIII, *hiſt.* I, 269.). . . Cymbidium Corallorrhiza (*Dentaria coralloide radice*, *hiſt.* 2, 120.). . . Limodorum abortivum (*Pſeudo-Leimodorum*, *hiſt.* I, 270.). . . Ariſtolochia baetica (*hiſt.* 2, 71.).

Myriophyllum verticillatum (*hiſt.* 2, 252.). . . Quercus humilis (*Robur* VII, *hiſt.* I, 19.). Q. auſtriaca *Willd.* (*Cerrus* I, 20.). . . Corylus Colurna (*Avellana pumila byzantina*, *hiſt.* I, II.). Hura crepitans (*Baruce ex Hura exot.* 42.). . . Manicaria faccifera (*Palma exot.* 4.). . . Pinus Pumilio (*Pinaſter* IV, *hiſt.* I, 32.). . . Forſtera muſcifolia (*? Amomum ad Garc.* 199.). Poterat autem a Magellani et Drakii comitibus accepiſſe magellanicam plantam.

Empetrum album (*Erica coris folio* 10, *hiſt.* 1, 45.) . . Smilax nigra (*hiſt.* 1, 113.) Sm. Pſeudochina (*exot.* 83.) . . . Dorſtenia Drakena (*exot.* 83.) . . Mercurialis tomentoſa (*Phyllum marificum*, *hiſt.* 2, 48.) . . Carica Papaya (*Mamoera Luſitanorum cur. poſt.* 78—81.) . . Schinus Molle (*cur. poſt.* 94.).

Polypodium calcareum *Smith.* (*Filix pumila ſaxatilis* 1, *hiſt.* 2, 212.). P. fragile (11, *ib.*). P. quercifolium (*indicum exot.* 89.) . . Botrychium rutaceum *Sw.* (*Lunaria minor ramoſa* 3, 119.) . . Lycopodium denticulatum (*Muſcus terreſtris luſit. hiſc.* 2, 249.) . . Fucus veſiculoſus (*Quercus marina*, *hiſt.* 1, 21.). F. Plocamium (*Muſcus marinus* 2, 250.).

In fungis etiam deſudavit praeſtantiſſimus Cluſius, eſculentos generatim a noxiis discernens. Ceterum Peziza Auricula (*hiſt.* 2, 276.) . . Phallus impudicus (288.) . . Merulius lobatus (*Fungi alii E.* 294.) . . Morchella eſculenta (264.) . . Clathrus ruber (*Fungus cancellatus in app. alter. auctar. ad exot.*) novi ſunt.

* * *

Andreas Caesalpinus, quem primum Syſtematicum Orthodoxum praedicat Linnaeus, Aretinus fuit, natus 1519, Lucae Ghini discipulus, dein pontificis maximi archiater † 1603.

Quem primus inſtauraverat naturalem ordinem

Lobelius, Cluſius autem auxerat et exornaverat, Caeſalpinus legibus firmis ac ſtabilibus ſuperſtruere conatus eſt. Vir enim perſpicaciſſimus facile intellexit, cum indies plantarum numerus augeretur, difficillimam fieri cognitionem et uſum librorum fere nullum evadere, niſi principia quaedam ſtatuantur ac leges, iuxta quas examinandae ſint plantae, ſimilitudines conferendae et genera ſtabilienda. Molitus id eſt in opere „De plantis“ Florent. 1583. 4. quod omnino ſyſtema quoddam naturale complectitur, ſed artificialibus fundatum characteribus.

Orditur autem praeclariſſimus vir ab examine partium et loci illius, qui principatum animae habere videatur. Venis iis, quibus animalia, haud quidem inſtructas eſſe plantas; eſſe tamen ductus quosdam ſucco nutritio plenos, quos in lacteſcentibus manifeſto obſervamus. Attrahi autem humores e terra vel aëre neque ſenſu quodam, quo omnino careant plantae, neque mere mechanico modo, ob fugam vacui vel ob magneticam vim, ſed caloris ope vim altricem agere ita, ut humores intrent et ſurgant. Folia e cortice oriri, venas etiam et nervos eorum e libro. Medullam non tanti eſſe momenti in plantis, quam corticem: plures enim ſine medulla vivere: emori etiam circumciſo cortice, non perire medulla excavata. Transit ad gemmarum et ſeminum differentiam, quae et nos

etiamnum exercet: differre autem arbitratur ut foetum vivum ab ovo: ſemen enim tanquam ovum eſſe, in quo ſit principium vitale, at vita nequaquam: ſobolem vero vivere primo iuxta parentem, ut eius germen, poſt vero per ſe ipſam, ſuis radicibus humorem attrahere. Quae quidem differentia tantum abeſt, ut rem exhauriat ut potius qualitatem quamdam complectatur et feminibus et gemmis peculiarem. Maris et feminae distinctione plantas non egere, ob ſimpliciorem ſtructuram et pauciorem ſpiritum.

Seminis eſſentialem particulam Caeſalpinus iure quaerit in eo loco, unde cotyledones, quas folia duo pulpoſa vocat, oriuntur; eam particulam *corculum* dicit, quo exeſo ilico plantulam perire obſervavit. Flores nil eſſe niſi involucra fructuum, qui cum ſpiritu potius quam humore abundent, eſſe verſicolores, nec virides, ut folia. Ineſſe floribus et ſtamina et floccos: illa (piſtilla) eſſe ſeminum proceſſus: hos (ſtamina nobis) arbitratur etiam ſeminum propagines eſſe. Calycem, ſeu exterius floris involucrum, nutriri e cortice, hinc non decidere cum flore, ſed fructum plerumque veſtire. In quibusdam firmiter flori adhaerere, ut interne flos, externe calyx nominari poſſit, e. g. Ornithogalum. Fatetur, in quibusdam eſſe ſexum diſtinctum, ut in Cannabi, Urtica, Mercuriali, Iunipero, Taxo etc.

Distributionem plantarum adgrediens, cum Gesnero fatetur, e modo fructificandi optime et commodiſſime peti generum characteres: in nullis enim aliis partibus tantam organorum varietatem molitam eſſe et distinxiſſe naturam, quam in iis, quae ad fructificationem pertineant (*lib.* 1. *c.* 13.). Quae lex ab ipſo ſtabilita licet optima ſit et rationi congrua, labitur tamen eximius vir, dum in ſingula exſpatiatur. Etenim alias eſſe perhibet plantas, quae dum nullum ferant ſemen, e putredine oriantur, quorſum fungos pertinere autumat, alias vero imperfectum producere, quod aliarum plantarum velut aborſus ſint aut morbi, ut multa in genere frumentorum, quibus ſpica inanis et fere iuncorum genera et orchidum, Orobanche et Hypociſtis: namque in his pro ſemine mucum aut pulviſculum conceptaculis contineri. Quosdam aliquid ferre, quod proportione reſpondeat ſemini: *nam per id viſas eſſe propagari:* eſſe autem lanuginem quamdam foliis inſidentem, caule vero et flore et ſemine carere, velut filices omnes.

Partium fructificantium autem et numerum et ſitum et figuram in cenſum venire, dum conſtituendae ſint claſſes plantarum. Seminum itaque ſitum; ſive corculum exterius ſpectet ſive interius; ſedem ſupra aut infra calycem; conceptaculorum formam et numerum: ita etiam floris et calycis figuram ſitumque conſiderat, ut plantarum genera distri-

buat. Quaecunque autem neque ad totius plantae neque ad fructus conſtitutionem faciant, ut colores, odores, ſapores et alia huiusmodi, accidentia eſſe, ſaepiusque e cultu aut locorum coelique diverſitate variari.

Vulgarem ordinem ſequens, primum arbores tractat, dein herbas, utrasque habet vel ſimpliciores, quae ſub uno flore A. *unicum ſemen* ferunt, aut *unum ſeminis conceptaculum;* vel magis compoſitas, quae plura habent in uno calyce ſemina. Subdiviſiones autem petuntur e ſede ſeminis et corculi, quod vel exterius vergit, ut in plerisque arboribus, vel interius: aut, quod idem eſt, corculum ex apice vel e baſi ſeminis prodit. α. Glandiferae et nuciferae arbores omnes ad prius pertinent genus, quas primo loco tractat Caeſalpinus. Inter has Quercus Pſeudoſuber (*Suberella Caeſalp.* 2, 2.) et Oſtrya vulgaris (2, 7.). Immiſcet tamen etiam alienas, ut Acera et Fraxinos et Platanos. . . β. Quae pericarpium ferunt, 1. ſeminis *coreulo exterius vergente*, aliae quidem florem in ſummo fructu, aliae vero in baſi geſtant. Ad priorem claſſem refert Amygdalas, Perſicas, Prunos, Perſeam (quam cum Anacardio confundit), Laurum, Piper, Cubebas, aliasque plantas gummiferas, ut Benzoën, Styracem et alias, quarum ſemen haud examinaverat, ad famoſiſſimam usque Lotum. Dein perſequitur eas, quarum ſemina 2. *cor in inferiore parte* habent, qua ſci-

licet aut pedunculo aut conceptaculo nectuntur: magna ex parte plura hae ferunt semina, aut in communi conceptaculo aut in pluribus. Huc Ficum, Morum, Sambucum, Hederam, Liguſtrum, Syringam ipſamque Roſam; dein Vitim, Arbutum, Guaiacum, *Ermellinam (Diospyros Lotus)*: leguminoſas, ut Caſſiam, Ceratoniam, Tamarindum, Cytiſum, Geniſtam, Emerum, refert. B. Sunt quibus feminis ſedes *bipartita* eſt, ut duo conceptacula videantur, quibus ſemina lanugine involuta ſunt, quorſum Periploca pertinet, Staphylodendron, Populus, Salix, Tamarix. C. *Tripartita* feminis ſede pauca in genere arboreo occurrunt: novit autem Caeſalpinus duntaxat Buxum et Myrtum, quarum flores ſummis fructibus inhaerent. D. *Quadripartita* feminis ſede habentur manifeſte quidem Siler *(Evonymus)* obſcure autem ob fructus parvitatem Vitex. E. *Multiplici* feminis ſede et indeterminatiori numero multa reperiuntur, horum autem α. quaedam fructum ferunt exterius communi cortice tectum, ut Malorum genera, β. alia eumdem habent tegente proprio ſingulorum corpore, ut Conifera: haec enim veluti e ſquamis compactilem fructum ferunt, ſub ſingulis ſquamis ſemina continentur. Seminis autem cor omnibus eſt in parte inferna: flos nullus, aut, ſiquis eſt, amentaceus.

Expoſitis arborum differentiis transit ad ſuffrutices et herbas, quarum differentias ſimiles prae-

cipit. A. Prima claſſis ſolitaria fert ſemina ſub ſingulis floribus, aut ſolitarium ſeminis conceptaculum. α. Nuda ſunt ſemina in Valerianis ſolis, quarum tum flos tum ſeminis cor exterius ſita ſunt: inſident autem pappi his ſeminibus ſummis. β. Pericarpio cincta ſemina gerunt, quibus vel ſeminis cor exterius ſedet, flos interius: quorſum Thymelaea, Daphnoides et Iaſminum pertinet; vel flos in ſummo fructu et ſeminis cor pariter, ut in Caſſia lignea (Daphne Cneorum.). Aliis pro ſeminis tegmine datum eſt floris involucrum, ſeminibus ſolitariis exiſtentibus ſub ſingulis floribus, ut in Cannabi, Lupulo, Ambroſia, Chenopodio, Beta, Atriplice, Blito, Tribulo, Spinachia, Rumice, Oxalide, Polygono, Salſola et omnibus frumentis ac cyperoideis. γ. Conceptaculum ſimplex ac unicum ſub uno flore gerunt, quae florem habent, fructui pulpoſo eduli inſidentem, ut Cucurbitae et Cucumeres, Bryonia, Sambucus, Solanum, Smilaces, Ruſci, Dictamnus, Arum. Huc autem legumina omnia, inter quae recenſet etiam Caſſiam Sennam italicam (8, 36.), quae in agro Piſtorienſi frequens feritur: adnumerat his etiam Lychnides, Dianthos, Aſclepiades et alias. B. Secunda claſſis complectitur eas, quae bina ſemina nuda ſub ſingulis floribus gerunt, aut conceptacula ſeminum bipartita. Ad priorem ordinem pertinent umbelliferae omnes (inter eas Pancaſeolus ſ. Bunium Bul-

bocaſtamum 7, 29.) et Seſeli Ammoides (7, 15.) ad poſteriorem Rubiae, (*Crucianella maritima* 8, 12.), Agrimoniae, Mercurialis et Xanthium, Plantago etiam et Euphraſia, Orobanche, Cuſcuta, Tornaebona (*Nicotiana*), Hyoscyamus, Verbaſcum, Scrofularia. Huc etiam refert ſiliquoſas, quippe quae bipartitum habent conceptaculum. . . C. Tertia claſſis continet plantas, quae terna ſemina gerunt aut nuda, ut Thalictrum (quod cum Pegano Harmala confundit), aut in conceptaculis, ut Euphorbiae (inter quas Euphorbia Cajogala 11, 8.) et Croton (*Heliotropium*), Convolvuli etiam, Seſamum, Aſarum et Cardamomum, Cyclamen, Hypericum. Huc refert etiam bulboſas omnes, Allia, Scillam, Hyacinthum, Crocum, Narciſſum, Aloën, Orchideas omnes. . . D. Sequuntur, quae quaterna habent ſemina; eaque plerumque nuda, ut Aſperifoliae et Labiatae omnes. . . E. Quae multa ſemina gerunt, dividuntur α. in Compoſitas, ubi flos ſuperus eſt, et ſemina vel pappoſa vel nuda, receptaculum etiam vel foliaceum (*paleaceum*) vel nudum. His adnumerat Scabioſas, inter quas Sc. vel cretica vel limonifolia (13, 60.). β. in eas, quibus flos inferus eſt, qualis apparet in Ranunculis, Anemone, Geo, Butomo, Potentilla, Alchemilla, Geranio, Malvis. γ. in eas, quae in ſingulis conceptaculis plura geſtant ſemina, ut Oxalis, Goſſypium, Bamia (*Hibiſcus eſculen-*

tus), Papaver, Ruta, Helleborus, Aconitum, Paeonia, Aquilegia. Supereſt plantarum familia, quae nullum profert ſemen, quorſum Filices (inter has Polypodium ilvenſe, 16, 10.), Muſci frondoſi, Equiſeta, Lichenes, Algae et Fungi.

En primi ſyſtematis carpologici ſyllabum, quod licet imperfectum ſit, ingenii tamen ſummi monumentum et aliorum omnium ad Gärtnerum usque exemplar eſt.

* * *

Ni inter ſyſtematicos, inter collectores ſaltem inventorum numerandus eſt Ioachimus Camerarius, medicus Noribergenſis (nat. 1534. † 1598.), Gesneriani theſauri poſſeſſor et horti praeſtantiſſimi cultor. Uſus eſt iconibus Gesneri ad edendam „De plantis epitomen utiliſſimam Petr. Andr. Matthioli“ Frcf. ad Moen. 1586. 4. Egregium opus, ob mutatas et emendatas plerasque Matthioli icones, relictis paucis deterioribus, ut Auricula muris (408.), Rhabarbaro (414.), Chamaeleonte nigro (429.). Reliquae ſunt elegantiſſimae, nitidiſſimae, quales nec maiores ipſius nec poſteri unquam ligno inciderunt; pleraeque habent partes eſſentiales, ut facillime et genus et ſpeciem definire poſſis. Ordo ceteroquin nullus, niſi is, qui in Dioſcoride Matthioli obſervatur. Adiutus fuerat a nepote Ioach. Iungermannio, Lipſienſi, poſt Guilandini ſucceſſore nominato, qui Orientem ad-

greſſurus, obiit Corinthi 1591. Praeſtantiſſimas et novas prorſus icones, inter plusquam M, quae hic occurrunt, exiſtimo ſequentes:

Echium italicum (*flore albo* 738.). . . Celoſia caſtrenſis (*Amarantus criſtatus* 792.). . . Seſeli tortuoſum (*maſſilienſe nonnullorum* 511.). . . . Agave americana (*Aloë* 451.) multo melius redit in *horto t.* 5. . . Ballota alba (572.). . . Cardamine hirſuta (*Siſſymbrium aquaticum alterum* 270.). . . Siſymbrium ſtrictiſſimum (*Arabis quibusdam* 342.). . . Tragopogon orientalis (*Barbula hirci* 312.). . . Sonchus coeruleus *Sm.* (281.). . . Artemiſia gallica (*Abſinthium ſeriphium vulgo dictum* 458.). . . Tuſſilago alba (*Petaſites fl. albo* 593.). . . Ulva plicata Roth. (*Muſcus marinus alter Plin.* 872.).

Mox ſequutus eſt „Hortus medicus et philoſophicus“ Frcf. ad Moen. 1588. 4., primum et ſplendidum quidem exemplum deſcriptionis plantarum, quae in horto ditiſſimo colebantur; icones adiectae ſunt nitidiſſimae, aliae propriae, aliae e Gesneri theſauro. Novae ſunt fere:

Montia fontana (*Portulaca exigua p.* 131.).

Sherardia arvenſis (*Rubeola arvenſis* 149.).

Phyſalis angulata (*Halicacabum t.* 17.). . . Gentiana bavarica (*t.* 15.). . . Gent. imbricata (*ib.* 11.). . . Eryngium amethyſtinum (*totum coeruleum p.* 58.). . . Bupleurum longifolium (*Perfo-*

liata montana t. 38.). . . Tordylium peregrinum (*Caucalis hiſpanica t.* 11.).

Silene fruticoſa (*Ocimoides fruticoſum t.* 33.). . . Sil. noctiflora (*Oc. noctiflorum t.* 34.). . . Euphorbia Gerardiana (*Tithymalus linifolius* 170.).

Scrofularia peregrina (*t.* 43.).

Bunias ſyriaca (*Roſa hierochuntica alia t.* 42.). . . Cheiranthus tricuſpidatus (*Leucoion marinum t.* 24.).

Sida indica (*Abutilon t.* 1.). . . Hibiſcus ſyriacus (*Alcea arboreſcens t.* 4.).

Anthyllis tetraphylla (*Trifolium halicacabum t.* 47.). . . Trifolium italicum (*Melilotus italica t.* 29.). . . Lotus ornithopodioides (*t.* 25.). . . Medicago maculata (*t.* 27.).

Hieracium dubium (*Lactucella ſylveſtris repens p.* 82.). . . Cnicus ſyriacus (*Carduus lacteus ſyriacus t.* 10.

Neottia repens (*Orchis radice repente t.* 35.). . . Phoenicis dactyliferae germinatio (*t.* 36.).

* * *

Inventa colligere ac in meliorem disponere ordinem fategit etiam Iacobus Dalechamp, medicus Lugdunenſis (nat. 1513. † 1588.), ſed, licet adiutus a Ioanne *Bauhino* et Io. *Molinaeo*, inconditum tamen opus reliquit, quo aegerrime utimur, cum eaedem plantae diverſis nominibus occurrant. „Hiſtoria generalis plantarum.“ vol. 1. 2. Lugd.

1587. fol. Rouillius bibliopola iuſto iactantius praefatur. Ordo ſingularis: 1. de arboribus ſylveſtribus; 2. fruticibus; 3. arboribus fructiferis; 4. ſegetibus et leguminibus; 5. oleribus et herbis; 6. plantis umbelliferis; 7. flore placentibus; 8. odoratis; 9. paluſtribus; 10. de plantis in aſperis locis et ſaxoſis; 11. de plantis in udis locis et pinguibus; 12. de plantis maritimis et marinis; 13. de paraſitis; 14. de Carduis et ſpinoſis; 15. de bulboſis; 16. de catharticis; 17. de venenatis; 18. de peregrinis. Plantarum deſcriptiones pleraeque e Matthiolo, Fuchſio, Lobelio, Dodonaeo et Cluſio: icones indidem mutuatae, paullo inferiores illis, ſed appoſitis interdum, more Gesneri, partibus eſſentialibus.

Quae propria ſunt Dalechampio aut melius ab eo expoſita, ſequentia videntur:

Veronica urticaefolia (*maxima* 1165.).

Anthoxanthum odoratum (426.). . . Saccharum cylindricum (*Gramen tomentoſum* 430.). . . Elymus arenarius (*Oxyagroſtis maritima* 432.). . . Knappia agroſtidea *Sm.* (*Gramen minimum* 424.). . . Dactylis glomerata (*Gr. ſpicatum* 427.). . . Polycarpon tetraphyllum (*Paronychia altera* 1213.).

Globularia nudicaulis (*Aphyllanthes* III. 864.). . . Plantago alpina (*Holoſteum quorumdam* 1183.). . . Camforoſma glabra (*Chamaepeuce Plinii* 1179.).

Convolvulus saxatilis (*Lychnidis sylvestris species Myconi* 817.). . . Verbascum Myconi (*Auricula ursi* 837.). . . Eryngium Bourgati (*Spina alba* 1462.). . . Bupleurum Odontites (*Odontites lutea* 1063.). . . Sison verticillatum (*Daucus pratensis* 718.). . . Oenanthe peucedanifolia (*Bulbocastanum femina* 778.). . . Aethusa Bunius (774.). . . Chaerophyllum hirsutum (*Cicutaria alba* 789.). . . Seseli elatum (*Petroselinum* 702.).

Ornithogalum latifolium (*magnum Myconi* 1583.).

Möhringia muscosa (*Alsine muscosa* 1235.). . . Acer monspessulanum (95.).

Scleranthus polycarpos (444.). . . Saxifraga Aizoon (*Phyllon thelygonon* 1195.). . . Gypsophila rigida (*Tunica minima* 1191.).

Sedum dasyphyllum (*Aizoon dasyphyllum* 1133.).

Euphorbia verrucosa (*Tithymalus* 1650.).

Sarracenia flava (*Turis limpidi folium* 1754.). . . Cistus Tuberaria (*maior Myconi* 1099.). . . Anemone apiifolia (*Pulsatilla* III. 851.). . . Ranunculus hederaceus (1031.). R. platanifolius (*montanus albus ib.*).

Lamium incisum (*Ballote crispa maior* 1253.). . . Erinus alpinus (*Ageratum purpureum* 1184.).

Cakile maritima (*Eruca maritima* 1394.). . . Lepidium alpinum (*Thlaspi montanum minimum*

(1180.). . . Iberis fempervirens (*Thlaſpi montanum candidum* 1180.).

Althaea hirſuta (*Alcea villoſa* 594.).

Polygala monſpeliaca (*Onobrychis* III. 491.). . . Ononis pinguis (*lutea non ſpinoſa* 449.). . . Coronilla minima (*Lotus enneaphyllos* 510.). . . Ornithopus compreſſus (*Scorpioides leguminoſa* 493.). O. perpuſillus (*Ornithopodium tuberoſum* 486.). . . Aſtragalus montanus (1347.). . . Medicago minima (*Tribulus minor rectus* 513.).

Arnopogon Dalechampii (*Hieracium magnum* 569. *male.*). . . Sonchus picroides (*Crepis* 562.). . . Prenanthes muralis (*Sonchus dendroides* 573.). . . Andryala integrifolia (*Sonch. lanatus* 1116.). . . Cnicus Eriſithales (1094.). . . Conyza ſordida (*Ageratum aliud quorumdam* 778.). . . Erigeron glutinoſum (*Conyza montana* 1201.). . . Anthemis maritima (*Chamaemelum* 1394.). . . Chrysanthemum Myconi (873.).

Orchis globoſa (*rotundus* 1556.).

Polypodium ilvenſe (1221. 1230.). Marſilea quadrifolia (*Lemma* 1014. 1015.).

Haec quidem certiora ſunt. Plurima dubia aut variis nominibus, licet eadem, inſignita, de quibus Iacobus *Pons* egit in „animadverſionibus in hiſto„riam plantarum generalem.“ Lugd. 1600. 8. Edidit etiam *C. Bauhinus* animadverſiones in hiſtoriam plantarum Lugduni editam; catalogum plan-

tarum 400 eo in opere bis terve positarum. Frcf. 1601. 4.

* * *

Iacobus Theodorus TABERNAEMONTANUS, Alsatus, medicus Episcopi Spirensis et principis Palatinatus, Tragi autem discipulus, praeceptoris opera continuare moliens, impensas ab Episcopo Spirensi accipere speravit, sed intermortuo hoc, Bassaeus, typographus Francofurtanus magni herbarii tomum primum 1588. edidit. Defuncto 1590. auctore ipso, Nicol. Braunius reliquos tomos 1592. curavit: novam autem editionem *C. Bauhinus:* „Neuw vollkommentlich Kreuterbuch" Tom. 1. 2. Frcf. ad Moen. 1613. fol. quam coram habeo. Continet, ordine quodam arbitrario, plusquam 5800 species plantarum, quarum 2480 iconibus expressae sunt, rudioribus iis, quam quae Camerarius curaverat, plerisque mutuo acceptis a Clusio, Lobelio aliisque, nonnullis pessimis, aliis tamen melioribus, imo novis et peculiaribus. Nimius autem in viribus medicis, multus in nomenclatura omnium fere linguarum. Propriae ipsi aut melius descriptae sunt sequentes:

Veronica triphyllos (*Alsine recta* 2, 410.). . . Ver. hederaefolia (*Alsine hederacea* 2, 411.). . . Ver. arvensis (*Alsine fol. veronicae ib.*). . . Ver. agrestis (*Alsine fol. trissaginis ib.*). . . Salvia hispanica (*Sclarea* 2, 97.).

Valeriana dioica (*Phu minus* 1, 469.). . . Iris pallida (*dilute coerulea* 2, 559.). . . Scirpus Tabernaemontani *Gmel. ſl. bad. n.* 69. (*Iuncus ſylvaticus* 1, 554.). . . Phalaris arundinacea (*Gramen harundin. maius* 1, 53.). . . Panicum verticillatum (*Gr. geniculatum* III. 1, 532.). . . Andropogon Iſchaemum (1, 553.). . . Stipa capillata (*Aegilops* IV. 1, 564.). . . Polycnemum arvenſe (*Camforata* II. 1, 57.).

Dipſacus laciniatus (II. 2, 393.). . . Aſperula tinctoria (*Gallium album* III. 1, 445.).

Campanula patula (*Rapunculus ſylv. minor* 2, 125.). . . Chenopodium murale (II. 2, 142.). . . Chaerophyllum temulum (*Cerefolium ſylveſtre* 1, 288.). . . Pimpinella nigra (*Tragoſelinum minus* 1, 258.). . . Linum auſtriacum (*ſylveſtre* III. 2, 526.).

Iuncus ſylvaticus (*Gramen iunceum* I. 1, 553.),

Epilobium tetragonum (*Lyſimachia* III. 2, 554.). . . Epil. paluſtre (*Lyſ.* VII. 2, 555.). . . Polygonum aviculare (II. 2, 533.).

Scleranthus annuus et perennis (*Polygon.* IV. V. 2, 534.). . . Stellaria uliginoſa (*Alſine fontana* 2, 411.). . . Ceraſtium aquaticum (*Alſine paluſtris* 2, 412.).

Erodium pimpinellifolium (*Geranium arvenſe* 1, 124.). . . Althaea ficifolia (*Malva roſea ſimplex* 2, 469.).

Spartium multiflorum (*Geniſta alba* 3, 824.). . . Vicia dumetorum (*Cracca maior* 2, 220.).

Hieracium paludoſum (XIV. 1, 509.). H. ſylvaticum (*Pulmonaria gallica tenuifolia* 1, 500.). . . Crepis Dioſcoridis (*Hierac.* I. 1, 506.). . . Cr. nemauſenſis (*Hier.* VI. 1, 507.). . . Cr. virens (*Hier.* II. 1, 506.). . . Helianthus indicus (*Corona ſolis* I. 2, 466.). . . Hel. multiflorus (*Cor. ſolis* IV. 2, 467.).

* * *

Immortalem meretur gloriam ſplendidum ingenium indefeſſaque induſtria *Fabii* COLUMNAE, Neapolitani. E nobiliſſima gente circa annum 1567. natus, ab infantia inde diro morbo comitiali vexatus, licet iuris ſcientiam ſibi elegiſſet, veteres tamen medicos adſiduo legere coepit, ut remedium aliquod expeditiſſimum inveniret, quo morbum ſuum fugare poſſet. Incidit in Phu Dioſcoridis, quod Valerianam officinalem ſignificare credidit (*phytobaſ.* 97.) eaque a morbo per aliquod tempus liberatus fuit. De ea planta poſtea contentio orta eſt inter Columnam et Evangeliſtam Quatramium (*ecphraſ.* 1, 210.), ubi noſter defendit ſuam ſententiam, licet a veritate alienam. Haec tamen ſtudia adeo iuvenem delectarunt, ut in iis etiam aetatem conſumeret ac conſeneſceret. Edidit enim primum, quum annum XXV ageret, „Phytobaſanum“ quem Iani Planci caſtigatione Mediolani 1744. 4.

editum coram habeo. Pingendi arte ipſe Columna peritus, aeri incidi icones primus curavit, quae quidem artis initia ſatis ſpecioſa palmam tamen ligneis iconibus Camerarii haudquaquam praeripiunt. Quum poſtea Aequicolorum iudex et proprinceps nominatus eſſet, otium omne in Campoclarenſium montibus et Apuliae campis plantarum feraciſſimis conſumſit; multo curatius, Gesneri et Caeſalpini exemplo accenſus, ad partes eſſentiales conſilium transferre didicit; immenſam rariorum vegetabilium copiam collegit, quarum praecipuas et novas in „Ecphraſi ſtirpium“ tom. 1. 2. Rom. 1616. 4. deſcripſit ac delineavit. Eodem fere tempore Io. Bapt. Portae ſucceſſor, ſeu prof. Neapolitanus vocatus fuit, fractus autem paene viribus ac animum deſpondens vitam protraxit ad annum usque 1640. ubi vivere deſiit.

Quum de veterum plantis agerem, ſaepius iam Columnam citavi, unde patet, eum operam praeprimis dediſſe, ut Dioſcoridem et Theophraſtum explicaret, haud ſatis felix initio: namque in phytobaſano pluries labitur, ſibique ipſe contradicit. Multo maturius ac vere eximium opus eſt ecphraſis, quae climatis florae perquam faventis plantas innumeras fere continet, quae nec antea nec etiam poſt ſtudioſius obſervatae fuerunt. Indicem adiungo plantarum novarum aut Columnae peculiarium:

Circaea alpina (*minima ecphr.* 2, 80.). . .

Veronica montana (*Alyſſum montanum ecphr.* 1, 288.).

Fedia echinata (*Valerianella ecphr.* 1, 206.). F. coronata (*ſemine ſcabioſae ib.* 209.). F. dentata (*altera ib.*).

Scabioſa palaeſtina (*Phyteuma minus phytob. t.* 22.). . . Sherardia muralis (*Aſperula ecphr.* 1, 300.). . . Aſperula cynanchica (*Galium τετράφυλλον* 1, 297.). . . Valantia muralis (*Cruciata ib.*). Plantago Serraria (*piloſa laciniata apula, ecphr.* 1, 259.).

Lithoſpermum apulum (*Echioides lutea minima, ecphr.* 1, 185.). . . Cynogloſſum apenninum (*ecphr.* 1, 170.). C. Columnae *mihi* (*ib.* 178.). . . Aretia Vitaliana (*Sedum alpinum* 1. *ecphr.* 2, 65.). . . Androſace carnea (*Sed. alpin.* 11. *ib.*). . . Campanula graminifolia (*Trachelium montanum phytob. t.* 34.). . . Phyteuma orbiculare (*Rapuntium corniculatum, ecphr.* 1, 224.). . . Chironia maritima (*Centaureum luteum novum, ecphr.* 2, 77.). . . Gentiana ciliata (*Gentianella coerulea ſimbriata, ecphr.* 1, 221). G. utriculoſa (*altera coer. cordata, ib.*). . . Bupleurum tenuiſſimum (*minimum, ecphr.* 1, 247.). . . Echinophora tenuifolia (*Paſtinaca echinophora, ecphr.* 1, 101.). . . Tordylium apulum (*ib.* 124.). . . Caucalis latifolia (*Echinophora* IV. *ecphr.* 1, 97.). C. platycarpos (*Echinophora πλατύκαρπος, ib.* 94.). . . Dau-

ens muricatus (*Echin. πυκνόκαρπος, ib.*). . . Laſerpitium hirſutum (*Panax Aſclepium apulum, ecphr.* 1, 86.).

Allium pallens (*Gethyoides ſylveſtre, ecphr.* 2, 7.). . . A. Chamaemoly (1, 326.). . . Rumex bucephalophorus (*Acetoſa, ecphr.* 1, 150.).

Saxifraga bryoides (*Sedum alpinum* IV. *ecphr.* 2, 67.). S. androſacea (III. *ib.*). S. bulbifera (*ecphr.* 1, 317.). . . Saponaria bellidifolia (*Globularia lutea montana, ecphr.* 1, 153.). . . Sedum ſtellatum (*Sempervirum* III. *phytob. t.* 11.). . . Ceraſtium repens (*Ocimoides Lychnitis phytob. t.* 31.).

Agrimonia Agrimonoides (*ecphr.* 1, 144.)... Reſeda Phyteuma (*Erucago apula, ecphr.* 1, 269.). . . Euphorbia Epithymoides (*Tithymalus, ecphr.* 2, 51.). E. ſylvatica (*lunato flore, ib.* 57.)... Sempervivum arachnoideum (*ecphr.* 1, 291.).

Ranunculus chaerophyllus (*montanus leptophyllus, ecphr.* 1, 311.). R. parvulus (*minimus apulus* 316.).

Teucrium Pſeudhyſſopus (*Hyſſopus apulus, ecphr.* 1, 67.). . . Sideritis montana (*ecphr.* 1, 196.). . . Scutellaria Columnae (*Caſſida, ecphr.* 1, 189.)... Rhinanthus Elephas (*ecphr.* 1, 188.). R. Trixago (*ib.* 197.). . . Euphraſia latifolia (*ecphr.* 1, 202.)... Tozzia alpina (*Anonyma S. Gregorii, ecphr.* 2, 50.).

Lepidium petraeum (*Cardamine pusilla saxatilis, ecphr.* 1, 273.)... Draba muralis (*ib.* 272.)... Thlaspi perfoliatum (*ib.* 276.). T. saxatile (*Ionthlaspi montanum* 277.)... Alyssum deltoideum (*Litoreo-leucoium supinum, ecphr.* 1, 284.)... Biscutella auriculata (*Leucoium montanum flore pedato, ecphr.* 2, 61.). B. apula (*Iondraba apula, ecphr.* 1, 285.). B. laevigata (*Leucoium alyssoides, ib.*)... Sisymbrium Irio (*ecphr.* 1, 265.). S. Columnae (*Rapistrum sylvestre, ib.* 268.).

Erodium ciconium (*Geranium apulum ecphr.* 1, 235.).

Spartium radiatum (*ecphr.* 1, 290.). Ononis Columnae (*ecphr.* 1, 301.)... Orobus vernus (*Astragalus phytob. t.* 14.)... Hippocrepis comosa (*Ferrum equinum capitatum, ecphr.* 1, 301.)... Astragalus sesameus (*Vicia sesamea apula, ib.*).

Hypericum hirsutum (*Androsaemum, ecphr.* 1, 74.). H. montanum (*ib.*).

Geropogon hirsutus (*Tragopogon, ecphr.* 1, 231.)... Tragopogon crocifolius (*ib.* 230.)... Scorzonera hirsuta (*Tragopogon apulum, ib.* 233.)... Prenanthes viminea (*Chondrilla viscosa, ecphr.* 1, 240.). P. hieracifolia (*Hieracium leptomacrocaulon* 1, 249.)... Thrincia hirta (*Hieracium montanum saxatile, ecphr.* 1, 243.)... Hieracium cymosum (*Pilosella macrocaulos, ec-*

phr. 1, 249.). H. aurantiacum (*germanicum* 1, *ecphr.* 2, 30.). . . Crepis ſcarioſa (*Cichorium pratenſe veſicarium*, *ecphr.* 1, 237.). Tolpis barbata (*Hieracium calyce barbato*, *ecphr.* 2, 27.). . . Lapſana foetida (*Hieracium* III, *ecphr.* 2, 31.). . . Carlina lanata (*Acanthoides*, *ecphr.* 1, 27.). C. corymboſa (*Acarna apula umbellata*, *ib.*). . . Artemiſia coeruleſcens (*Abſinthium latifolium*, *ecphr.* 2, 76.). . . Carpeſium cernuum (*Aſter*, *ecphr.* 1, 252.). . . Anthemis montana (*Abſinthium montanum phytob. t.* 33.). . . Helianthus tuberoſus (*Flos ſolis Farneſianus*, *ecphr.* 2, 13.). . . Centaurea Crupina (*Senecio-Carduus apulus*, *ecphr.* 1, 34.). C. ſolſtitialis (*Spina ſolſtitialis mitior*, *ecphr.* 1, 31.). C. centauroides (*Iacea laevis maxima*, *ecphr.* 1, 35.).

Orchis anthropophora (*ecphr.* 1, 320.). O. tephrosanthes (*cercopithecophora*, *ib.*). . . Serapias Lingua (*Orchis macrophylla*, *ecphr.* 1, 322.).

* * *

Syſtematicum transire nequeo, qui naturalem Lobelii methodum ulterius elaborare ſtuduit, Adamum Zaluzanium a Zaluzaniis, Bohemum, cuius „Methodus herbaria libr. 3.“ Frcf. 1604. 4. coram eſt. De ſexu plantarum c. 24. longe aliam ac priores profert ſententiam: plurimas enim hermaphroditas eſſe et androgynas, nonnullas vero ſexum ſeparatum habere. *Ligulam* ap-

pellat filamentum, *apicem* antheram: *ſtamen* autem piſtillum. Familias naturales ordine ſatis congruo percurrit, ab imperfectis ordiens: Fungos, Muſcos, Lichenes, Gramina, Scitamina, Lilia, Hyacinthos, poſt eos Orchides tractat, quas memorabili elencho complectitur: Orchides enim ſunt:

1. Satyria legitima, nobis minus nota, Monorchides, quorſum Erythronium et Hyacinthus orientalis.
2. Cynosorchides, polydactylae.
   a. Oreades, folio laevi et maculoſo *(Orchis maculata.)*.
   b. Nereides, paluſtres.
      α. folio acuto, laeves et maculoſae.
      β. folio lato et laciniioſo.
3. Serapiades, rotundis teſtibus.
   a. Duobus *(Orchis variegata, militaris: Ophrys myodes etc.)*.
   b. Tribus aut quatuor.
4. Mediae, Dactylides.

Sequuntur Leguminoſae, quibus et Rutam et Seſamum adnumerat: Ferulaceae, inter quas Umbelliferae, Filices, Artemiſia, Filipendula: Compoſitae: tum congeries quaedam, ubi Sempervivum cum Plantagine, Rheum cum Oxalide coniungit. Ranaceae plantae dicuntur Aroideae, et Caltha et Ranunculus Thora etc.

* * *

Claudant agmen „fratrum Bauhinorum ſydera lucida“, quorum tot tantaque ſunt in promovenda et perficienda re herbaria merita, ut ab uno fere Linnaeo ſuperentur. Baſileae, patre Ioanne medico, natus uterque, alter natu maior Ioannes anno 1541, minor alter Caſparus 1550. Ioannes a Fuchſio primum, dein a Conr. Gesnero hauſit disciplinam, huius comes indefeſſus in itineribus helveticis. Poſt Galliam Narbonenſem, Italiam ipſam, Alſatiam totam et ſylvam Martiam peragravit, Ebroduni per aliquod tempus commoratus eſt, donec Baſileam 1566 vocaretur; quatuor vero poſt annos princeps Montisbeligardenſis medicum ſibi eum elegit, Montebeligardi etiam denatus eſt 1613.

Edidit is primum „hiſtoriam admirabilis fontis et balnei Bollenſis“, Montebelig. 1598. 4. cuius liber quartus, ſeorſim editus, ſtirpes plerasque in vicinis montibus et ſylvis provenientes tractat. Inter eas paucae quidem novae, ut Peplis Portula (*Alſine minima p.* 194.), Alnus incana p. 144. etc., quae redeunt in hiſtoria plantarum. Molitus enim erat ab ineunte aetate vir doctiſſimus et ſtudioſiſſimus ingens opus, Gesneriani aemulum, in quo colligere ex omnibus auctoribus, quaecunque innotuerant, melius deſcribere, icones repetere et ſynonyma diiudicare ſategit. Prodromum eius operis, in quo a Io. Henr. *Cherlero* genero adiutus fuerat, poſthumum editum habemus Ebrodun. 1619. 4., ubi claſſes na-

turales fere eaedem, quas Lobelius delineaverat, repetuntur. Tandem ipsum opus, quadraginta fere post obitum auctoris annos, a Dominico *Chabraeo* Ebroduni tribus voluminibus 1650. 1651. fol. titulo: „Historia plantarum universalis" editum fuit. Laudes summas meretur studium auctoris in colligendis et describendis plantis, in diiudicandis synonymis, in indigitandis locis natalibus: quae taxari possunt, versantur fere in iconibus multo minoris momenti, quam ea aetate, post Gesneri et Camerarii splendidissima exempla, exspectari poterant. Nonnullae etiam, ut Pulsatilla 3, 410. pessimo loco positae. Sic 3, 290. loco Chamaedryos Salvia picta est, Centaurea 3, 754. loco Trichomanis aut Polypodii, Gramen 2, 927. loco Thlaspeos, Hypericum 3, 344. loco Lychnidis, Coronilla Securidaca 2, 459. loco Graminis. Ordo potissimum naturalis: Arbores primum pomiferae, nuciferae, exoticae, - bacciferae, glandiferae, coniferae, sylvestres, leguminosae: tum Cisti, Rosaceae, scandentes, cucurbitaceae, herbae leguminosae, frumenta, gramina, cyperoideae, bulbosae et tuberosae, rapunculi et campanulae, siliquosae et siliculosae, oleraceae: denique cichoraceae, capitatae, echinocephalae, corymbiferae, umbelliferae, labiatae, coronariae: peculiaris etiam classis nervifoliarum, ut plantaginum, gentianarum,

polygonatorum: rotundifoliae et cognatae, ut Asarum, Viola etc. asperifoliae: venenatae, crassifoliae, stellatae, filices, aquaticae, marinae, corallina et fungi.

Quae ab amicis Felice Platero, Cherlero, Nic. Agerio prof. Argentinensi et aliis acceperat aut ipse nova invenerat, sunt fere quae sequuntur:

Veronica austriaca (*Chamaedrys tenuissime laciniata* 3, 287.).

Phleum Michelii (*Gramen cum cauda muris purpurascens* 2, 473.). . . Crypsis aculeata (*Gramen supinum aculeatum* 2, 461.). . . Alopecurus utriculatus *Schrad.* (*Gramen tenue duriusculum* 2, 463. *excluf. synon.*).

Galium rotundifolium (*Rubia quadrifolia* 3, 718.).

Anagallis tenella (*Nummularia rubra* 3, 371.). . . Campanula spicata (*Trachelium altissimum foliis angustis* 2, 801.). C. linifolia (2, 797.). C. rhomboidea (*alpina glabra* 2, 806.). C. bononiensis (2, 804.). C. hederacea (2, 797.). . . Phyteuma pauciflorum (*Rapunculus alpinus parvus* 2, 811.). . . Herniaria hirsuta (3, 379.). . . Ammi glaucifolium (*Daucus petraeus glaucifolius* 3, 58.). . . Peucedanum alsaticum (*Umbellifera alsatica magna* 3, 106.). . . Ferula glauca (3, 45.). . . Laserpitium angustissimum (*Laser-*

pitio Lobelii ſimilis anguſtifolia 3, 137.). . . Seſeli glaucum (*Daucus glauco folio* 3, 16.).

Scilla unifolia (*Bulbus monophyllus flore albo* 2, 622.). . . Calamus Zalacca (*Baly inſulae fructus* 1, 401.). . . Iuncus acutus (*pungens* 2, 520.). I. maximus (*Gramen Luzulae maximum* 2, 493.). I. capitatus (*foliatus minimus* 2, 523.). . . Rumex pulcher (*Lapathum pulcrum bononienſe* 2, 988.). R. Lunaria (994.).

Andromeda polifolia (*Viti idaeae adſinis polifolia* 1, 527.). . . Saxifraga ſtellaris et cuneifolia (*Cotyledon altera* 3, 684.). S. moſchata *Wulf.* (*Tridactylites alpina* 3, 762.). S. aſpera (*Sedum alpinum hiſpidum* 3, 695.). . . Arenaria trinervia (*Alſine plantaginis folio* 3, 364.). A. tenuifolia (*Alſine, ib.*). A. ſtriata (*Auricula muris pulcro flore* 3, 560.). . . Sedum ſaxatile (*luteum minimum non acre* 3, 695.).

Lythrum Thymifolia (*Hyſſopifolia minor* 3, 792.).

Prunus ſemperflorens (*Ceraſus racemoſa* 1, 223.). . . Pyrus Pollveria (1, 59. A patria Pollwiler Alſatiae dicta.) P. dioica (*Malus non florida* 1, 21.). . . Roſa tomentoſa *Smith.* (2, 44.).

Ciſtus nummularius (2, 20.). C. ſampſucifolius (*ib.*). ?C. glutinoſus (*thymi folio incano* 2, 19.). . . Ranunculus plantagineus (*anguſtifolius bulboſus* 3, 866.). R. pyrenaeus (*pumilus gra-*

mineis foliis, ib.). R. glacialis (3, 861.). R. montanus *(minimus alpinus luteus ib.).*

Teucrium Marum (3, 243.). . . Nepeta nuda *(Mentha Cataria hiſpanica* 3, 226.). . . Sideritis romana *(Sideritis genus ſpinoſis verticillis* 3, 428.). . . Ocimum monachorum (3, 260.). . . Scutellaria albida *(teucrii facie* 3, 291.). . . Antirrhinum Pelliferianum *(Linaria coerulea calcaribus longis* 3, 461.).

Thlaſpi peregrinum (2, 927.). T. alliaceum *(folio alliariae* 2, 932.). . . Siſymbrium obtusangulum *(Eruca inodora* 2, 862.). . . Cheiranthus maritimus *(Leucoium* 2, 877.).

Spartium purgans (1, 404.). . . Geniſta ſylveſtris *(Geniſtella montis ventoſi ſpinoſa* 1, 400.). . . Ononis Cherleri (2, 394.). . . Orobus caneſcens *(Araci vel Apios leguminoſae ſpecies* 2, 326.). . . Lathyrus ſylveſtris *(maior narbonenſis* 2, 304.). L. hirſutus (2, 305.). L. Niſſolia *(Catananche leguminoſa* 2, 309.). . . Vicia platycarpos *(Aracus fabaceus* 2, 286.). . . Cytiſus biflorus *(glaber, ſiliqua anguſta* 1, 373.). Coronilla iuncea *(Colutea caule geniſtae fungoſo* 1, 383.). Aſtragalus monspeſſulanus (2, 338.). Trifolium tomentoſum (2, 379.). T. reſupinatum *(folliculaceum ib.).* Lotus anguſtiſſimus (2, 356.). . . Medicago coronata (2, 386.). M. tuberculata *(magna turbinata* 2, 385.). M. turbinata *(ſcu-*

tellata 2, 384.). M. rigidula (*hirsuta, echinis rigidioribus* 2, 385.).

Lactuca augustana (*longo et angusto folio* 2, 999.). Hieracium staticaefolium (*Chondrilla folio non dissecto* 2, 1041.). . . Crepis Sprengeriana (*Hieracium pulcrum ramosum* 2, 1026.). Rhagadiolus edulis (*Hierac. stellatum* 2, 1014.). Carduus crispus (3, 59.). C. tenuiflorus *Sm.* (*acanthoides* 3, 56.). Cnicus canus (*Cirsium tomentosum* 3, 44.). C. ferox (*Carduus lanceolatus ferocior* 3, 58.). Conyza ficula (*foliis virgaureae* 2, 1049.). Inula spiraeaefolia (*Conyzae mediae monspel. adfinis* 2, 1049.). Senecio nemorensis (*Virgaurea latifolia* 2, 1063.). S. aquaticus (*Iacobaea latifolia* 2, 1057.). Cotula aurea (*Chamaemelum aureum* 3, 119.). Anthemis repanda (*Chrysanthemum latifolium* 3, 105.). Achillea herba rota (3, 144.). A. nana (*Millefolium alpinum* 3, 138.). Centaurea galactites (*Carduus* 3, 54.). C. nigrescens (3, 28.).

Epipactis cordata (*Bifolium minimum* 3, 534.). Caulinia fragilis et Naias monosperma *Willd.* (*Fluvialis pisana* 3, 779.).

Salix Amaniana *Willd.* (*latifolia non hirsuta* 1, 216.). S. arbutifolia (*pumila folio utrinque glabro* 1, 217.). S. reticulata (*pumila folio rotundo ib.*).

Aſplenium Trichomanes ramoſum (3, 755.). Pteris criſpa (*Adiantum album tenuifolium* 3, 743.). . . Aſpidium ſpinuloſum *Sm.* (*Filix tenuiſſime ſecta* 3, 739.).

Fucus ſalicifolius *Gmel.* (*Salix marina* 3, 805.). Fuc. Erica marina (3, 799.). Ulva Linza (3, 789.).

Eius operis compendium edidit Domin. *Chabraeus* „ſciagraphiae“ titulo Genev. 1677. fol. ubi p. 389. Selinum Chabraei nomine Carvifoliae primum occurrit.

Fratre multo ſuperior et divitiis herbariis et amicorum liberalitate et egregii pictoris arte fuit natu minor Caſparus Bauhinus. Is Italiae montes, agros et hortos multo diligentius perſcrutatus erat, adierat Monſpelium et Galliam narbonenſem; Helvetiae alpes et Germaniae feraciſſimas regiones bene cognovit; redux iuvenis disciplinae graecae et anatomiae, denique botanicae etiam provinciam in academia Baſileenſi ſuscepit († 1624.).

Commercium aluit adſiduum et ſumme proficuum cum fratre, cum Nic. Agerio, prof. Argentinenſi, Ferr. Imperato Neapolitano, Honor. Bello Cretenſi, Franc. Pona Veronenſi, cum Ioach. Burſero Camentia-Luſato, qui per totam fere Europam peregrinatus erat, *) cum Io. Fleiſſero Vra-

*) Burſerus, dein in Academia Sorana ſtationem obtinuit, reliquit autem vigintiquinque volumina plantarum ſicca-

tislavienſi, Iac. Albino Hamburgenſi, Iacobo Cargillo Scoto, Fabio Columna, Baſil. Beslero Noribergenſi, Veſpaſiano Robino Pariſino, multisque aliis. Notandum vero, patriam plantarum non rite indigitari. E Braſilia enim et Topinambutiorum regione derivat, quae ex America boreali ſunt.

Immenſum opus et immortale moliebatur, omnium, quotquot innotuerant, plantarum collationem et in certos quosdam ordines digeſtionem: hactenus diverſum a fratris opere, ut multo curatius ne ullum quidem omittere ſcriptorem vellet. Eius operis prodromum exhibuit in „phytopinace, ſ. enumeratione plantarum ab herbariis noſtro ſaeculo deſcriptarum“, Baſil. 1596. 4. cum figuris 8 et deſcriptionibus 160 plantarum novarum, quae redeunt in „prodromo theatri botanici“, Frcf. 1620. 4. et in editione Matthioli, quam citavimus, et in „theatri botanici parte prima,“ quam poſthumam filius Io. Caſpar, Baſil. 1658. fol. edidit. Prodromus ducentas fere et quinquaginta novas continet plantas cum iconibus ligno inciſis iisque praeſtantiſſimis: theatrum erat initium magni operis et abſolutiſſimi, quod ad ordines naturales plantas omnes complecti

tarum, quae, e dono Coijet ad academiam Upſalienſem transierunt, ubi tria volumina magno incendio 1702. perierunt. In cineres reductae etiam ſunt tabulae, quas ex theſauro paraverant Rudbekii. Linnaeus tandem rariores ſtirpes huius herbarii determinavit (*Amoen. acad.* 1, 144. ſ.).

debebat. Sed praematura morte interceptum fuit: pars haec prima nil continet nisi gramina, cyperoideas et liliaceas. Tandem edidit „Pinacem theatri botanici", Basil. 1623. 4. indicem locupletissimum synonymorum fere omnium, quae apud maiores ipsius occurrunt. Non negandum, multa praesitisse doctissimum virum, neque tamen exhausit omnes literaturae botanicae fontes, neque, quos novit, ubique bene exposuit, cum characterum vera sedes nondum innotescceret. Summo autem botanicorum commodo is liber inserviit: namque ex eo inde tempore multo facilius fuit, plantas determinare, synonymis collatis et recensitis. Primus etiam „catalogum plantarum circa Basileam nascentium", Basil. 1671. 8. ditissimum dedit.

Ut autem innotescant plantae, quas Caspar detexit ac descripsit, ordine systematico eas tractemus:

Blitum capitatum (*Atriplex sylv. lappulas habens, ad Matth.* 365.). . . Syringa persica (*Ligustrum* II, *prodr.* 158.). . . Veronica bellidioides (*prodr.* 116.). V. scutellata (*Anagallis aquatica, ib.* 119.). . . Salvia syriaca (*Horminum prodr.* 114.). S. grandiflora (1, *prodr.* 113.).

Valeriana Tripteris (*alpina prima, prodr.* 86.). V. montana (*alpina profulariae folio, ib.* 87.). . . Fedia Cornucopiae (*Valeriana peregrina phytop. p.* 293. *t.* 1. *prodr.* 87.). . . Cladium germanicum *Schrad.* (*Cyperus longus inodorus theatr.*

221.). Schoenus mucronatus (*Gramen cyperoides maritimum, theatr.* 91.). . . Scirpus caespitosus (*Gramen iunceum, foliis et spica iunci minus, theatr.* 79.). Sc. acicularis (*Iuncus inutilis, ib.* 183.). Sc. lacustris (*Iuncus maximus, ib.* 178.). Sc. Holoschoenus (*Iuncus acutus maritimus, ib.* 174.). Sc. triqueter (*Iunc. acut. marit. caule triangulo, ib.* 175. *prodr.* 22.). Sc. fluitans (*Iuncellus* 27. *prodr.* 23.). . . Eriophorum caespitosum *Host.* (*Iuncus alpinus capitulo lanuginoso, theatr.* 188. *prodr.* 25.). E. latifolium (*Gramen tomentosum pratense panicula sparsa, ib.* 61.). . . Alopecurus agrestis (*Gramen typhoides spica angustiore, theatr.* 53.). . . Phleum pratense (*Gramen typhoides maximum, theatr.* 49.). . . Aira caryophyllea (*Caryophyllus* XI, *prodr.* 105.). . . Andropogon distachyos (*Festuca iunceo folio, prodr.* 19.). A. Gryllus (*Festuca dumetorum, theatr.* 149.). A. Ravennae (*Gramen plumosum album, prodr.* 14.). . . Holcus lanatus (*Gramen pratense paniculatum, theatr.* 27.). . . Arundo epigeios (*Gramen arundinaceum spicatum, theatr.* 94.). . . Polypogon monspelienfis (*Gramen alopecuroides, theatr.* 58.). . . Lagurus ovatus (*Gramen alopecuros spica rotundiore, ib.* 56.). . . Sesleria coerulea (*Gramen spica varia, theatr.* 158.). S. echinata (*Gramen spica subrotunda echinata, prodr.* 16.). . . Poa compressa

(*Gramen* v, *prodr.* 2.). P. bulboſa (*Gramen arvenſe panicula criſpa*, *prodr.* 6.). . . Cynosurus criſtatus (*Gramen pratenſe*, *prodr.* 8.). C. echinatus (*Gramen alopecuroides, ſpica aſpera, theatr.* 59.). . . Briza maxima (*prodr.* 5.). . . Bromus velutinus *Schrad.* (*Feſtuca graminea glumis hirſutis*, *theatr.* 143.). . . Triticum rigidum *Schrad.* (*Gramen anguſtifolium ſpica tritici muticae ſimili*, *prodr.* 17.). T. pinnatum *mihi* (*Gramen ſpica brizae maius*, *ib.* 18.).

Globularia ſpinoſa (*Bellis ſpinoſa coerulea*, *prodr.* 121.). . . Scabioſa graminifolia (*argentea anguſto fol. phytopin.* 328. *t.* 4. *prodr.* 127.). . , Aſperula pyrenaica (*Rubia* VIII, *prodr.* 146.). A. laevigata (*Rubia* III, *ib.* 145.). . . Galium puſillum (*Rubeola* VI, *prodr.* 145.). G. glaucum (*Rubia* I, *ib.*). G. boreale (*Rubia* II, *ib.*). . . Valantia glabra (*Galium latifolium glabrum*, *prodr.* 146.). . . Crucianella ſpicata (*Rubia* IV, *prodr.* 145.). . . Cornus canadenſis (*Pyrola alſines folio braſiliana*, *prodr.* 101.). . . Alchemilla pentaphylla (*prodr.* 138.). . . Potamogeton pectinatus (II, *prodr.* 101.). P. ſetaceus (I, *ib.*). P. puſillus (III, *ib.*). . . Ruppia maritima (*Gramen maritimum fluitans cornutum*, *theatr.* 41.).

Pulmonaria ſuffruticoſa (*Lithoſpermum anguſtifolium umbellatum*, *pin.* 521.). . . Lyſimachia Linum ſtellatum (*Linum* III, *prodr.* 107.). . .

Anagallis tenella (*Nummularia purpuraſcente flore*, *prodr.* 136.). . . Convolvulus copticus (III, *prodr.* 134.). C. tricolor (II, *ib.*). . . Campanula ſtyloſa *Lam.* (*foliis ſubrotundis*, *prodr.* 35.). C. caeſpitoſa *Scop.* (V, *ib.* 34.). C. barbata (*foliis echii floribus villoſis*, *prodr.* 36.). . . Lobelia urens (*Draba* II, *prodr.* 53. . . . Mirabilis dichotoma (*Solanum* IV, *prodr.* 91.). . . Chironia ſpicata (*Centaurium minus ſpicatum*, *prodr.* 130.). . . Rhamnus alpinus (*Frangula altera*, *prodr.* 160.). . . Ribes alpinum (*montana*, *ib.*). . . Herniaria lenticulata (*Polygonum* IV, *prodr.* 131.). . . Chenopodium ambroſioides (*Botrys ambroſioides mexicana pin.* 520.). . . Velezia rigida (*Lychnis* II, *prodr.* 103.). . . Aſtrantia minor (*Helleborus niger ſaniculae folio*, *prodr.* 97.). . . Bupleurum ſtellatum (*Perfoliata* III, *prodr.* 129.). B. petraeum (*Perf.* IV, *ib.*). B. anguloſum (II, *ib.*). B. ranunculoides (V, *ib.*). . . Caucalis nodoſa (*prodr.* 80.). . . Cachrys ſicula (*Hippomarathrum creticum*, *prodr.* 76.). . . Laſerpitium aquilegifolium (*Libanotis* I, *prodr.* 83.). . . Heracleum anguſtifolium (*Sphondylium* I, *ib.*). H. auſtriacum (II, *ib.*). H. alpinum (III, *ib.*). . . Seſeli pyrenaeum (*Carvi alpinum*, *prodr.* 84.). . . Rhus typhinum (*virginianum pin.* 517.). Rhus glabrum (*Sumach anguſtifolium*, *prodr.* 158.). . . Corrigiola litoralis (*Polygonum* III, *prodr.* 131.).

. . Statice cordata (*Limonium* I, *prodr.* 99.). St. minuta (II, *ib.*). . . Linum viſcoſum (VI, *pin.* 214.). L. narbonenſe (II, *prodr.* 107.). . . Craſſula rubens (*Sedum* VI, *prodr.* 132.). . . Sibbaldia procumbens (*Fragariae adſinis*, *prodr.* 139.).

Tradeſcantia virginica (*Allium ſ. Moly virgin. pin.* 516.). . . Uvularia perfoliata (*Polygonatum* II, *prodr.* 136.). . . Iuncus glaucus (*acumine reflexo maior*, *theatr.* 183.). I. trifidus (*acumine reflexo trifidus*, *ib.* 184.). I. albidus (*Gramen* XLVII, *prodr.* 16.). I. triglumis (II, *prodr.* 22.). . . Frankenia hirſuta (*Polygonum* II, *prodr.* 131.). . . Rumex veſicarius (*Acetoſa*, I, *prodr.* 54.). R. tingitanus (*Lapathum maritimum*, *prodr.* 56.). R. digynus (*Acetoſa* II, *prodr.* 55.). R. ſpinoſus (*Beta cretica* 57.). R. aculeatus (*Acetoſa* IV, *prodr.* 55.). . . Scheuchzera paluſtris (*Iuncus* IX, *prodr.* 23.). . . Trillium erectum (*Solanum* III, *prodr.* 91.).

Epilobium anguſtiſſimum (*Lyſimachia* III. *pr.* 116.). E. parviflorum (*Lyſimachia* I. *ib.*). . . Daphne Thymelaea (*Sanamunda viridis pr.* 160.). . . Elatine Alſinaſtrum (*Equiſetum* I. *pr.* 24.).

Monotropa Hypopitys (*Orobanche* III. *pr.* 31.). . . Saxifraga Cotyledon (*Cotyledon minor. pr.* 133.) S. oppoſitifolia (*Sedum* III. *pr.* 132.). S. petraea Vahl. (I. I. *pr.* 131.). S. caeſpitoſa (II. *ib.*). . . Dianthus ſylveſtris (*Caryophyllus* III. *pr.* 104.).

D. arboreſcens (1. *ib.*). . . Silene rupeſtris (*Caryophyllus* VII. *ib.*). . . Arenaria tetraquetra (*Caryophyllus* XII. *ib.* 105.). A. juniperina (*Alſine* IV. *ib.* 118.). . . Sedum atratum (VII. *ib.* 132.). . . Ceraſtium latifolium (*Caryophyllus* IV. *ib.* 104.). C. tomentoſum (*Caryophyllus* IX. *ib.*). . . Spergula nodoſa (*Alſine* VIII. *ib.* 118.).

Euphorbia rubra (*Tithymalus* III. *ib.* 133.).

Spiraea hypericifolia (*Pruno ſylv. ſimilis pia.* 517.). . . Potentilla intermedia (*Quinquefolium* III. *pr.* 139.). P. caulescens (1. *ib.*).

Papaver alpinum (*Argemone alpina pr.* 93.). P. cambricum (*erraticum pyrenaicum ib.* 92.). . . Delphinium peregrinum (*Conſolida regalis latifolia pr.* 74.). . . Aquilegia viſcoſa (II. *ib.* 75.). A. alpina (1. *ib.*). . . Nigella hiſpanica (1. *ib.*). N. orientalis (II. *ib.*). . . Anemone patens (*Pulſatilla* V. *pr.* 94.). A. vernalis (II. *ib.*). A. baldenſis (II, *ib.*). . . Clematis maritima (*pr.* 135.). . . Thalictrum anguſtifolium (*pr.* 146.). T. foetidum (*ib.* 147.). . . Ranunculus lanuginoſus (VII. pr. 96.). . . Iſopyrum aquilegioides (*Aquilegia* II. *pr.* 75.).

Teucrium ſpinoſum (*Chamaedrys ſpinoſa pr.* 117.). . . Stachys cretica (*Pſeudoſtachys* I. *pr.* 113.). St. arvenſis (*Sideritis* II. *pr.* 111.). . . Scutellaria alpina (*Teucrium alpinum inodorum pr.* 116.). . . Melampyrum criſtatum (*luteum pr.*

112.). . . Antirrhinum monspeſſulanum (IV. *pr.* 106.). A. arvenſe (V. 107.). A. origanifolium (*Antirrhinum ſaxatile* 106.). A. dalmaticum (I. *ib.*). A. linifolium (II. *ib.*). . . Scrofularia vernalis (I. *pr.* 112.). . . Linnaea borealis (*Campanula ſerpylliſolia pr.* 35.).

Myagrum perenne (*Rapiſtrum monoſpermum pr.* 37.). M. perfoliatum (IV. 52.). M. paniculatum (III. ib.). . . Bunices Erucago (*Eruca* VII. *pr.* 41. . . Draba ſtellata (*Burſa paſtoris* III. *pr.* 51.). . . Thlaſpi hirtum (III. *pr.* 47.). . . Alyſſum montanum (*Thlaſpi* VII. *pr.* 49.). . . Cardamine reſedaefolia (*Naſturtium* IV. *pr.* 45.). C. parviflora (II. 44.). . . Siſymbrium terreſtre (*Raphanus aquaticus fol. laciniat. pr.* 38.). S. amphibium (*alter ib.*). S. arenoſum (*Eruca* V. 40.). S. aſperum (*Sinapi parvum ſiliqua aſpera* 41.) . . Eryſimum hieracifolium (*Leucoium* III. *pr.* 102.). . . Cheiranthus trilobus (*Leucoium* VI. *pr.* 103.). . . Heſperis verna (*Rapiſtrum* I. *pr.* 37.). . . Arabis Halleri (*Naſturtium* VII. *pr.* 46.). . . Turritis hirſuta (*Eryſimo ſimilis hirſuta pr.* 42.).

Lavatera trimeſtris (*Malva* II. *pr.* 132.).

Geniſta hiſpanica (*Geniſtella monspeliaca ſpinoſa pr.* 157.). . . Orobus luteus (*alpinus latifolius* 149.). . . Lathyrus ſetifolius (*pr.* 148.). . . Vicia onobrychioides (*pr.* 149.). . . Hedyſarum Caput galli (*Onobrychis* II. *ib.*). . . Oxytropis pi-

losa Decand. (*Cicer* II. 148.). . . Astragalus incanus (*Onobrychis* III. 149.). A. exscapus (*Cicer* I. 147.). . . Trifolium creticum XIV. *pr.* 142.). T. Cherleri (XVIII. 143.). T. saxatile (VII. 140.). T. scabrum (VIII. *ib.*). T. spumosum (IV. *ib.*). T. lappaceum (*phytopin. t.* 5.). T. spadiceum (III. *pr.* 140.). . . Lotus diffusus (*Trifolium* XXI. *pr.* 144.). . . Medicago orbicularis (*Trifolium* IX. *pr.* 140.).

Hypericum Ascyrum (*pr.* 130.). H. nummularium (*ib.*).

Arnopogon picroides (*Sonchus* I. *pr.* 60.). . . Sonchus maritimus (IV. *pr.* 61.). S. tenerrimus (III. *ib.*). . . Lactuca saligna (*Chondrilla* II. *pr.* 68.). . . Hieracium florentinum (XXII. *pr.* 67.). H. chondrilloides (XII. 64.). H. grandiflorum (XVI. 65.). H. glutinosum (IV. 63.). . . Crepis foetida (*Chondrilla* III. *pr.* 68.). . . Andryala cheiranthifolia (*Sonchus* VI. *pr.* 61.). . . Hyoseris radiata (*Dens leonis* III. *pr.* 62.). . . Hypochoeris helvetica (*Dens leonis* I. *ib.*). . . Carduus Personata (1. *pr.* 155.). . . Artemisia glacialis (*Absinthium* III. *pr.* 71.). . . Gnaphalium orientale (*Helichrysson pr.* 123. . . Conyza saxatilis (*Helichryso sylv. similis ib.*). . . Erigeron alpinum (*Conyza* I. *pr.* 124.). . . Senecio linifolius (*Linariae aureae adfinis pr.* 107.). . . After alpinus (*pr.* 124. *ad Matthiol.* 818.). . . Solidago mexicana

(*pin.* 517.). . . Cineraria cordifolia (*Iacobaea alpina pr.* 69. . . Inula britannica (*Conyza* III. *pr.* 124.). I. provincialis (*Iacobaea* II. *pr.* 69.). . . Chrysanthemum atratum (*Bellis* I. *pr.* 120.). . . Pyrethrum Halleri (*Bellis* II. *ib.*). . . Anthemis mixta (*Bellis* V. 121.). A. altiſſima (*Chamaemelum* I. 70.). . . Achillea magna (*Millefolium* I. 72.). A. tanacetifolia (II. *ib.*). A. macrophylla (*Dracunculus alpinus pr.* 39.). . . Rudbekia laciniata (*Doronicum americanum pin.* 516.). . . Centaurea alpina (*pr.* 56.). C. pectinata (*Iacea* V. *pr.* 128.). C. Cineraria (*Iacea* VII. *ib.*). C. ſonchifolia (IV. *ib.*). C. axillaris (II. 127.). . . Filago pygmaea (*Gnaphalium roſeum* 122.).

Orchis viridis (VIII. *ib.*). . . Ophrys alpina (*Chamaeorchis* IV. *pr.* 29.).

Zannichellia paluſtris (*Potamogeton* IV. *pr.* 101.). . . Chara hiſpida (*Equiſetum foetidum ſub aqua repens pr.* 25.). Carex baldenſis (*Gramen* XXXVI. *pr.* 13.). C. digitata (XXIII. 9.). C. ornithopoda (XXII. *ib.*). C. ampullacea (*Gramen cyperoides* IV. *theatr.* 84.). . . Myriophyllum ſpicatum (*Millefolium* IV. *pr.* 73.). . . Thelygonum Cynocrambe (*pr.* 59.). . . Bryonia cretica (*pr.* 135.).

Salix herbacea (VII. 159.). S. retuſa (V. *ib.*).

Aſpidium aculeatum (*Filix* II. 151.). . . Adian-

tum pedatum (*fruticoſum braſilianum* 150.). . Salvinia natans (*Lenticula paluſtris phytopin. t. 7. multo melius pr.* 153.). . . Neckera pennata (*Muſcus* 1. 151.). Trichoſtomum ericoides (*Muſcus* VII, *ib.*). Mnium roſeum (VIII. *ib.*). . . Fuci a Cargillo Scoto accepti, inter quos F. bulboſus Turn. (II. 154.). F. ſaccharinus (IV. *ib.*). F. palmatus (VI. 155.). F. Filum (VIII. *ib.*). Ulva pavonia (*Fucus* VII. *ib.*).

COMPILATORES.

Tandem, ne omiſiſſe aliquid videamur, enumerandi ſunt ſcriptores, qui ſaeculo decimo ſexto aliorum labores in ſuos converterunt uſus, neque proprii aliquid addiderunt.

Eorum primus fere eſt Iul. Caeſ. *Scaliger*, Veronenſis, natus 1484. Stipendia multa iuvenis habuit, quibus confectis ad bonarum artium disciplinam et ipſius artis medicae ſe contulit, quam dein Agenae exercuit, † 1558. Quum Hieron. *Cardanus* in libr. 21. de ſubtilitate, plantas novi orbis, ex Oviedo, Monarde et aliis deſcripſerit, noſter, pariter alienus ab ipſa naturae cognitione, illum refutare conatus eſt in libro XV. „exercitationum „exotericarum de ſubtilitate“ Frcf. 1582. 8. Ceteri libri non prodierunt, neque quidquam, licet celebris admodum ſit, ad augendam rem herba-

riam hic contulit. In erroribus enim verſatur, quoties de plantis veterum disceptat. Epithymum credit flores Thymi, Nardum indicam Crocum eſſe: in quo refutatur a Io. *Fabro* diſp. de Nardo et Epithymo. Rom. 1607. 4. Commentarii Scaligeri in Theophraſtum de cauſſis plantarum grammatici ſolummodo nequaquam rem herbariam ipſam complectuntur.

Adamus Lonicer, poliater Francofurtanus, ſocero Egenolfio obtemperavit, quum antiquum herbarium, ab Euchar. Rhodione emendatum (*p.* 297.), et a Dorſtenio commentariis auctum, iterum recuderet ac variis nuperiorum obſervationibus illuſtraret. Sic prodiit „Kräuterbuch“ Frcf. 1573. fol., quod et 1737. fol. iterum a Balth. Io. *Ehrharto* editum eſt; inutile opus et erroribus plurimis refertum.

Io. Costaeus, Laudi-Mediolanenſis, Auguſtae Taurinorum medicinam docuit, † 1503. Adnotationes edidit in Meſuen, Venet. 1602. fol., parum utiles, quum neque arabice doctus eſſet, neque plantas ipſas omnes cognoſceret. „De univerſali ſtirpium natura Aug. Taurin. 1578. 4.“ opus e Theophraſto potiſſimum hauſtum, peripatetice cauſſas plantarum, absque naturae cognitione enucleat.

Caſtor Durantes, Gualdo-Italus, pontificis maximi medicus, † 1599. hiſtoriam plantarum

